46/764 V
X
C.
K.P.
205

ONVPHRII PANVINII
BARTHOLOMÆI MARLIANI
PETRI VICTORIS
IANI IACOBI BOISSARDI
Topographia Romæ
Cum tabulis Geographicis, imaginibus
Antiquæ et Nouæ Urbis, Inscriptionibus, marmoribus, ædificiis
Sepulchris, et quicquid est à
Ueneranda antiquitate.
Magna diligentia æri incisis.
FRANCOFURTI
In Bibliopoleio Brijano apud
Matthæum Merianum.
MDCXXVII.

Camposdem-Ls


DIONYSIVS
GOTHOFREDVS
I. C.
POSVIT.
ME
MO
RIÆ
VITA
QVOD H B H AEVITERNAE
SENECTVTEM SATVRNIAM
A DIS MANIBVS INVIDIA
SACRA OCCVLTAM
QVOESITAM DIV ET IREPERTAM
MVLTIS SAECVLIS
HERCVLEO LABORE
MANIBVS EORVM AVLSAM
IANVS BOISSARDVS
AEVITATIS ANTISTES
RELIGIOSISSIMVS RESTITVIT
OLLI IANO BOISSARDO
SATVRNIA SENECTVS
H B H AEVITERNA
DVLCISSIMI FOEDERIS
ET CONIVGII MEMORES
H B HN IN SENECTA
SENECTAM IN H B H
MERITISSIMVM PRAEMIVM
MEMORI DEDERE.

SYMBOLVM

THEODORI DE BRY LEODIENSIS.

HEi quantum à primo miseri mutamur Adamo,
Ver illi æternum risit, & alma quies.
At nunc cura homines facit irrequieta beatos,
Huc ratio, huc omnis vis subit ingenij.
Scilicet vt corpusque animamque & cætera serues,
Res tibi cum curis perpetuata venit.
Parua sed ingentes formica laboris imago,
Exemplo hæc nobis dat documenta suo.
At mihi quando animæ dabitur curare salutem,
Non me deficient quas colit orbis opes.
Quin ea Christicolas nunc vnica cura fatiget,
Qua Scythicum reprimant excutiantque iugum.
Tu Deus ô mentem meliorem & sobria nostris
Pectora pro meritis ab grauiora dabis.
Vt crudele queant procul euitare flagellum,
Teque redemptorem concelebrare Deum.

IN EFFI.

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

IN EFFIGIEM IANI IACOBI BOISSARDI VESVNTINI, PETRVS LEPIDVS METENsis, Regiorum negotiorum ſummus Procurator apud Mediomatrices, Virdunenſes, & Tullianos.

HOſpes, qui vagus in ſcientiarum
Hortis expatiaris, vt Mineruæ
Doctas ingenium excolas per artes;
Quem tu conſpicis hetc breui tabella
Expreſſum Bryii arte penicilli,
Ille eſt Sequanici ad Dubis fluenta
Boiſſardo genitus parente vates,
Phœbo & Caſtaliis Deis amatus.

Ille est qui facili stylo & colore
Vrbes OEnotriæ, & situs locorum,
Portus, valla, pharos, lacus, cauernas,
Montes & fluuios scaturientes,
Diuersosque habitus manu erudita
Descripsit, statuasque, imagineſque,
Et priscæ monumenta cunctæ sæcli,
Impensisque laboribusque magnis,
Publicam vtilitatem vt adiuuaret,
Solers edidit artifex, typisque
AEuiterni operis Theodorici
Libro hoc proposuit tibi intuenda.
Tu de te meritis bene has rependе
Grates, vt studium vtriusque vultu
Sereno excipias probesque. Virtus
Illorum expetit vnicum hoc, nec vltra.

IN VETERIS AC NOVÆ VRBIS ROMANÆ TOPOGRAphiam, descriptam à Iano Iacobo Boissardo Vesuntino.

Domitius Fainus Veronensis.

ÆTernam quisquis cecinit te, Roma, futuram,
Ille habuit Clario pectora plena Deo.
Non tamen hanc dixit posuit quam Romulus vrbem,
Quæ nimis angustis finibus arcta fuit,
Et quam tempus edax subuertit: Namque caduca
Illa prius fuerat condita materia.
Hanc intellexit, totum quæ sparsa per orbem
Boissardi æternis viueret aucta libris.

IN EANDEM TOPOGRAPHIAM,

Joannes Mylius Marpurgensis.

MAgnificas meruit statuas, operosaque templa
Phœbeius AEsculapius,
Hippolytum quod equis excussum, animamque halantem
Largo cruoris flumine
Restituit priscæ docto medicamine vitæ,
Animamque membris reddidit;
Tu labefactatæ diu toto corpore Romæ
Annis cadauer obstitum
Ad vitam reuocas, æui non dentibus vnquam
AEruginosi obnoxiam;
Quas dignas laudes pro tali munere Roma
Prodet futuris sæculis?
Scilicet illa tuum nomen super ætheris axem,
Non immemor tui, feret.
Quaque patet tellus vasto circunsona ponto
Seri canent te Postери.
At tu non tituli decus aspiras, nec honoris
Ambis caduci gloriam.
At tamen mutum te fama æterna sequetur
Omnes per orbis angulos.
Illustres noctu pronis in turribus ignes
Lucere desinent prius,
Quam tua se virtus occultet nomine cassa
Silentij & nube obruat.
O felix iterum, ô felix Mauortia Roma,
Cui talis AEsculapius
Contigit! efficit hic limoso è gurgite tractam
Vitæ potiri munere.
Dum circum astriferi voluetur machina mundi,
Pingentque cœlum sidera,
Romule, concedes, si præripit hic tibi palmam
Boissardus atque gloriam.
Mœnia tu dederas saltu superanda volucri
Remo, laboreque minimo.
Romani imperij fines hic Solis ab ortu
Cubile ad Hesperi vehit.

POMPONIVS RICIVS NOLANVS, IN EANDEM.

OCciderat, longoque situ fœdata iacebat
Roma, atque obscuris condita erat tenebris.
Hanc it a tu reddis prisco, Boissarde, decori,
Maior vt antiquo restituatur honos.
At tibi nec desunt merito tua præmia: namque vt
Restauras Romæ nomina; Roma tibi.

SYMBO-

Free copy for study purposes only. The Warburg Institute Digital Collections

IN EFFIGIEM THEODORI DE BRY LEODIENSIS, Præstantissimi.

IANVS IACOBVS BOISSARDVS.

Pictam hic effigiem, benigne Lector,
Spectandam tibi quam papyrus offert,
Ait se Theodori imaginem esse.
Huius ex Eburonibus parentes
Virtute & probitate percelebres
Deduxere genus, Leodioque.

Ille

Ille est Dædaleo labore cuius
Iussu Palladis, annuente Phœbo
Tot toreumata publice videntur.
Ille est Cannibales, nouumque mundum
Subiectum Zephyris Notisque, pridem
Doctis cernere qui dedit tabellis.
Mausolea Bryax, Leoncharesque,
Scopas, Timotheusque, quatuor illi
Mirandi artifices manu magistra
Cœlarunt. Ephesina templa pinxit
Archiphron, Ctesiphontis architecti
Opus sumptibus & labore clarum.
Auctor est Rhodij Chares Colossi.
Eburnum ossa Iouem, eminensque Olympus
Iactant à Phidia vndique absolutum.
Tot & tanta opera inuidens vetustas
Nobis abstulit, & situ sepulta
Lethes perpetuis tegit tenebris.
Nostra sæcula comparare priscis
Si audet posteritas, habebit illis
Quos conferre queat, pareque credat
Arte & ingenio. Inter hos supremo
Si non emineas loco, tamen tu
Nulli horum, Theodore, eris secundus.

AD ILLV-

Free copy for study purposes only. The Warburg Institute Digital Collections

TOPOGRAPHIA ROMANÆ VRBIS, QVA SVCCINCTE DESCRIBVNTVR OMNIA, QVÆ IN VRBE SVNT NOTATV magis digna: & dierum quatuor spatio commode videri & lustrari possunt à peregrinis & hospitibus.

Iano Iacobo Bossardo Vesuntino autore.

ROMANÆ vrbis topographiam ac situm doctissime tractauerunt plurimi, vt Flauius Blondus, Pomponius Lætus, Marlianus, Morus, & alij, qui hanc scriptionis materiã illustrandam sumpserunt. Horum tamen scripta, vt omnibus qui Romã veniunt, nõ statim occurrunt venalia, ita quoq; prolixiore narratione iis quib. diuturna mora non conceditur, haud semper satisfaciunt. Cum in Vrbe habitarem, frequentes Bononia, Patauio, Papia, Senis, Perusio, & ex aliis Italiæ Academiis eo se conferebant scholastici Galli Germanique, & alii rerum antiquarum studiosi. His cum per amicos (cum quibus olim familiariter conuixeram) cœpissem innotescere, à me exposcebant hoc officium, vt illis dux per vrbem fierem, vt meo auxilio & monitione possent perlustrare breuiter ea quæ notatu magis digna essent. Cumque plurimos animaduerterem laboriosa cura in pugillaribus excipere, quæ à me audiebant, quæque singulari delectatione spectabant, vt eorum adiuuarem memoriam, releuaremque aliquo compendio tam tædiosum laborem, conscripsi brẽuem libellum, quem tres dietas vocaui: cuius institutione poterat vnusquisque triduo perlustrare quæ potiora erant in tam ampla vrbe. Sed quia temporis angustia multos cogebat plurima præterire, & diuelli abiis multo, quæ maiorem animaduersionem requirebant; auxi postea meum libellum, adiectis rebus infinitis, quæ potissimum seruabantur in domibus priuatis, & conclauibus Cardinalium, nobiliumque, & reliquorum ciuium: librumque distribui in Dies quatuor: quo commodius, & sine præcipitata festinatione hospites possent curæ ac desiderio suo satisfacere. Hunc tractatum nescio quo fato mihi seruauit Deus, dum meæ bibliothecæ feci iacturam: Reliqueram enim illum cum aliquot aliis libris apud fratrem meum Richartum, à quo postea illum recepi, cum aliis inscriptionibus Italiæ, Stiriæ & Carinthiæ, quas Deo volente (si vita mihi tamdiu prorogetur) interam tertio volumini, quod præparo quãta possum diligentia, coactis in vnum fragmentis & reliquiis mearum lucubrationum, quæ mihi superfuerunt ex bellorum ciuilium cladibus. At in hoc libello breuiter comprehendo quicquid notatu dignum publice priuatimque sese offert vbique, proposito quasi anto oculos vrbis tam celebris typo, quo etiam qui absentes sunt, neque Romam veniunt, possunt delectari. Non est tamen quod hic Lector expectet perfectam rerum omnium narrationem: quæ doctissimo cuique, & qui id ex professo velit aggredi, negotium non mediocre posset facessere: Satis erit, opinor, si crasse delineem & attingam obiter ea omnia, quæ publice sese offerunt: iam in foris, plateis, ædibus sacris, & quæ sine difficultate possunt videri in nobilium palatiis, & domibus priuatorum ciuium: qui suam operam comiter præstant hospitibus & aduenis, quos literatos agnorunt, aut antiquitatis studiosos, iudicioque valentes: Ideo enim se tantos sumptus fecisse asserunt, in exquirendis & coemendis marmoribus & statuis, quæ tam in vrbe quam per totam Italiam ab antiquitate relicta sunt, vt commodo ac delectationi non tantum suo, sed publico possint inseruire: id sibi summæ laudi ducentes, si peregrini & aduenæ ea cum voluptate & vtilitate contemplentur & diligenter singula considerent. Fructum, certe locupletissimum viri boni percipiunt ex possessione rerum pulchrarum, si dum eas aliis sine suo dispendio & iactura proponunt, bonorum gratiam hoc officio promereantur.

Iis qui per Hetruriam veniunt Romam, aditus in vrbem patet per Vaticani portam, quæ Castello sancti Angeli est contermina. Quare non abs re mihi facere videbor, si hoc

Caſtellum proponam viatori, tanquam carceres, vnde ſuum curſum auſpicabitur: atque inde per Vaticanum & Ianiculum pergendo, quæcunque occurrent, quoque fuerint ordine diſpoſita, breuiter adnotet. Fietque vt quatridui ad ſummum ſpatio voti compos eſſe poſſit viator, & ſui laboris dulcem mercedem reportare. Quod vbi factum fuerit, rudibus his lineamentis colores qui addant, & ad perfectionem opus inchoatum qui reducant accerſet eos, qui hanc Topographiam ſcriptis abſolutis percurrerunt. Quorum ductu & inſtitutione poterit vnusquiſque omnem ſtudij ſui ſcopum attingere. Aggrediemur igitur ab iis, quæ portæ proxima ſunt: poſtea vrbem ingreſſi ſingula ſuo ordine perſequemur.

TOPOGRAPHIÆ VRBIS ROMÆ DIES primus.

PLanicies ea ampla, quæ Tyberi, & Vaticanis collibus (qui S. Crucis dicuntur) ac Strozziorum vinea clauditur, Pincij, vel vt alij malunt Quinctii Cecinatis Senatoris Romani fuerunt: Hodie, Ad prata locus dicitur: Eo ſe frequentiſſime Romana iuuentus conferre ſolita eſt, deambulationis oblectationisque gratia: Voluptati enim præ cæteris omnibus locus hic tributus eſt.

Porta Ælia, quam Caſtelli vocant, ingreſſus in vrbem patet: Prope quam extollit ſeſe ingens illa moles Adriani Imperatoris: quam extra Vrbem extruxerat, vt in eo ſepeliretur: & in eadem Antoninorum cineres reconderentur. Fuerat enim diuerſis marmoribus, ſtatuis & columnis precioſiſſimis illuſtris, ſed hæc omnia ſublata ſunt à Pōtificibus Romanis, & templo S. Petri Vaticani adplicata. Cumque moles illa ſuis ornamentis eſſet ſpoliata, vt eſt ampla, ſolida, & ex latericio compacta opere tam firmo, vt machinis omnibus bellicis poſſet reſiſtere, viſa eſt arci ſtruendæ accommodatiſſima. Occupata eſt primo à quodam Creſcentio Romano factioſo & ſeditioſo homine, à quo Arx Creſcentij dicta eſt: Poſtea locum hunc Pontifices occuparunt, & vocarunt Caſtellum S. Angeli, quod vt fama refert, angelus exerto gladio viſus eſt vrbem eo loco defendere: ideo noſtro tempore ingens ſtatua Angeli marmorea in ſummitate molis repoſita eſt, vt nomen arci confirmaretur. Hoc Caſtellum munitiſſimis propugnaculis auxit & ornauit Alexander VII. Borgia. Ab hac arce deambulacra ſecreta fornicato opere protenduntur vſque ad Palatium Pontificum, quod in colle Vaticano ſtructum eſt, vocantque Curritorium: per quod Pontifices vrgente neceſſitate, dum obſiderentur, occulte ſe poſſent ſubducere, & tuta fuga ex Palatio in hanc arcem ſe recipere.

Præter ædificij munitionem turres amplas & omni tormentorum bellicorum genere probe inſtructas, cœnaculaque & cubicula diuerſis ornamentis illuſtria, pauca in hoc loco videntur antiquitatis ſigna, quæ omnia ſunt in Vaticanum translata. Ad ingreſſum tamen portæ, Palladis ingens caput galeatum & criſtatum erectum eſt pectore tenus. Eſt ibidem Adriani Imperatoris caput armato pectore: eiuſdemque Imperatoris integro ſtatua marmorea, ſed opere recenti, quod tamen antiquo non videtur cedere. In cubiculo ſuperiore locellis concinnatis (Arcadas Galli, Niſchios vocant Itali) quinque capita virorum illuſtrium antiqua conſpiciuntur: Reliqua ad antiquitatem non pertinent.

Pons Ælius dicitur is, qui Caſtello S. Angeli vicinus eſt, factus ab Ælio Adriano prope regionem Vaticanam: per quem in ſuum ſepulchrum tranſitus eſſet facilior, ad funera eorum, qui in tam magnifica mole ſepelirentur, procuranda. Hodie Pons Caſtelli vocatur, per quem ex vrbe in Burgum via protenditur ad Palatium ſummorum Pontificum. Ante hunc pontem ſtatuæ Petri & Pauli Apoſtolorum marmoreæ ſunt erectæ.

Pons triumphalis dicebatur, cuius ruinæ medio Tyberi ſub Ælio conſpiciuntur è regione Xenodochij S. Spiritus: is quoque Vaticanus olim nuncupatus eſt: quod per eum ad portam Vaticanam eſſet transgreſſus. Fuit olim triumphis ſacer. Imperatores enim

enim de exteris prouinciis & nationibus triumphantes, hoc ponte pompas solemnes in Capitolium agebant.

Burgum vocant eam vrbis partem, quæ à Castello S. Angeli recta ducit ad palatium Pontificum. In hoc loco ante Alexandri II. tempora silua fuit, siue lucus Vaticanus, qui erat insignis sepulchrali Pyramide Scipionis Africani: quæ sublata est cum luco, cũ ea pars vrbis ædificaretur. Eius ornamentorum partes exiguæ supersunt adhuc, conspiciunturque in ea parte templi Vaticani, quam Paradisum vocant: nempe nux ingens pinea ex ære, & duo pauones eiusdem metalli deaurati.

Palatia Burgi sunt aliquot ædificiis illustribus atque diuersis ornamentis clarissima: Quod assurgit prope S. Catharinam, Cardinalis fuit Dandini. In eo præter ea quæ sumptus & magnificentiam vici satis ostendunt, quædam monstrantur statuæ antiquæ: vt caput elegans Agrippinæ matris Neronis pectore vestito: Hadriani Imp. & Antinoi Bithyni iuuenis formosissimi, quem Hadrianus in deliciis habebat, M. Aurelij, & Sabinæ cuiusdam mulieris capita cum pectoribus ibidem ostenduntur: & eiusdem Hadriani simulachrum mutilum sed elegans, quod brachijs & cruribus truncum est.

Amplæ & sumptuosæ illæ ædes, quæ superius videntur ad dextram, pertinebant ad Robertum Strozzam: in quibus præter infinita ornamenta notatu digna, ostenditur armamentarium splendidissimum, omni genere armorum exornatum, tam nostratium (quibus hoc tempore Principes vtuntur, & in quibus singulare sculptorum & aurifabrorum ars & industria videtur) quam exterarum nationum; maxime Indorum & Americorum: vt sunt clauæ & gladij lapidei & lignei, quibus etiam chalybs scinditur; diuersa vestimenta, pilei, cassides, perizonia, periscelides, & balthei, clypeique ex plumis artificiosissime composita omnia, tantaque industria elaborata, vt sine admiratione nemo ea satis contemplari possit Et hæc seruabat Cardinalis homo illustris, & ingenij generosi, propter artis excellentiam magis quam ad vsum: cum eodem in loco bibliotheca sit, instructissima libris antiquis & voluminibus literarum hieroglyphicarum dives: In eodem conclaui, præter infinita ex auro & gemmis ornamenta, gladiorumque capulos precij maximi, duo nobis demonstrati sunt Aleriones siue aues Paradisi, quas Apodes nominamus. Harum corpora sunt tenuia quasi ex xylo vel bombice: plumis oblongis versicoloribus, & quæ colorem Iridis cœlestis referunt, & mutant dum auiculæ corpus inuertitur, nunc au ũ, nũc purpuram, viridemq; smaragdum, & Saphyri cyaneum repræsentãtes formam, vel eam gemmam quã Opalam vocamus: His similes me quoque conspexisse memini Pisauri, in conclaui Ducis Vrbinatis, in quo seruabatur Canopi statua ex gemma Turquesca, quam in Ægyptio sepulchro inuentam asserebant, in eu scerato corpore humano, balsamo precioſissimisque aromatib. condito, Mumiam vocant Medici. Ibidem sceptra ex agathite, sardonyche, & alijs gemmis seruantur, preciique singularis monilia: nam eius luculenta bibliotheca videtur Vrbini.

In Burgo sunt & alia Palatia vt Campegiorum, ad dextram, & ex opposito Parisinum: vtrumque picturis & tabulis elaboratissimis præclarorum artificum, statuisque pulchertimis egregie instructum.

In domo Petri de Radicibus in eodem Burgo videtur Bacchus integer nudus, & pampino redimitus: qui in Satyrum molli sese reflectit amplexu, quique dextra tenet vasculum. Ibidem sunt etiam tres Musæ longis institis amictæ: quarum vna librum tenet, altera musicum instrumentum, tertia laruam, tres sunt statuæ laudatissimæ. Videtur in eadem domo caput senis, quod dicunt esse Caroli Magni: sed quod longe dissimile est illi Caroli Magni effigiei, quæ in Prætorio demonstratur Norimbergæ: quam asserunt esse expressam ad viuum prout fuit ille magnanimus Imperator. Apud hunc eundem ostenduntur fragmenta statuarum Cupidinis, Herculis, & Floræ; sed admodum mutila.

Palatium Cæsianum sinistram plateæ partem occupat prope portam S. Honufrij: Eius area anterior plena est diuersis inscriptionibus, & marmoribus variis, statuisque antiquis: Primum locum tenent tres insignes imagines, prima est Hippolytæ Amazonis, quæ longa veste est amicta, sed brachiis mutilata; Hanc Michael Angelus Banarotus Florentinus

rentinus noſtri ſæculi pictor, ſculptor, & Architechtus excellentiſſimus, mirifice laudat, vt pote in qua ſummum videatur artificium, & proportio perfectiſſima. Secunda ſtatua nuda eſt eſtque viri, vt creditur Apollinis. Tertia eſt Sabinæ mulieris brachiis quoque manca: Et hæc artificio non cedit Amazoni ſuperiori.

Huic areæ ſiue corti adiacent amœniſſimi & ſpatioſiſſimi horti, qui in quatuor areas latiſſimas diſtincti ſunt, ac ſingulæ fontes præbent limpidos, quibus ſtatuæ ſuperimpoſitæ ſunt. In areæ primæ meditullio eſt Bacchus ſuper baſi antiqua, ad cuius pedes iacet canis. In ſecunda area eſt vas ingens aheneum diuerſis ſculptum foliis acanthi: ſuper quod erectus eſt Faunus, qui vtrem humeris ſuſtinet, tanquam ex eo verſaturus aquam. In tertia parte eſt Neptunus nudus, ſed ex aliqua parte mutilatus: repoſitus eſt in baſi antiqua. Quartum locum poſſidet Apollo nudus tenens barbiton.

Ad dextram ſunt alia ſimulachra non minus arte ſculpturæ, quam precio marmoris ſpectabilia: vt eſt Agrippinæ, filiæ M. Agrippæ, & Iuliæ Auguſti Cæſ. filiæ. Hæc veſtita eſt, & brachiis caret: prope quam videtur monumentum marmoreum excauatum, Pilas eiuſmodi vocant Romani, diuerſis figuris illuſtre. Non procul inde eſt Pallas galeata, & veſte amicta vſque ad pedes. Illic eſt Hermaphroditus nudus, qui inuolutum palliolo femur habet; cui adiacet pes ingentis coloſſi. Ad dextram huius eſt fons, in quem fluunt aquæ ex conchylio marmoreo: ſuper quod eſt puerulus continens vrnam ſuper humero impoſitam, tanquam effuſurus ex ea. In medio horto eſt ingens larua porphyritica, quæ patente bucca recipit aquas pluuiales. Sub porticu videntur diuerſa fragmenta antiquitatis: inter quæ eſt gladiatoris cuiuſdam corpus: & pueri dormientis: Circumquaq; erecti ſunt viginti duo Termini antiqui & marmorei: Faunus, Iuppiter Hammon, Pompeius magnus, Demoſthenes: & Philoſophus antiquus, qui creditur eſſe Speuſippus Platonis ex ſorore nepos.

Illic erectum eſt ædificium elegans tamen nouum, ſuper cuius feneſtris tres ſunt truncꝰi ſtatuarum, incognitorum hominum: Extrinſecus eſt Venus ſeminuda ſed mutila.

Ex oppoſito portę longa porrigitur via per medium horti, quem in duas partes diuidit: ad cuius finem extremum erecta eſt ingens Roma, triumphans de Dacia victa: inſidet throno, galeata & veſtita, manuque continet coronam lauream: in baſis frontiſpicio iacet Dacia mœrens, læua manu triſtem fulciens faciem: vtrumque baſis latus ornant trophæa armorum barbaricorum. Ad vtramque partem erecti ſunt duo Reges captiui ſemicoloſſei ex Batthio Lapide, Numidico veſtitu, & laxis amicti caligis. Reliquæ partes huius horti diuerſas habent inſcriptiones, & antiqua ſigna: quæ ſpectantibus ſingularem præbent delectationem. Qua patet aſcenſus ad antiquarium, ad vtramque viæ partem videntur duæ Parcarum ſtatuæ altiſſimæ veſtitæ, ſed capite brachiisque carent. Eodem in loco duæ ſunt Sphynges ex Numidico Lapide ſubnigro, repoſitæ in baſibus marmoreis albis. In vna baſi ſculptum eſt, INNOCVÆ SVNT. In altera vero, NEC SERVNT AMBAGES.

Paulo altius attollitur ædificium rotundum teſtudinatum, quod Antiquarium vocant, à diuerſis ſignis & imaginibus marmoreis, quæ in eo continentur. Super prima huius ædificii fronte coloſſeus Iouis vultus Porphyriticus eſt repoſitus. cui ad dextram eſt caput Othonis: Ad ſiniſtram eſt Poppeæ eius vxoris. In ſummitate frontiſpicii quinque ſunt ſtatuæ, Palladis, Cereris, Victoriæ, Copiæ & Dianæ. Ante antiquarium multa videntur antiquitatis fragmenta humi ſine ordine iacentia. Intrinſecus ad dextram ſtatim occurrit Quietis vel Somni, vel vt aliqui volunt, Æſculapii ſimulacrum, manu continens papauer. Ad læuam eſt alta ſtatua Sabinæ mulieris amicta, fluente ad talos inſtita. Super porta eſt Palladis caput armato pectore: & capite tecto caſſide criſtata. Illi ad dextram repoſitum eſt Herculis coloſſeum caput, ad ſiniſtram Iouis, eiuſdem fere magnitudinis. Sub Hercule ſimulacrum eſt Satyri, cui aſſidet iuuenis inflans fiſtulam ſeptemplicem. Nuſquam gentium videtur ſtatua elaboratius facta vel venuſtior: Scopæ dicitur opus. Sub Iouis capite coloſſeo caput quoque ingens eſt Pyrrhi regis Epirotarum, galeatum,

tum,criſtatum,& armato pectore.Sub quo eſtLeda nudo corpore vna manu continens veſtem , altera malum : Illi adſtat Cupido , qui cygnum brachio blande complectitur vtroque. Hæc ſtatua Ledæ ſicut & Satyri verſatiles ſunt , & abſolutiſſimi operis.

Prope ſunt ſimulacra Portiæ Catonis,Iouis,Ganymedis,Dianæ, Neptuni. Et antiquiſſimum ſignum Ægyptium quod dicitur caput Aſaroth matris Oſiridis : vel vt alii volunt Opis,ſiue Cybeles matris Deorum.

Ante portam duæ ſunt ſtatuæ vtrinque repoſitæ:ad læuam eſt Arietis Phryxi ex candidiſſimo marmore:in cuius baſi ſcriptum legitur SECVRA SIMPLICITAS.Illi ad dextram oppoſitus eſt Leo ex Thebaico lapide,in cuius baſi eſt,INNOXIA FORTITVDO.

Haud procul inde videtur Heliogabalus Imp. integer ſtolatus.in cuius antiqua baſi ſculpti ſunt affabre ſacrificantium ritus & habitus.

Parte elatiori eſt Imperatoris imago triumphalis,& quadriiugo curru vecta.

Ibidem eſt Simia ex Æthiopico marmore,qualis olim adorabatur in Ægypto,ad cuius latus duo ſunt vtrinque Crocodili ex Marmaridum lapide.

Ad parietem eſt tabula grandis adplicata:cui inſculpta eſt imago viri nudi:cui adſtat puer continens guttum:balneatorum ſunt imagines.

In cœnaculo ſemicirculari,Bacchi facies ampliſſima videtur affixa muro , quæ ex rubro lapide ſculpta eſt in formam latuæ Supra quem eſt Neptunus quadriiugo curru vectus: & illi vicina Pomona capellæ innixa. In hemicyclo hoc diuerſæ ſpectantur inſcriptiones antiquæ,trophæa,& vrnæ.

Paulo remotius,vbi Leonem & Arietem eſſe diximus,eſt Pluto erectus ſeminudus.

Progreſſis paulo vlterius occurrit porta alterius horti ante quam ſunt duo Leones marmorei ſubrubri. Super porta erecta eſt Pomona veſtita.

At è regione Antiquarii apparet porta ſecretioris hortuli , in quo diuerſa ſunt antiquitatis fragmenta, propter artificium à ſtatuariis admodum commendata. Denique totus hic hortus in plures diſtributus partes,ita ſignis,ſtatuis , inſcriptionibusque & reliquis ornamentis diſtinctus eſt,vt ſi nihil alibi tota Roma videretur , haberet tamen hic locus cauſam,cur peregrini profectionem ſuſciperent Romam , vt hæc cum fructu & ſingulari perluſtrarent delectatione.

In palatio eſt Cardinalis Muſæum,artificioſis tabulis vndique excultum & ornatum. cuius pauimentum vermiculato minutiſſimo opere ſtratum eſt aſarotum ex latericiis variegatis. Ad eius feneſtras ſedes eſt erecta teſſellata arte. cum tribus locellis elaboratiſſimis. in ſuprema parte Scipionis Africani caput eſt poſitum. ſuper locellis illis tribus tria ſunt vaſa ex Alabaſtro Orientali diaphano;opus ſingularis precii , & plane admirandum. ſuper columnis huius ornamenti collocata ſunt diuerſorum Imperatorum & virorum illuſtrium capita. Ad ingreſſum portæ Catonis eſt ſimulacrum. Illic videtur M. Antonij Triumuiri caput , Iulii Cæſaris , Septimii Seueri,& Syllæ. Ibidem alio loco ſunt capita Cl. Neronis,Iuliæ Mammeæ,M. Aurelii,Antonij Caracallæ , Macrini , Hadriani,& ſuper alia feneſtra coloſſeus Conſtantini Magni vultus.Inter columnas repoſiti ſunt libri varij,& volumina tam antiqua,quam recentia : quæ omnia venuſto ſunt ordine illuſtrata,& tecta velis ſiue cortinis ſericis:Locus autem ille amplus , qui interiacet cœnaculo & cubiculo Cardinalis , tres habet portas : in quarum ſummitate loculi ſiue niſchij marmorei ſunt,quibus ſtatuæ Iouis,Cupidinis & Bacchi continentur. In medio loco primæ faciei huius ædificii erecta eſt ſtatua muliebris , quæ tecta eſt ſyndone tenuiſſimo, ita , vt totum corpus tranſpareat : ex eodem marmore facta ſunt omnia:opus eſt ſingulare : qualia ſunt fere reliqua omnia , quæ apud hunc Cardinalem ſeruantur. A poſteriore parte videtur grandis tabula octangularis ex marmore vario (Miſchium vocant) quæ cincta eſt vndequaque affabre tabulato vermiculato. In loculo ſuperiore , eſt caput coloſſeum mulieris Sabinæ:& è regione Veneris. Ad alterum parietem eſt Cleopatræ caput. In conclaui Cardinalis vas ſpectatur amplum ex alabaſtro orientali antiquo & diaphano : ad cuius vtrumque latus duo ſunt marmorea capita. Ibidem

quoq; est caput Faustinæ pectoretenus antiquum & elaboratissimum. In conclaui alio secretiore multa seruantur excellentia statuarum antiquarum fragmenta ex ære, marmore, auro, argento, gemmis, & fictili lapide, vasa ex alabastro, agathite, porphyro, ophite, pario marmore viridi, plurima deorum & diuersorum animalium simulacra ænea paruula, lucernæ & lampades aheneæ, & coctiles: numismata infinita omnis generis metalli tam Græca quam Latina & barbarorum principum: Sardonyches, Lazuli, Cyani, Berilli, Topazii, Amethisti, Chrysolithi, malachitæ, hyacynthi, & eiusmodi gemmæ, in quibus precium magis ad sculpturam quam ad materiam referri debet. Quicquid illic proponitur spectandum, miram tanti viri curam, ingenium, sumptus & magnificentiam testatur. In eodem conclaui capita mirandi artificij videntur Scipionis Nasicæ, M. Bruti, Hadriani Imp. statua pueruli qui anseris guttur geminis adstringit manibus: & Cupidinis dormientis in lectulo.

Palatium Pontificum in eminentiore Vaticani loco structum est: in quod relicta Lateranorum Basilica propter amœnitatem sese receperunt Pontifices. Huius amplitudo tanta, est vt oppidi potius iustam magnitudinem æquet, quam domus. Huius structura magnificentissima, ornamenta exquisita tanta sunt & talia, quanta & qualia summorum Pontificum esse solent debentque. in quorum enarratione ne longius immoremur, quod indies electo nouo Pontifice augeantur, minuanturque, aut immutentur, describemus tantum ea quæ ad antiquitatem faciunt, quæque pertinent ad hunc tractatum.

Præter ea igitur quæ in hoc palatio videntur excellere, necesse arbitror diligenter annotare & contemplari sacellum Xysti, quod altissimum latissimumque templum æquat amplitudine. In hoc solet fieri noui Pontificis electio, congregaris in hunc locum Cardinalibus omnibus, & Ecclesiæ Romanæ præfectis, in sede vacante & interregno, sententiæ & suffragia ab vtroquoque excipiuntur, & referuntur in publicum: Conclaue Ecclesiæ vocatur hæc congregatio solemnis & sacrosancta. In huius sacelli siue potius vasti cœnaculi pariete, qui attollitur pone summum altare, videtur pictura illa admiranda Michaelis Angeli Bonaroti, qua extremum Christi iudicium expressum est tanta arte, tanta venustate, vt nihil elaboratius, nihil perfectius, aut absolutius toto mundo videri possit. Tota concameratio superior insignita est historiis sacris, pictoris eiusdem opere. Huic vicinum est (interposito tamen amplissimo cœnaculo) Paulinum sacellum, superiore decuplo angustius, sed ornamentis æquale: nam vtrinque parietes ornati sunt conuersione Pauli, & martyrio Petri Apostolorum. Michaelis quoque Angeli laudatissimum opus est.

In hoc palatio sunt horti, qui propter collium Vaticanorum amœnitatem, *Belvedere* nominantur. In ipso palatio est hortulus, peristylio circumquaque clausus: cuius area media spacioſa & ampla, cedrinis & myrteis sepibus cincta est, malis Medicis, Punicis, Lauris, & aliis eiusmodi arboribus exquisitis plena: in eius medi tullio duæ videntur colossææ fluuiorum iacentium statuæ: quarum altera est Tyberis: nititur enim Lupæ lactanti puerulos Remum & Romulum. Altera est Nili, cui subiecta est Sphynx, & circumquaque colludentes pueruli summa arte sculpti septemdecim: In huius basi sculpti sunt Hippopotami & crocodili, feræ Nilo familiares & propriæ. Hoc simulacrum repertum est non procul à templo S. Stephani di Caco.

Inter has statuas positus est fons elegans: cuius basis est triangularis antiqua, & diuersis sculpturis artificiosissime absolutis ornata.

In deambulacro siue peristylio, quod in toto hoc areæ circuitu protenditur, videntur Laruarum marmorearum facies monstrosæ & colossææ, sed artificio singulari elaboratæ, numero tredecim.

Sub his repositoria sunt parieti adplicata marmorea, quæ Nischios vocamus: In iis seruantur statuæ marmoreæ perfectissimi operis. A posteriori parte Tyberini simulacri est Antinous, ex purissimo candidissimoque orientali marmore perpolitus, artificio inimita-

mitabili,ſed quali crẽdibile eſt,Hadrianum Imperatorẽ voluiſſe corpus exprimi iuuenis illius Bythini formoſiſſimi,quem in deliciis habebat:& cui poſt mortem templa, ſacerdotes, diuinosque honores decreuit:imo & vrbem in Ægypto condidit Antinoam ab eius nomine vocatam.

Ad dextram eſt ſtatua fluminis Arni iacentis(vt fluuii omnes pinguntur) & panno femoribus ſuperinducto innititur vrnæ,ex qua ſcaturiunt aquæ,quæ defluunt in amplum receptaculum marmoreum,quod ſuſtinetur duabus teſtudinibus.

Ad ſiniſtram eſt Cleopatra iacens,manu dextra in caput reflexa: quæ itidem repoſita eſt ſuper receptaculo ſcaturientis aquæ.

Inſecundo loculo ſiue Niſchio Venus eſt Erycina,tanquam ex balneo prodiens, quæ adiacentem habet vrnam:nuda eſt,& dextra pubem tegit,ſiniſtra continet induſium molliter ad pedes defluens.

Alio loculo eſt ſecunda Venus iucunde colludens cum Cupidine; hæc quoque nuda eſt,& linteum continet:in eius baſi ſculptum eſt: VENERI FELICI SACRVM SALVSTIA HELPIS D D.

Parte inferiore huius ſtatuæ eſt Bacchus brachiis truncatus. Et ad dextram Hercules brachiis & cruribus mutilatus: hunc Michael Angelus ſumme laudat, tanquam omnium quæ Romæ videntur abſolutiſſimum. In eius baſi ſcriptum eſt ΑΠΟΛΛΟΝΙΟC NECTOPOC ΑΘΗΝΑΙΟC ΕΠΟΙΕΙ. ad læuam mulier eſt veſtita quæ capite & brachiis caret. Nec procul inde eſt Mercurius,trunco arboris innixus.

Ibidem eſt arca marmorea antiqua,in cuius frontiſpicio ſculpta eſt Meleagri venatio opere mirifico: quæ reperta eſt in vinea Vaticana Pontificia.

Quarto loculo videtur Commodi ſtatua nuda, Herculis habitu & forma, qui brachio puſionem ſuſtineat, cuius imprudentia delectis è feneſtra pugillaribus in quibus deſcripta erant nomina eorum,quos Imperator deſtinauerat cædi:inter quos erat Martia eius concubina,& Eclectus Prætorio præfectus. ii conſilio habito præuerterunt periculum,& Commodum interfecerunt. Is ſe vocari iuſſit Herculem Romanum:& ſub Herculis habitu multis in locis ſibi iuſſit erigi ſtatuas,& cudi numiſmata.

Quinto Niſchio eſt Apollo Pythius,qui truncò arboris nititur,circa quem ſeſe implicat ſquamoſus colubergyro multiplici:nudus eſt Apollo,circa humerum & brachium læuũ implicatum gerit palliolum. dependente à tergo pharetra:arcus quem tenet contuſione ruptus eſt.

Sexto loco eſt Laocoon miraculoſi artificij cum duobus filiis, quos gemini dracones implicant,& flexuoſis voluminibus intricant: Hoc opus eſt omnium quæ toto orbe videntur abſolutiſſimum,teſte Plinio,qui factum eſſe aſſerit ab Ageſandro, Polydoro, & Athenodoro ſculptoribus Rhodiis ſua ætate celeberrimis, & ſeruari in Palatio Titi Veſpaſiani. Inuenta eſt hæc ſtatua ſuper Carinis,prope receptacula aquarum, quæ vulgo dicuntur *à Sette Sale*. Hanc Michael Angelus dicit eſſe miraculum artis ſingulare: in quo diuinum artificium debeamus ſuſpicere ingenium potius quam ad imitationem nos accingere.

In adiacente cœnaculo, ſub teſtudinato receptaculo eſt alia Cleopatræ ſtatua quaſi morientis,tanta arte ſculpta & perfecta, vt per medias veſtes tenuiſſimas,quæ ex marmore factæ ſunt precioſiſſimo, videatur corporis forma numeris omnibus abſolutiſſima.

Eodem in loco Labrum eſt ampliſſimum ex marmore Pario viridi variegato,& ex maiore parte diaphano: Miſchium vocant,quod in eo mixti ſint malachitæ,ſardonyches, agathites, cryſtallus, chalcedonicus, amethyſtus, cyanus, & aliæ gemmæ. Nuſquam gentium videtur ſpecioſius: precium eius æſtimari non poteſt: Effoſſum & inuentum dicitur in Titi Veſpaſiani Thermis: dignum vas in quo tantus Imperator lauaretur.

Ex hoc cœnaculo ingreſſus patet in deambulacra marmorea: in quibus exquiſitæ artis imagines ſunt diſpoſitæ: inter quas eſt Mercurius venuſta & iuuenili forma, nudus, petaſatus, caduceatus, & talaria pedibus gerens: eſt & ibidem Cybele turrito vertice, cui adſtat Leo, & Atys adnixus pinui, ex cuius ramo dependet fiſtula, & cymbalum. Sunt & alia fragmenta antiquitatis & capita illuſtrium virorum. Ex hoc loco patet aſpectus in fontem ruſticum ſubiacentem amœniſſimis ſcaturiginibus: cuius ædificium incruſtatum eſt marmoribus variis, diuerſis tophis, conchyliis, & aliis marinis glareis, quæ monſtra Pelagi, piſcesque, & Deos æquoreos artificioſiſſime præſentant. Verbis exprimi non poteſt quanta loci pulchritudo, quantum ſingulorum quæ ibi videntur precium, & quantam admirationem ſpectantibus moueant.

Ante deambulacra de quibus dictum eſt ſuperius ſacellum eſt illuſtre picturis Michaelis Angeli; in quo expreſſi ſunt vultus multorum Principium, vt Pauli III. P. M. Caroli V. Imp. & aliorum.

Ad ſtationem Heluetiorum, qui excubant ante cubiculum Pontificis marmorea videtur ſtatua vnius Curiatij: cuius perfectio plurimis extollitur laudibus à ſculptoribus. Hoc palatium extrui cœptum eſt à Nicolao III. P. M. & paulatim ab aliis pontificibus auctum: poſtremo à Iulio II. & Leone X. ad perfectionem deductum eſt.

Templum S. Petri in Vaticano Pontificum Palatio contiguum eſt: cuius fabrica ſumptu, magnificentia, marmoribus, & opere longe vincit omnia templa, quæ toto terrarum orbe videntur: maxime ſtructura noua, quæ nondum eſt abſoluta: quæ poſtquam ad perfectionem deducta erit, vincet proculdubio decantatiſſimum illud Epheſinum templum, quod Eroſtratus cremauit, vt ex eo ſacrilegio ſibi famam aliquam, ac nomen perpetuum apud poſteritatem conciliaret.

In veteri templo ſunt erectæ viginti quatuor columnę altiſſimæ, quæ fulciunt vtrinque ſumptuoſum illud templi ædificium. Harum marmor variegatum eſt coloribus viuacibus & admirandis; nihil vſquam gentium ſpectatur excellentius: Templum S. Marci apud Venetos incruſtatum eſt inſignibus marmoribus, quæcunque potuerunt inueniri in omnibus antiquis Græciæ Deorum delubris: plurimaque illic ſpectantur, tam in pauimento, quam in parietibus circunquaque admirarione digna: ſed ſi cum his Vaticani columnis conferantur, longe iudicabuntur pulchritudine, varietate, ac precio cedere. Abſtractæ fuerunt ex Hadriani Imperatoris mole. Nihil ingenioſus ille Imperator, dum viueret, fecit, in quo ſingulare non appareret diuinæ mentis ſpecimen. Tantis animi corporisque cultus fuit dotibus, vt nihil ignoraſſe dictus ſit, quod ad hominem ſiue publicum ſiue priuatum pertineret. Tam perfectus in omni arte, tam expolitus omni eruditione, vt illum merito Traianus in filium adoptauerit, & ſucceſſorem Imperii dixerit.

Columnæ illæ ingentes, tortiles & foliatis circuncinctæ gyris, quæ ſuſtinent repoſitorium corporis Chriſti, ſicut & aliæ non abſimiles, quæ ſunt ſub receptaculo ſudarii Veronicæ (quod vultum ſanctum nominant) & aliæ quinque in ſacello ſacro, & vna quæ adhuc ſola erecta eſt in medio nouæ fabricæ: Hæ omnes ex palatio Salomonis ex Hieroſolymis aduectæ Romam dicuntur opera Titi Veſpaſiani poſt deuictos Iudæos, & euerſam eorum vrbem. Omnia enim ornamenta templi, & Regiæ domus à Romanis ſublata ſunt, & in Italiam translata. Ex hoc palatio quædam videntur columnæ Venetiis in chori ſuperioris poſtrema parte: quæ factæ ſunt ex Alabaſtro diaphano.

In ea templi Vaticani ſpacioſiſſima area, quæ Paradiſi nomine vulgo nuncupatur, reliquiæ ſunt ſepulchri Scipionis Africani, quod in valle Vaticana ſtructum fuerat, nempe meta, ſiue moles aut pyramis: ex qua nihil hodie ſupereſt, præter illam ingentem nucem pineam, & duo pauones ærei deaurati, quæ in hoc paradiſo repoſita videntur ingredientibus ad dextram. In cuius oppoſito pariete pictura eſt Ioti artificioſa teſſellato artificio, quam Romani plurimum laudant: Sed ſi conſiderentur ea omnia qui-

nia quibus fornices templi S.Marci apud Venetos incruſtati ſunt, tam Græcanico opere antiquo,quam recenti, videbant ſpectatores, Romanam Ioti Moſaicam (ſic enim appellant hoc opus vermiculatum) multo eſſe inferiorem, & artificio minori compactam.

Ibidem videtur ædificium marmoreum,quod tectum eſt vno lapide porphyritico vaſtiſſimo.Sepulchrum eſſe dicitur Othonis II. Rom. Imp. Nuſquam in tota Italia videtur Porphyrus tantæ magnitudinis:ſi tamen excipias tectum S.Mariæ rotundæ quod eſt Rauennæ,quodque fuit olim monumentum Theodorici regis Oſtrogotthorum.

Prolixum eſſet nimis ſingulatim omnia recitare quæcunque videntur notatu digna in hoc templo,tam in noua,quam in veteri fabrica: maxime quæ ſunt in Pontificum palatio:in quo nullum ornamentum poteſt deſiderari, ex omnibus iis, quæ ab antiquitate peruenerunt ad noſtra ſæcula:neque ex iis,quæ recentioribus temporibus comminiſci potuit humana mens, & perfectiſſimorum artificum vigilans induſtria, tam ſculptorum quam pictorum.&prætet cætera,maxime commendatur pictura illa quæ videtur in deambulacris:qua expreſſus eſt Conſtantini conflictus cum Maxentio ad pontem Miluium: & alia plurima monumenta quæ Romæ reliquit Raphael Sanctius Vrbinas pictor ſua ætate laudatiſſimus.de quo ſcripſit Poeta Italus: TIMVIT QVO SOSPITE VINCI RERVM MAGNA PARENS ET MORIENTE MORI.licet hoc elogium nonnulli ad Michaelem Angelum Bonarotum transferre malint.

De Bibliothecis Vaticanis maiore,& minore ſecretiore, non eſt quod multis vtar verbis:Si quid antiquum,ſi quid rarum,ſi quid exquiſitum toto ſeruatur orbe, heic videri poſſunt, quæ ſunt excellentiſſima. Mirandæ ſunt Bibliothecæ Florentini Ducis, quæ ad S.Laurentium & S.Marcum ſtructæ ſunt: miranda eſt illa Principis Vrbinatis, & aliæ per totam Italiam ſelectiſſimæ,ſed omnes in vnum collatæ, vix referent, aut æquabunt vnam Vaticanam:Quam qui luſtrauerit diligentius, in ea nihil deſiderabit, quod ad admirationem,curam,aut ſtudium viri literati facere poſſit. Tam multi ſunt in ea libri ex membranis,linteis, corticibus, & antiqua papyro (nam quam hodie papyrum vulgus vocat,charta eſt)vt Ægyptiorum illam Ptolomæi bibliothecam ſuperare hæc probari poſſit. Hanc bibliothecam ſtabiliuit Nicolaus V. P. M. & Symmachus plurimum auxit.

In platea media,quæ latiſſima expanditur ante pontificias ędes & S. Petri delubrum, obeliſcus ille ſtat integer ex lapide ophite cuius altitudo eſt pedum 170.præter baſim:quæ continet 37. Obeliſcus in inferiore parte latus eſt ped.12.in ſuperiore vero octo.Fuerat ante paucos annos erectus ad ſiniſtrum Templi Vaticani latus in Circo Neronis: ſed Sixti IV.P.M.beneficio inde translatus eſt in mediam plateam loco celebriori, opera Dominici Fontanæ Architecti Comenſis:quod contigit anno 1586.neſcio an in hoc magis admirari debeamus audaciam Architecti, quam artis efficaciam:qua potuit ſaxum tanti ponderis ſuo loco mouere,& alio transferre ſine ruptione:Solus enim obeliſcus præter baſim ſuperat pondus 956148.librarum:præter vectes,repagula,cingula, & harpagines ferreas quibus oportuit tantam molem lapideam cingi vt poſſet facilius comprehendi,& alio moueri: quæ omnia decies centena millia quadraginta duo millia octingentas & viginti quatuor libras æquabant.

Hic quoque notandum eſt, ad templum Vaticanum adiacere fanum S. Petronellæ, quod fuit olim ſacratum Apollini. Et quod dicatum eſt S.Mariæ in Febre,fuit olim Marti.

Mons Vaticanus continet eos omnes colles,qui à monte S. Crucis ad S. Honufrium protenduntur:inter quos ſunt & illi monticuli ſiluoſi,qui palatio Pontificio vicini ſunt: in quibus Damarum nutriuntur armenta.

Naumachia Neronis Circo eiuſdem Principis erat vicina,in qua ludi nauales exhibebantur populo,& Chriſtiani martyres crudeliſſimis excarnificabantur ſuppliciis: erat enim non procul ab ea porta quæ hodie *Pertuſa* dicitur:vnde legitur Templum S.Petri prope Neronis Naumachiam fuiſſe ſtructum.

Portæ Burgi numerantur quinque. Prima eſt Ælia ad caſtellum S. Angeli: Secunda dicitur S. Petri, ſub hortis Pontificiis. Tertia Pertuſa in elatiore collis eſt parte

poſt

post S.Petri fabricam. Quarta Palatio Cæsiano est vicina, qua itur ad S. Honofrium. Quinta vocata est triumphalis, nunc S. Spiritus. ad hanc Borbonius ictu glandis plumbeæ ictus periit; & per eam eius exercitus vrbem occupauit.

Xenodochium siue Hospitale S. Spiritus ab Innocentio III. primo ædificatum, postea multis ædificiis ampliatum, Sixi IV. P.M. sumptibus pauperum & hospitum peregrinorum vsibus, & necessitatibus dicatum est. In eo sicut & in Laterano diligentissime, ac summa cura tractantur hospites, ægroti maxime: ad quorum commoda Pharmacopolium omnis generis medicamentorum instructissimum erectum est, medici expertissimi, ac fidelissimi constituti sunt, qui aduenarum vsibus fidelissimam præstant operam. Fitque sæpius vt non solum pauperes & egeni sese eo transferant, sed etiam opulentiores & ingenui ciues, qui familiam non alunt: vt curentur. Exactius in hoc suis sumptibus Xenodochio tractantur. opus Christianæ charitati ac dilectioni proprium.

Circus Iulij Cæsaris fuit sub Ianiculo, eius ruinæ in vineis sub templo S. Honufrij fere solo æquatæ conspiciuntur.

Ianiculus mons extenditur à templo S. Honufrij vsque ad Vrbis portam Transtyberinam (vbi erat Naumachia) quam nunc portam Ripæ vocant. Et quemadmodum Vaticanus mons extra portas vrbis fuit, nec multa habuit memoratu digna, præter ea quæ superius explicauimus: ita quoq; in Ianiculo paucæ restant reliquiæ, vel priscæ antiquitatis monumenta: quod ea pars Vrbis à vulgari plebe, & sedentariis artificibus fuerit olim habitata.

Videntur tamen humiles ruinæ sepulchri Numæ Pompilij, in hortis qui subiacent monti aureo: ex quibus tamen colligi non potest fuisse illic aliquid sumptuosum, vel rege dignum.

In monte aureo (qui ita vocatur à fabulo scintillante tãquam aurum quod illic nascitur) structum est templum S. Petri: in quo videtur ad summum altare tabula transfigurationis Christi, à Raphaele Sanctio Vrbinate depicta: & loco semicirculari flagellatio est Christi Fr. Bartholomei Parmensis expressa penicillo: Ex opposito est historia S. Francisci, quam pinxit M. Angelus, cum adhuc esset iuuenis.

In eodem templo erectum est insigne Iulij III. de Monte P.M. sepulchrum: quod sibi, dum viueret, struxit. conditus tamen iacet in Vaticano loco humili & inglorio.

Structura illa rotunda, Dorica architectura, quæ Templo S. Petri vicina est, sacra fuit olim Sybillæ Tiburtinæ: facta ad similitudinem illius fani, quod videtur Tiburi.

Porta S. Pancratij hodie dicta, fuit olim Aureliana, siue Septimiana; quod à Septimio Seuero instaurata sit, & ad eam Thermas & aram extruxerit idem Imperator.

Extra hanc Portam extat adhuc aquæ ductus non admodum altus, opere per rhombos distincto: per hunc ex Alsietino lacu defluebant aquæ in Thermas Septimianas, & Philippi Imp. & in Naumachiam Augusti.

Meritoria Romanorum militum eo loco fuisse dicuntur, vbi hodie templum est sanctæ Mariæ in Transtyberina. Erat enim hic locus quasi nosocomium, vel nosodochium: in quod quicunque ex militibus, aut emeritis veteranis, corpore mutilus, aut alioquin æger se recipiebat, cum bellicam artem non posset amplius exercere: atque illic reliquum vitæ tempus sub medicorum cura publicis impensis & alimonia transigebat. Vicinas enim habuit ædes & aram Æsculapius, ad quam qui conualuerant à morbis, sacra facere erant soliti.

Naumachia, locus fuit, vbi omnia instrumenta bellica, quæ ad classes instruendas erant necessaria reponebantur, quale est Arsenale Venetum: Fuitque eo loco qui dicitur hodie à Ripa: vbi vinum venale proponitur, quod ex Ostia nauigio per Tyberin in vrbem inuehitur.

Pons Aurelius siue Ianiculensis transtyberinam regionem coniungebat vrbi. Dictus est olim marmoratus; quod ab Antonino Pio marmore fuisset tectus: Qui cum bellis ciuilibus

libus confractus esset, *Ponte rotto* vocatus est; Sed postea Xysti III. P. M. impẽsis ad eam quæ nunc videtur magnificentiam instauratus de Pontificis nomine *Ponte Xysto* nominatur.

Paulo inferius, è regione Naumachiæ siue Arsenalis, reliquiæ adhuc quædam conspicintur Pontis Sublicij; qui olim ligneus fuit, quo tempore Horatius Cocles impetum sustinuit hostium, dum pons deiiceretur, ne per eum in Vrbem irruerẽt Hetrusci. Hunc postea lapideum struxit Æmilius Lepidus. Ex eo præcipitatus est in Tyberim Heliogabalus saxo ad ceruicem alligato.

Haud procul inde fuerunt Prata Mutia: quæ data sunt Mutio Sceuolæ propter magnanimitatem & fortitudinem, ob egregium illud facinus, quo aggressus est Porsenam Hetruscorum regem.

Turres illæ duæ, quæ ad vtramque Tyberis partem videntur prope portum Ripæ, structæ sunt à Leone IV. ad arcendas Saracenorum incursiones, qui nauigiis per Tyberim actis Romam infestabant. Idem quoque Pontifex primus cinxit mœnibus Vaticanum, ad arcendos Saracenos: quodque nos hodie Burgum dicimus, ciuitas Leonina vocabatur: quæ postea ab Alexandro VI. aucta est, & ædificiis ampliata, dictaq; Alexandrina ciuitas. Hic Alexander pontifex Hadriani molem in arcem munitissimam erexit, adiunctis turribus & vallis: secretoque illo curritorio, per quod ex Vaticanis ædibus in Castellum S. *Angeli* se reciperet.

Insula Tyberina olim excreuisse dicitur ex segetibus Tarquinij Superbi, in alueum fluuij coniectis: ad quas paulatim arenarum cumuli, & excrementa Vrbis sunt addita: succesluque temporis emersit terra, quæ firmari cœpit: & solidiorem sumens basim ædificiis in ea struendis facta est commoda: Lata quidem non est admodum, sed stadia duo sua æquat longitudne. Æsculapio sacra fuit antiquitus, hac causa. Cum Romani contagiosa lue laborarent, *Apollinis* oraculo iussi sunt ex Epidauro Romam Æsculapium accersere: qui in specie serpentis ex ara templi prosiliens, in naues legatorum Romanorum, quæ in portu erant, tortuosis repens voluminibus, magna spectantium admiratione conscendit. Cumq; ad Ostiam peruenisset navis, per Tyberim in Vrbem appulsa ad hanc insulam consedisse fertur, neque inde potuit abstrahi: quæ res argumentum Romanis dedit, Deum velle coli eo loco. Ideo ex Senatus consulto illi templum erectum est: quod hodie S. Barptolomeo sacrum est. Videturque adhuc in fine inferiore Insulæ nauis illius forma, quę ex lapide formata erat: & quam inundatio fluminis rapidior superioribus annis detexit.

In transtyberina Vrbe Farnesius Cardinalis habet hortum variis statuis illustrem. In eo enim videtur Venus marmorea seminuda, concham manu tenens: ad cuius latus sunt duo pueri nudi inuersis in humeros palliolis, & vrnæ duæ. Videtur ibidem monumentum siue pila ingens antiqua, in cuius anteriore frontispicio diuersæ virorum, mulierum, ac Leonum figuræ expressæ sunt. Sub porticu eiusdem horti pila est alia, sculpta viris, leonibus, & equis. Ad ingressum maioris horti alia quoque demonstratur pila, simulacris nouem musarum insignis. Et alia è regione posita, vbi Bacchanalia sculpta sunt, cum Satyris ardentes tædas tenentibus: alij Silenum ebrium vectant.

Adhanc pilam iuncta est tabula marmorea, quæ fasces & secures Consulares continet. Alia quoque ibidem spectatur cum puerulis vuas gestantibus; & vascula, & alia quæ in Bacchanalibus exprimi solita sunt. Columna quoque illic ostenditur, rupta in tres partes: & inscriptione Græca notabilis: quæ inuenta est Tiburi: & vt aliqui affimant, ex Hierosolymis in Italiam olim translata. In eodem horto Farnesiano videtur alia Venus seminuda: & puellæ, & viri cuiusdam ignoti corpus, quod capite, crure, & manu vna truncatum est.

Inter canonicos S. Mariæ Transtyberinæ Iulius Roscius homo literatus, & antiquitatis apprime studiosus antiquum habet volumen inscriptionum manu pictarum, quarum hodie partem non videmus in Vrbe: hunc ille mihi aliquando communicauit, ex quo decerpsi plurima quæ duobus meis voluminibus inserui: inter quæ sunt duo Priapi, Anubis, & alia plurima: reliqua quibus certus locus non potest adsignari, tertio tomo inscriptionum adiicientur.

In domo Nicolai Guisæ statua ostenditur viri nudi, brachiis ingenua reclinatis

& ele-

& eleuata ſurſum facie, reiectoque in humeros pallio: ad cuius pedes quia iacet culter, ideo ſtatuæ nomen inditum eſt Aguzza coltelli.

Pons Ceſtius ſiue Eſquilinus Tranſtyberinam regionem cum inſula coniungit, à Valentiniano & Valente Imp. reſtauratus: vt ex inſcriptione ponti adpoſita probatur: hodie vocatur Pons S. Barptolomei: à templo huic ſancto dicato, quod olim vti diximus fuit Æſculapij.

Iuppiter quoque in ea Inſula delubrum ritibus & ceremoniis ſolemnibus illuſtre poſſedit: licet ædificio non ita auguſtum aut magnificum: nunc Ioannis Baptiſtæ nomen habet: in hoc adhuc duo marmorei tripodes triangulares ſeruantur, qui religioſe ad aram Iouis adſtabant.

In ſuperiore parte Inſulæ fuit templum Fauni, quod ante annos aliquot Tyberis inundatione fere eſt funditus euerſum: Ruinæ tamen eius ampliſſimæ ſuperſunt, quæ templi magnitudinem & ſumptuoſitatem ſatis oſtendunt.

Pons Fabricius, qui & Tarpeius dicebatur, Inſulam coniungit vrbi, è regione Theatri Marcelli: vocatur hodie Pons quatuor capitum: propter terminos ſiue Hermas quadrifontes marmoreos, qui ad principium Pontis erecti ſunt.

Sacella Solis & Lunæ integra fere videntur ſibi inuicem oppoſita prope hunc Pontem Fabricium, ad vtramque viæ partem.

Theatrum Marcelli ponti Fabricio vicinum eſt, conſtructum ab Octauio Auguſto, in honorem Marcelli filij Octauiæ ſororis Auguſti: in eo ſunt Sabellorum ædes: capax olim fuit hoc Theatrum octoginta millium hominum. cui Octauia Marcelli mater adiunxit bibliothecam, libris omnium diſciplinarum inſtructiſſimam.

Porticus quoque in honorem ſororis erecta eſt ab Auguſto Cæſare: quam diuerſis marmoribus & ſtatuis inſignium artificum excoluit, inter quas fuit Satyrus à Praxitele perfectus, & nouem Muſæ Timarchitis: quarum duæ videntur adhuc in hortis Carpenſibus: & Iunonis ſimulacrum, quod eſt in vinea Iulij III. P. M. ad viam Flaminiam. Porticus Octauiæ pars ſupereſt, prope Theatrum Marcelli: vbi fabri ferrarij ſuas habent officinas.

Spei templum ad hanc Porticum fieri fecit Germanicus Cæſar, prope forum holitorium, vbi locus eſt qui dicitur *Piazza Montanara*, cui fanum Auroræ iunctum erat, olim apud Romanos celebre: nunc eius veſtigium nullum apparet.

In domo Sabellorum, quæ eſt ſtructa in ruinis Theatri Marcelli, ad parietem ingens eſt tabula marmorea, in qua ſculptus eſt Leo, & tres viri armati cum clypeis more pugnantium. Sunt & ibidem duæ magnæ laruæ marmoreæ operis antiqui. Et ſuper horti porta videtur marmorea tabula, in qua virorum ſex ſunt figuræ: ad cuius vtrumq; latus ſtatuæ duæ ex Porphyro regum captiuorum & braccatorum: quæ capitibus carent. Ibidem in horto eſt ingens pila, in qua diuerſa ſunt animalia laboriose ſculpta. Oſtenditur & ibidem pila alia maior, in qua labores Herculis, & aliæ viriles imagines artificioſe ſunt expreſſæ. Super cuius operculo duæ ſunt ſculptæ imagines viri & mulieris, quorum corpora in ea pila erant recondita. Ibidem ſunt fragmenta Mercurij, & aliquot pilarum: quæ propter artificium ſeruantur.

Carceres plebis eo loco fuerunt, vbi hodie eſt ædes S. Nicolai in carcere; quod templum erat pietatis à M. Attilio Glabrione dicatum: propterea quod in eo carcere filia patrem in vinculis arctatum multis diebus aluit proprio lacte.

Iunonis Matutæ templum id erat, quod eſt hodie S. Andreæ in Mentuza dicatum, ſub Capitolio prope forum holitorium, à C. Cornelio Conſule ſacratum.

Pons ſenatorius, nunc Pons S. Mariæ Tranſtyberinæ is eſt, qui nunc ſub inſula Tyberina ruptus videtur. Vocatur que & alio nomine, nempe Pons S. Marię Ægyptiacę; propter templum eiuſdem Diuæ non longe à ponte diſſitum: dicebatur olim & Palatinus, & Senatorius: quod per eum Senatores ad legendos Sybillinos libros in Ianiculum religioſa Pompa gradiebantur, & in Palatium ad Imperatorum ædes reuerterentur.

Pilati domus (ſi vulgari famæ fidem habemus) ibi fuit, vbi prope pontem Senatorium altiſſimæ conſpiciuntur ruinæ. Sed re vera ſi quis eas contempletur attentius, cognoſcet illic fuiſſe lauacra, ſiue ſudatoria Laconica: quod ex caminorum canalibus frequentibus, qui vndequaque parietibus inſerti ſunt, facile iudicatur.

Forum Holitorium fuit, vbi hodie est platea Montanara, non procul à Theatro Marcelli, in quo fuisse diximus Spei templum à C. Cornelio dicatum: Quamuis hoc erectũ fuisse dicatur in foro Piscario: quod extendebatur à templo S. Mariæ in porticu secundum Tyberim, vsq; ad S. Mariam Ægyptiacam. Ibidem fuit ara Carmentæ quam Euander dedicauit in memoriam Nicostratæ matris suæ fatidicæ.

Templum Fortunæ virilis adhuc fere integrum est & illæsum, longo vtrinque columnarum ordine: nunc S. Mariæ Ægyptiacæ sacrum est. Quidam hoc asserunt fuisse Pudicitiæ matronalis delubrum: in quo fuit bucca veritatis: quæ statua erat marmorea, exertis labris, in os cuius Volaterrani reguli filia manum inseruit vt suam virginitatem impollutam probaret, cum ab anu Fesulana de stupro accusaretur: Quod cum paulo post idem tentasset alia puella eiusdem criminis rea, simulacrum os strinxit, & impudicæ dextram truncauit. Saxum illud amplum & rotundum ex Porphyro, in cuius medio leoninus extat rictus, quod ante scholam Græcam erectum est, hodie Bucca veritatis nuncupatur. Cuiusmodi in vrbe plusquam centum me animaduertisse memini ex diuersis marmoribus: quare stultum puto ad buccam veritatis hæc adplicare, quæ ad stillicidia, & receptacula aquarum pluuialium seruiuisse verisimile est.

In hac vicinia quædam sunt domus in quibus spectantur multa antiquitatis monumenta: vt in domo Gregorij Serlupi prope S. Angelum in Piscaria, caput est Vespasiani colosseum, ex candidissimo purissimoque marmore; tanto artificio elaboratum, vt tota Roma fortasse nihil videri possit perfectius aut absolutius.

In eadem vicinia in domo Gentilis Delphini multa sunt virorum illustrium capita: inter quæ primum obtinent locum Lucij Veri, Antonij à Traiano adamati, M. Aurelij adhuc iuuenis, Bacchi, pueri ridentis, & alia sex hominum ignotorum. Duæ quoque videntur ibidem tabulæ, in quibus tauri sunt artificiose sculpti: seruantur & in eadem domo multæ vrnæ antiquæ & inscriptiones.

Apud Valerium della Croce prope Plateam Iudæorum, in hortulo corpus est Herculis mutilatum & Hippolytæ Amazonis: insidentis equo, qui ephippium habet ex Leonina pelle: duo ibidem sunt Vrsorum capita, & vnum Leonis. Ibidem est Panis statua amicti pelle ferina, qui innititur trunco, ex quo dependet fistula calamorum octo. Est & illic pila grandis, in qua Meleagri Venatio repræsentata est. Et muliebres statuæ tres sine capite & brachiis: & Veneris nudæ: aliquotque capita pectore tenus suis basibus reposita, super ostiis cubiculorum, inter quæ est Iouis elegantissimum. In deambulacro domus varia capita illustrium videntur; & vas amplum marmoreum diaphanum, & corpus Apollinis: Conspiciũtur ibidem paruæ statuæ æneæ mirabilis artificij, vt Veneris nudæ: & Herculis quæ sublato brachio sustinet Anteum: statque hoc signum Herculis suis pedibus sine basi librato pondere ne labatur: est etiam vaccæ æneæ simulacrum: & Tigris ex marmore.

Apud Honufrium della Croce ostenditur viri togati statua in ingenti tabula: cui est adscriptum: VALERIVS PVBLICOLA. Et fragmentum corporis virilis, quod summopere laudatur à Michaele Angelo.

In domo Hieronymi Crucei ad dextram videtur Tabula ingens, in qua sculpti sunt quinque fasces Cõsulares cum securibus consularibus: in cuius parte inferiore legitur: FASCES ET SECVRES CONSVLARES. Ibidem est simulacrum Medij fidij: in quo sculpti sunt Honos & Virtus quos amor medius coniungit.

Asylum quidam asserunt id fuisse spatium, quod inter S. Mariæ Ægyptiacæ templũ, Scholam Græcam, & Tyberim protenditur: & ideo Misericordiæ ædem illic fuisse contendunt: quod eo refugientibus admissorum criminum impunitas promittebatur: multi volunt in medio Capitolij fuisse Asylum: quod Octauius Augustus sustulit, multorum malorum ac scelerum occasionem.

Ara Veste fuit olim à Numa Pompilio erecta prope Asylum, vbi sacra Deæ fiebant. Fuitque id rotundum ædificium Corinthiacis vndique sustentatum columnis, quod est è regione S. Mariæ Ægyptiacæ: nunc S. Stephano dicatum: eius forma est orbicularis, sicut Panthei: lucemque admittit superiore apertura, quæ in media fornice relicta est.

Tarpeia rupes vocatur id præcipitium, quod est posteriore Capitolij parte: & recta

ſpectat hanc aram Veſtæ: ex hac Manlius affectatæ tyrannidis reus, edicto Senatus præcipitatus eſt.

Domus Ouidij oſtenditur inter eas ruinas quæ ſunt non procul à templo S. Mariæ della Conſolatione: alij dicunt fuiſſe in vico Iugario prope portam Carmentalem ad radices Capitolij prope forum holitorium: vbi quoque Valerius Amerinus habitauit, vbi Opis & Saturnus ædes habuerunt.

Templum Veſtæ, quod à Romulo poſt Vrbem conditam eſt ædificatum inter Capitolium & Palatinum, fuit eo loco, vbi nunc eſt Templum S. Mariæ delle Gratiæ (alii S. Mariæ della Conſolatione volunt) In eo Veſtales virgines ignem ſacrum & inextinctum cuſtodiebant: & Palladium: quod erat ſimulachrum Palladis ligneum verſatilibus oculis: olim ab Ænea ex Troia, cum Penatibus Ilij in Italiam deportatum. Hoc templum Deæ cum conflagraſſet, ex incendio ereptum Palladium translatum eſt in Veliam: vbi eſt delubrum S. Andreæ in Pallara.

Forum Boarium dictum eſt, quod Euander ob receptos Geryonis boues, & interfectum Cacum illic boue ſacrum feciſſet Herculi: vel quod boues illic venderentur: Incipit à Velabro, & extenditur inter Palatinum & Scholam Græcam, & templum S. Gregorij vſq; ad Forum Romanum.

Arcus Boarius adiacet templo S. Gregorij in Velabro, totus eſt marmoreus, artificioſiſſimis ſacrificantiũ figuris inſignitus. Erectus olim in honorem Septimii Seueri, & M. Aurelii Imp. ab argentariis & negotiatoribus: vt patet ex inſcriptione. IMP. CÆS. L. SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAX. FORTISSIMO FELICISSIMO PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. XII. IMP. XI. Cos. III. PATRI PATRIÆ. ET IMP. M. AVRELIO ANTONINO PIO FELICI AVG. TRIB. POTEST. VII. Cos. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO FELICISSIMOQVE PRINCIPI. ET IVLIÆ AVG. N. ET CASTRORVM ET SENATVS ET PATRIÆ ET IMP. CÆS. M. AVRELII ANTONINI PII FELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI BRITANNICI MAXIMI.

ARGENTARII ET NEGOTIANTES BOARII HVIVS LOCI QVI DEVOTI NVMINI EORVM INVEHENT.

Templum Iani quadrifrontis videtur huic arcui vicinum: Quadratum eſt, & in vnaquaque fronte Porta ampliſſima: ſuperiuſque duodecim receptacula quibus olim menſium ſimulacra continebantur. Ianus enim ſacrificiorum Princeps eſt habitus apud Antiquos: & eundem cum Vertumno crediderunt. Multa fuerunt Romæ templa Iano ſacrata: aliud fuit prope Portam Carmentalem iuxta Theatrum Marcelli, quod Numa erexerat: habuitque tantum duas portas, quæ pacis temporibus claudebantur, bello autem relinquebantur apertæ. Hoc ter tantum clauſum fuiſſe prodiderunt hiſtoriæ. Primo à Numa conditore: Secundo à T. Manlio Conſule: Tertio ab Auguſto Cæſare, poſt bellum Actiacum, Suetonius refert à Nerone quarto fuiſſe clauſum: quod ex eiuſdem Imperatoris numiſmatibus probatur: in quorum auerſa facie legitur: PACE POPVLO ROMANO VBIQVE PARTA IANVM CLVSIT. Hodie templum hoc S. Catharinæ ſacrum eſt.

Velabri ædes hodie S. Greorgii in Velabro dicitur. Velabrum vocarunt antiqui, à velatura, ſiue vectura: quod tempore inundationis Tyberinæ, ij qui Auentinum petebant, cogebantur naulo ſoluto illic pecuniam ſoluere, & lintribus in aliam ripam tranſuehi.

Schola græca dicitur, ante quam erecta eſt ingens illa facies Porphyritica, cui buccæ veritatis nomen eſt. In ea S. Ambroſius docuiſſe creditur. Fuit olim templum Fortunæ Primigeniæ, nunc S. Mariæ dicatum.

Herculis Victoris fuit olim templum è regione Scholæ Græcæ verſus Tyberim: vbi hodie videtur adhuc ædificium rotundum fornice tectum. dirutum fuit à Sixto IV. P. M. In hoc templum neque muſcæ neque canes vt fama prodidit, ingrediebantur: tanta fuit veneratione apud antiquos, & hanc cauſam referunt. Cum Hercules cum victimariis Ioui ſacrificaturus eſſet, & à muſcis moleſtaretur, myagrium Deum muſcarum rogaſſe fertur vt Muſcas à carnibus arceret: clauam autem ſuã ad templi fores appendit, quã canes formidabant,

bant,neque audebant ostio appropinquare:Sacris quæ in eo fiebant , non aderant mulieres, neque serui neq; liberti,sed liberi tantum liberisque parentibus nati.

Ara maxima prope scholam Græcam ab Hercule fuit erecta : prope quam Æmilius ædificauit Pudicitiæ Patriciæ fanum:in quod cum ingressa esset Virginia nobilis quidem, sed plebeii viri vxor,à reliquis matronis eiecta est:quæ offensa propter repulsam , in vico longo Pudicitiæ Plebeiæ templum erexit:à qua patriciæ quoque matronæ arcebãtur. Hæc duo templa non extant:neque eorum vestigia,licet à multis illis loca adsignentur coniecturis non admodum probabilibus.

Mons Auentinus diu infamis habitus est,& inauspicatus,propter auspicia Remo non secunda: quodq; Remus in eo cæsus esset & sepultus;ideo fratri à Romulo sacratus est:Sed cum Vrbis mœnia fuissent à principio nimis angusta , Ancus Martius Auentinum concessit Sabinis habitandum:quamuis non desint,qui asserant sub Claudio Imperatore primum cœpisse habitari.Hodie nomen antiquum retinet.

Dianæ templum in Auentini vertice ab Anco erectum est , quod omnibus Latinis commune fuit:alii dicunt à Seruio Tullio structum : qui quia ex serua Corniculana natus esset,ideo diem festum quotannis idibus Augusti seruis omnibus in eo loco statuit.nunc sacrum est S.Sabinæ.

Bona Dea prope Dianæ delubrum habuit,à Claudia Vestali ædificatum in honorem Faunæ siue Fatuæ,Fauni Latinorum regis sororis:quæ inter deas relata est.nunc est S.Mariæ Auentinæ dicatum.

Hercules Victor fanum habuit in summo Auentino,quod hodie dicitur S.Alexij : & illi iunctum fuit Lunæ sacellum:quod hodie conspicitur semidirutum.

Prope templum Bonæ Deæ domum habuit Iulius Cæsar: ex hac Calpurnia Cæsaris vxor cum se ad sacra nocturna bonæ Deæ cum reliquis matronis contulisset, illius amore captus Clodius habitu muliebri tectus eo se contulit:cumque loci ignarus huc & illuc vagaretur,vt amicam quæreret,neque virorum vlli sacris Deæ liceret interesse , nescius quas ceremonias deberet seruare,ab ancilla proditus est.

Thermas ad Auentinum extruxit sumptuosas Decius Imperator,quarum adhuc extant ingentes ruinæ,non procul à templo S.Priscæ,quod olim fuit Herculis.

Prope hoc templum vineam habet Valerius S.Crucis & domum rusticam : in cuius hortulo Consularis statua videtur prætextata,manu baculum continens. Ibidem quoque videtur alia consularis imago eiusdem habitus,sed paulo minor.& Veneris seminudæ : & corpus virile,quod super columna repositum est : & alia muliebris statua , cuius nomen ignotum est.

Remoria vocatur is locus,vbi Remus cum suis auspicatus est:qui priscum nomen hodie retinet:vocantque Romani Remoriam viam, quæ à Circo maximo per dorsum Auentini recta ducit ad munitionem Pauli III.Farnesij.in ea via cæsus est à Celere Remus Romuli iussu,& ibidem sepultus.

Varianæ Thermæ Decianis adiacent:vbi hodie ingentes arcus fornicum,&murorum reliquiæ Tyberi imminere conspiciuntur prope S.Alexium.

Thermæ quoque Traiani cum palatio superioribus coniunctæ fuerunt in vltima parte Auentini:quarum adhuc ruinæ frequentes videntur ad Munitionem Farnesiam & portam veterem Tergeminam,in vinea Francisci Albertini ciuis Romani.

Spelunca Caci,eo loco fuisse dicitur,vbi rupes aspera & exesa,locusque accliuis cernitur spectãs Tyberim,è regione S.Mariæ Auentinæ.Hunc cum mactasset Hercules,quod boues,quos ex Hispania deuictis Geryonibus captiuos abducebat, auersis caudis in id antrum traxisset:ibidem aram Ioui inuentori erexit,vbi postea templum extructum est Herculi.

Ad hoc præcipitium fuerunt olim Scalæ Gemoniæ, vbi facinorosi & scelerati vncis tracti immaniter trucidabantur.Ad has Vitellius Imperator furca sub mento applicata, & vestibus ad nates vsque turpiter laceris,Vespasiani iussu necatus est:quod paulo ante Sabinum Vespasiani fratrem è viuis sustulisset.

Porta Tergemina antiquissima ex opere latericio adhuc hodie fere integra videtur ad

Auentini radices, prope Tyberim, ad vineas, quæ Traiani Thermis adiacent. Per hanc portam exiuerunt vrbe Tergemini fratres Horatii, vt contra Curiatios Albanos pro patriæ libertate decertarent: quibus cæsis, ac duobus fratribus amissis Horatius ouans in vrbem regressus est.

Horrea P.R. quæ à Diocletiano aucta & instaurata eius nomen sumpserunt, conspiciuntur inter Tyberim & montem Testaceum, centum & quinquaginta cellis conspicua. Horum ruinæ, instar arcis amplissimæ adhuc extant in vinea Iulij Cæsarini patricij Romani.

Mons Testaceus huic adiacet vineæ; qui ex vasta congerie vasorum fictilium erectus est. De hac vrnarum coaceruatione variæ feruntur opiniones. Quidam existimant montẽ hunc (qui in circuitu suo fere duo millia passuum continet, & in altitudine plusquam centum & sexaginta pedes) in tantam vastitatem insurrexisse ex fragmentis ollarum, quæ à figulis, eam vrbis partem circa flumen incolentibus congerebantur: ne si in Tyberim proiecta essent, fluuij cursum impedirent vel si in agros vicinos essent exonerata, locorum obsessent fertilitati. Quidam, sed inepte prorsus, eum vocant *Monte d' Ogniterra*: fabulantes coniectura ridicula erectum fuisse ex vasibus diuersarum nationum, quibus tributa Romam importabant. Et vasa in eum locum memoriæ causa detrudi iubebantur.

Circus Olympicus totum id spatium loci complectebatur, quod Testaceum montem continet. Hinc fit verisimile aliquibus doctioribus, qui antiquitatis monimenta diligentius perueſtigant, locum illum non fuisse tributum figulis, qui Tyberinam habitabant ripam, vt in eo circo suarum fornacum exonerarent excrementa, qui iuuentutis exercitiis maxime nobilium, sacer erat: vt in eo quadrigis, equis, cursu, luctaque sese exercerent.

Pyramis C. Cestii Septemuiri Epulonum adhuc integra conspicitur ad portam Ostiẽsem, mœnibus vrbis inclusa. Structa est ex candido marmore saxis ingentibus & quadratis, & quamuis in eius frontispicio quod Testaceum spectat maiusculis literis nomen C. Cestii referat: volunt tamen doctiores hanc Pyramidem fuisse sepulchrum commune omnibus Epulonum septemuiris. Erant enim Epulones, qui curam gerebant conuiuiorum, quæ fiebant diebus festis & solemnibus sacrificijs in honorem Deorum.

Porta Ostiensis, quæ nunc S. Pauli dicitur, Pyramidi Cestij vicina est: per eam Ostiensi via (quam struxit Ancus Martius) Ostiam venitur. Extra hanc portam statim se offert templum illud splendidum quod diuo Paulo dicatum est. In quo quatuor sunt ordines columnarum ingentium marmorearum Dorico & Corinthio opere: præter alias innumeras Atticas & Ionicas, quæ totum chori sustinent ædificium. Neque vllum Romæ inuenias templũ, quod columnarum frequentiore numero, vel exquisitioribus marmoribus sit excultum, quam hoc: Aductæ enim sunt hæc omnia ex duplici portu Ostiensi Neroniano, & Antoniniano, qui magnificentissimis structuris fuerunt ornati.

Ostiensi via ad Tyberim relicta, pons sese offert ad læuam, riuo non admodum magno superiacens. A quo semita sese extendit in colles vicinos, ducitque ad eum locum qui vocatur *Tre fontane*. Templum est antiquum: ante cuius porticum porphyriticæ extolluntur columnæ preciosissimæ: variegatæ enim sunt venustissime rubro ac cinericio colore. Intrinsecus ostenduntur tres fontium scaturigines: quarum aquæ sacrosanctæ vulgo existimantur, ac morbis multis mederi. In eo loco Paulus Apostolus sub Nerone truncatus capite creditur.

Hæc primo die diligenter perlustrasse satis erit.

VRBIS

VRBIS ROMANÆ TOPOGRAPHIA,

DIES SECVNDVS.

POSTERO die cum ex Burgo ingrederis Vrbem, per Ælium siue Castelli S. Angeli pontem, venies ad bifurcatam viam : quæ ad dextram est versus Tyberim; vocatur *Strada Iulia*: illic domus est Bernardi Alberici, vbi in hortulo videtur M. Catonis caput: & statua leonis inhiantis equo.

In ædibus Bindi Altouiti , quę sunt non procul ab Ælio ponte ad ingressum alterius vici qui Bauco vocatur , in cubiculo capita videntur concinno ordine collocata suis basibus in circuitu, Vespasiani, Mutii Sceuolæ, Augusti, Antonini Caracallæ, Iulii Cæsaris, Galeriæ Faustinæ, Opilij Macrini, Marii septies Consulis & satyri venustissimi. Ibidem videtur statua Cupidinis continentis lupum, & Autumni : aliaque fragmenta antiquitatis, tabulæ elegantes marmoreæ antiquæ & pictæ recenti opere.

Ad dextram visitur Petri Strozzæ palatium, simulachris antiquis exornatum. Ingressis enim primam aream domus , offert sese ingens Meleagri & Atalantæ statua marmorea ex candidissimo lapide: opus laudatissimum ; propter signorum venustatem , & sculptoris artem admirandam. Superiora huius Palatij cœnacula sunt tabulis frequentibus , & imaginibus Imperatorum exculta: Sed quia eiusmodi ornamenta videntur multis in locis Romæ, in eorum enumeratione diutius non hærebimus. Sufficiet si hospes contemplatione tam variarum rerum se exhilarans, vlterius progrediatur , veniatque ad eum locum vbi via in duas distribuitur partes. Læua pars, quæ ad ædes Sabellorum ducit, quia nihil admodum notatu dignum ostentat, relinquenda est , dimissoque palatio Cardinalis S. Floræ, quod tamen plurima continet obseruatione dignissima, & splendorem tanti Principis referentia: quia tamen ad antiquitates de quibus hic agimus non faciunt, ea faciemus missa: & obiter perlustratis omnibus, ad viam Peregrini, & montem Iordanum contendemus. in cuius eminentiore parte Pauli Iordani palatium sese attollit diuersis ornamētis insigne: Plurima enim illic videntur tam antiqua quam recentiora; quæ accurate ac diligenter singula considerasse, nemini vnquam labor pœnitendus esse poterit.

Apud Ardicium, qui ad montem Iordanum habitat , elegans ostenditur statua viri nudi, pallio ad læuam inflexo.

Apud Vincentium Stampam in Campo Flisco in cœnaculo maiore multa sunt illustriū hominum capita: vt Lucretiæ, Iuliæ Titi filiæ, Iuliæ Mammeæ, Ælii Pertinacis , Drusi fratris Tiberii Imp. Et ipsius Tiberij. Hadriani. M. Aurelij. Heliogabali. Neronis. Augusti. Philippi Macedonis Amyntæ filii. Palladis. Apollinis. Et alia capita plusquam viginti hominum ignotorum: item Satyri, Veneris , & pueri ridentis. Tres Charites. pueri statua quam credunt esse Gordiani: & capita Fauni, & Termini.

Inde descenditur ad ædes Cardinalis Putei: in quibus sunt aliquot antiqua capita , vt Hadriani, Augusti, Faustinæ iunioris: Et alia ignota: sunt ibidem aliquot inscriptiones antiquæ, vasa ex alabastro, & Simithe lapide, quorum precium æstimari non potest.

E regione ex opposito diuersorii Galli in Parione Francisci Liscæ domus est: in qua tres visuntur elegantes statuæ virginis Vestalis amictę stola , Iuliæ Pompeii Magni vxoris togatæ, & Panis semicapri, ad cuius pedes iacet aries. Alia videntur sub porticu domus simulachra, vt Pomonæ, Siluani nudi, Famæ, Bacchi, Arethusæ nymphæ, Cybeles, Fauni, qui cauda tigrem tenet & baculo illi minitatur. Iunonis Lucinæ togata statua, quæ ramum rosarii tenet: Hebes Iunonis filiæ, quæ vrnam videtur aquā fundere. Et Apollo nudus in truncū cubito inflexus, circa quem sese implicat serpens: ibidē videtur & caput Auentini regis Albæ Longæ: & Agrippinæ filię Germanici, & matris Neronis: apud eundem in hortulo diuersæ sunt inscriptiones antiquæ, & fragmenta antiquitatis non contemnenda.

In eodem Parionis siue Hyperionis vico palatium est cardinalis Medicini; in quo multa sunt elegantissima capita illustrium virorum: vt Iouis, Palladis, Iulii Cæsaris, Augusti, &

aliòrum,&marmora grandia cum ſtatuis militaribus & inſcriptionibus,quæ omnia magnis ſumptibus Tibure curauit Romam aduehi:ad ſuæ domus cultum.

Ad finem Hyperionis ſunt Arianæ ædes ampliſſimæ:ad quarum angulum ſita eſt illa tota Vrbe,imo toto orbe celeberrima Paſquini ſtatua:cuius feſtum celebratur toto fere anno, ſed maxime in die S. Marci. *Ad* hanc ſolent Romani adfigere ſcommata,& famoſa epigrammata:quibus innoteſcit omnibus quicquid ioci aut vitiorum tota vrbe ſolet committi inter Principes,ac matronas nobiliores : plerumque cum infamia ac dedecore multorum:cum Satyrica illa ſcripta nullius nomini,conditionique parcant:imo etiam ſæpiſſime ſummorũ Pontificum geſta, ioci,ac ſecretiora dicta in eo loco publicentur. Et Cardinalium collegium turpi ſanna plerumque ſugillatur. Statuã hanc quidam aſſerunt fuiſſe *Alexandri* magni,alii Herculis: Sed horum opinio quibus argumentis probari poſſit neſcio:cum in ea nullũ ſignum appareat,quo poſſimus coniectari fuiſſe alterutrum. Factam tamen ab excellẽtiſſimo conſtat artifice: Et à ſculptoribus hodiernis admodum probari videmus,propter mẽbrorum & muſculorum concinnam ſymmetriam:licet tota ſit confracta & mutilata.

Haud procul inde vaſtum illud palatium Cancellariæ quadrato ædificio,ac totum ex Tiburtino lapide conſtructum:Hoc ædificatum eſt ex ruinis *Amphitheatri* Titi Veſpaſiani, quod *Coliſeum* vocant:Ne tamen hæc tam magnifica ſtructura prorſus deleretur,Pontifices voluerunt aliquam eius partem relinqui ſuperſtitem,vt ex ea appareret ſplendor integri ædificii:In hoc palatio Cancellariæ, primo ſtatim ingreſſu apparent duæ ingentes coloſſeæ ſtatuæ muliebres,quæ dicuntur fuiſſe Opis & Cereris. In cœnaculo ſuperiore multa ſunt excellentia opera capitum diſpoſita bello ordine cum ſuis baſibus, ſinguſa marmoreis loculis. Inter quæ ſunt capita Sept. Seueri, *Antonini* Pii, Titi, *Auguſti* , Domitiani,Getæ Imp. Sabinæ mulieris,gladiatoris ignoti,Pyrrhi regis Epirotarum,& ſtatua Cupidinis. In conclaui poſteriori fragmenta mutilata ſimulacrorum ſeruantur plurima:duo Iuuenes humeris geſtantes vrnas:tres ſtatuæ nudæ ſed confractæ:& pluſquam quinquaginta capita ignotorum hominum.

Ad angulum poſteriorem huius palatii ſunt ædes Pauli Galli,paruę quidem , ſed quæ architechtura & artificio non cedunt amplioribus. Super porta prima repoſitum eſt caput Romuli in Niſchio marmoreo. Intus eſt ſtatua *Apollinis* pharetrati nuda & integra: Et M. *Aurelij* caput in corte Pila eſt ingens quę diuerſis foliis artificioſe variegata eſt:& duæ ſtatuæ muliebres mutilæ:ex quibus vna eſt ex marmore Miſchio viridi variegato. Ibidem erectum eſt egregium Bacchi nudi ſimulacrum,redimiti pampinis & vuis,& cum Satyro colludentis:Bacchus hic dicitur ſculptus à Michaele *Angelo* Bonaroto,cum primum Romam iuuenis veniſſet Florentia:eo tempore primum locum inter pictores totius orbis facile obtinebat Raphael Sanctius Vrbinas: Is cum tacite Bonaroti famæ inuideret, & illius honorẽ creſcentem ſtuderet ſubuertere:Michaelem non latuerunt Sanctii conſilia : cumque Florentino eſſet ingenium elatum & in vindictam pronum,ex aduerſarii iudicio ſibi famam apud Romanos ſtabilire conſtituit; opera multorum amicorum,maxime Cardinalis Caporraci,qui illum dum vixit perpetuo dilexit & fouit. Bonarotus igitur ex antiquo marmore quanta potuit arte & induſtria hunc formauit Bacchum , perfectamque ſtatuam vno mutilauit brachio,q; penes ſe ſeruauit:& in baſis ſtatua excauata lacuna ſuum inſcripſit nomẽ,q; lithocolla cooperuit:opuſque quod clanculum elaborauerat,iuſſit terra recondi in vinea cuiuſdam ciuis,qui in ea domum paulo poſt ſtructurus erat: Cumque anno ſequente ſimulacrum hoc eſſet repertum ab iis qui fundamenta domus iaciebant,vt ſolet Romæ fieri,ſtatim adplaudi cœptum eſt,& aduectum ante Pontificis Palatium laudari à multis , & cum aliis conferri,ac multis præponi:Solus Michael diſſimulatum ſuum opus laudare quidem, ſed in eo non deeſſe quæ poſſent reprehendi dicebat: Tunc contentione inter illum & Sanctium orta,inuerti baſim iuſſit,ſuum nomen oſtendi & brachium quod auulſerat nouum adplicari ſtatuæ,quam calce cimento liniuerat prius, vt hunc ſitum ex antiquitate contraxiſſe videretur. Factumque eſt vt Bonarottus ſummum honorem apud Romanos ex Sanctii ſententia fuerit adeptus:Sed cum ſtatua fuiſſet recens comprobata,ac precio mille ducatorum æſtimata,ad quingentorum redacta eſt.

A Can-

A Cancellaria paruo interuallo venitur ad forũ Farneſiorũ, quod *la piazza del Duca* vulgo nũcupatur. In eo eſt ampliſſimũ magnificentiſſimumq; palatium quotquot in vrbe videntur à Paulo III. P. M. Farneſio ſummis impenſis excitatũ. In eiꝰ veſtibulo fornicato, inter columnas Ionicas ex Ophite marmore tres ſunt ſtatuę: duæ capitibus carent, vna ſola ſupereſt integra. Ibidem eſt leo marmoreus, & truncum corpus viri nudi. Sequuntur duæ muliebres ſtatuæ coloſſeæ, quæ brachiis & capitibus carent: In peryſtilio porticus, inter columnas duo ſunt Hercules inſigni artificio, nudus vterque cum ſpolio leonis & claua: quorum minor ex orientali marmore magnopere commendatur: in eius baſi ſcriptum eſt ΓΛΥΚΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Ad latus ſiniſtrum, qua pater in cellam vinariam deſcenſus, erectus eſt Iuppiter tonans, ſiue fulgurator: Cellæ vinariæ, quæ ſunt ampliſſimæ, & fornicum ſtructura prorſus admirandæ, ſtratæ ſunt pauimentis aſarotis, teſſellato venuſtiſſimoque opere. Ad principium graduum, qui ad ſuperiora ducunt, videntur Venus, Cupido, Flora, ac Neptunus: Paulo altius eſt Hermaphroditus ex Baſalthe ſiue Lydio lapide, manu dextra in caput reflexa, vultu & capillis muliebribus, nudus quidem corpore, ſed à femoribus vſq; ad pedes veſte tectus, cui adpoſitum eſt muſicum inſtrumentum. In primis deambulacris eſt Mercurius, & duo Numidę reges captiui (qui fuerunt aduecti ex S. Apoſtoli templo) erecti ad vtramque portæ partem. In ſuperioribus repoſitoriis eſt Pallas & Bacchus: Ibidem eſt Iuno regina ex Porphyro, capite, manibus, ac pedibus æneis deauratis, ad cuius vtrumq; latus ſunt Naiades nymphæ, capitibus, brachiis, & femoribus ex candidiſſimo alabaſtro, reliquis veſtimentis fluitantibus ex lapide variegato cœruleo & nigro. In cubiculo vicino Venus eſt nuda, genu in terram adplicato, & blande tuens Cupidinem adſtantem. Ibidem ſunt tres fluuiorum marmoreę ſtatuæ, & capita diuerſorum hominum cum ſuis pectoribus. Et quia palatium hoc nondum eſt abſolutum, in ea parte quæ Tyberim ſpectat, multæ reſeruantur ſtatuæ, quæ poſtea ad ornatum domus adplicabuntur: Inter quas eſt Roma triũphans ex Porphyro, cuius caput, brachia & pedes ſunt ex orichalco. & Iuppiter Capitolinus ſedens, & duo corpora mutilata Herculis: Gladiatoris Coloſſei, ex cuius humeris dependet gladius, pede dextro in clipeum poſito, cui adiacet caſſis & veſtimenta. M. Aurelii ſtatua chlamydata: auerſo in humeros palliolo, ex quibus dependet baltheus cum gladio. Veneris, & Hermaphroditi, qui capitibus carent. Et alterius mulieris nudæ, quæ veſtem brachio tenet implicatam. Ibidem eſt Sabina mulier veſtita pectore ſeminudo. & Natura cum pluribus mammis, & diuerſis animalibus, & floribus in circuitu adplicatis. Illic quoque eſt Antoninus Pius: Æſtas ſpicis coronata. Iuppiter nudus. Leda genu in terram demiſſo, dextra cygnum ſtringens laſciue. Nympha Oreas ferina pelle amicta. Mercurius puellã brachio ſuſtinẽs: Hercules nudꝰ in truncũ inflexus, cui adpoſita eſt pharetra cũ ſagittis. Pallas veſtita. Æſculapiꝰ antiquo more calceatus. Gladiator continẽs manu à tergo puerũ mortuũ: Triton deſinens pubetenus in piſcem. Terminus nudus. Minerua capite carẽs. Satyrus cornutus, laſciue complectens iuuenem, quẽ docet inflare fiſtulam nouem calamorũ. Vir nudus, qui dextra intergũ reflexa tenet fundam. Mercuriꝰ petaſatus & caduceatus, ſtringẽs manu crumenã: Bacchus vuis coronatus, & Panthęræ ſpolio amictus. Roma togata. Candelabrum in quo eſt Roma triumphans, quæ fulcitur harpyis, & vtrinq; habet alatas victorias. Ibidem videtur & Delphinus dorſo ſuſtinens puerum. Et tropheũ armorũ ex Porphyro: & ſtatua Veſtę, ſiue veſtalis virginis ex nigro lapide, & capita Veſpaſiani, Antinoi, Octauij Auguſti, Fauni, & aliorum plurimorum: qui incogniti ſunt: Sũt & Tabulæ marmoreæ inſignes: vna continet duas viri & mulieris imagines: alia habet Silenũ inflantem fiſtulã & Priapum nudum; prope quem iacet mulier, & cẽtaurus. Capita Hadriani, Iulij Cæſaris, Floræ, Iouis, Mineruæ, Catonis, & aliorũ. Ibidem eſt mons marmoreus: in cuius apice Marathonium taurum occidit Hercules: ad latus montis eſt ſerpens, qui ſe in ſcrobem inſinuat: & leo ſaliens in taurum: aries, teſtudo, columbæ, leo alter mordicus tenens ceruum; duo alij cerui paſcentes, lupus dormiens in ſpelunca, paſtor cum fiſtula vndecim calamorum, quę dependet ex arbore vicina. porcelli duo dormientes, aquila, ſerpens, ſeſe contorquens in arboris truncum: canis leporarius & pſitacus: Hæc omnia eodem marmore tanto facta artificio, vt ſatis admirari ſculptoris artem & induſtriam nemo poſſit: inuentum eſt hoc opus in Thermis Antonianis.

Ex oppoſito palatii Farneſiani ſunt ædes Norciarum, diuerſis inſcriptionibus antiquis inſignes: & elegantiſſimo illo Adonide nudo, integro, & baculum tenente: alij Meleagrum eſſe dicunt, propter Caput Apri adiacentis, & canem qui ſpirare videtur : Inuentus eſt in ianiculo monte in vinea: eius precium quinque millibus ducatorum æſtimatur: nulla ſtatua tota Roma videtur magis integra. nuſquam gentium antiqui operis ſtatuæ tanti emuntur, quam Romæ. Omnes enim iſtorum ornamentorum ita ſunt ſtudioſi, vt in iis conquirendis, videantur inuicem decertare ſumptibus & curioſitate: In eadem domo Venus eſt nuda non minoris precij, quam eſt Adonis. Eſt & Diana ſuccincta , coryto arcu & ſagittis armata. & duæ Oreades, quæ pharetras & arcus geſtant. Videtur ibidem ſimulacrum boni Euentus , qui dextra ſpeculum tenet , læua ſertum ex ſpicis: Opus eſt Praxitelis abſolutiſſimum.

In domo Latini Iuuenalis della Regola prope campum Floræ , in hortulo videntur ſtatuæ, Traiani Imp. armata: Liuiæ vxoris Auguſti. Lucretiæ. Herculis tenentis malum Heſperidum. mulieris tenui ſyndone veſtitæ. aliæ mulieris ſedentis & ſomnolentæ. alterius Herculis cum claua & leonis ſpolio. Duo Conſules : duæ aliæ mulieres veſtibus in nodum ſuper humeros collectis. Alia mulier quæ brachiis puellum ſuſtinet : Senex volumen tenens, ſeminudus, reflexa in tergum veſte. & Paſtor cum cucullione Phrygio. Sunt & ibidem pluſquam quinquaginta capita Imperatorum, & virorum illuſtrium : ſingula ſuis loculis ſiue Niſchiis apte diſpoſita.

In domo Iordanis Boccabelli prope campum Floræ videntur capita Getæ Imp. pueri. Dianæ tricipitis. Iouis. Cybeles. Fauſtinæ. Martiæ Otacillæ. Panis. Herculis. & Cupidinis ſimulacrum: & diuerſa fragmenta antiquitatis multo laborata artificio & induſtria.

Apud Lucam de Maſſinis ſunt capita Octauii Auguſti. Tiberij. L. Seueri. Tria Neronis. Bruti Conſulis. Iuliæ. Sabinæ. Aſdrubalis. Marij. Fauni ridentis: & alia pluſquam quadraginta ignotorum hominum: Ibidem eſt Apollinis ſtatua nuda ſine capite, & monſtrum marinum.

Non procul à Campo Floræ ſunt ædes Cardinalis Capoferrati qui S. Georgii dicitur, Farneſianis multo minores, ſed non minoris ſplendoris & artificii: abſolutæ enim ſunt, intrinſecus & extrinſecus, diuerſis imaginibus & ſignis ornatiſſimæ: In frontiſpicio depingitur tempus vernum: Veris præſes eſt Venus (quæ ad ſimilitudinem corporis Liuiæ Columnæ Principis formoſiſſimæ depicta eſt) quæcunque illic repræſentantur , ſunt amatoria; complexio hominum eſt ſanguinea, & aeris elemento cuncta ſignantur : Ita & in reliquis frontiſpiciis complexiones cholerica , Melancholica, & Phlegmatica ſunt expreſſæ. Elementa ignis, aqua, terra: tempora æſtas, autumnus, hyems. Dii præſides Mars, Saturnus, & Ianus. Opus eſt abſolutiſſimum. Cardinalis hic vt fuit vir ingenioſus, comis, & liberalis, intimo Michaelem Angelum proſecutus eſt amore , & ab eo impetrauit quicquid à tanto viro potuit artificioſum excogitari. Cui & Conclaue pinxit ſecretum: in quo duodecim Iouis adulteria arte ſumma ſunt expreſſa. Maiori cœnaculo, de quo ſuperius egimus , adiacet antiquarium, Deorum imaginibus & ſignis antiquis refertiſſimum. Eſt enim illic ex marmore Iuppiter, Ganymedes, Venus, Bacchus, Flora, Mercurius , & alii plurimi tam conſules, quam matronæ Romanę, & Imperatores. In deambulacro vicino erecta eſt Actij Nauij Auguris ſtatua, cotem nouacula ſcindentis ; quæ olim in Comitio ſeruabatur : Ibidem eſt venuſtiſſima Veneris ex alabaſtro ſtatua colludentis cum Cupidine.

Palatio Capoferrati ad dextram relicto redeundum eſt in Campum Floræ: in cuius parte ſuperiore, vbi eſt horologium, extollit ſeſe domus Vrſinorum: quæ ſtructa eſt in ruinis Theatri Pompeiani; cuius pars adhuc videtur integra ad ſtabula domus huius.

Inde veniendum eſt per forum Iudęorum ad forum Piſcarium : in quo eſt templum *S. Angeli in Peſcara*, quod olim fuit Iunonis reginæ; Et incendio cum eſſet conſumptum , à Sept. Seuero, & M. *A*urelio reſtauratum eſt: vt ex inſcriptione frontiſpicij colligitur: quæ talis eſt: IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS , PERTINAX AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMVS. TRIB. POTESTAT. XI. COS. III. P. P. ET IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS. FELIX. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS.

INCEN-

INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVERVNT.

Huic templo S. Angeli vicinæ ſunt adhuc erectæ columnæ altiſſimæ: quæ partes ſunt Porticus Septimij Seueri, dedicatæ Mercurio.

Ad hanc porticum Gabriel Vallatus habet ædes: in quibus plurimæ ſunt inſcriptiones, & antiqua marmora: quæ ſtudioſi antiquitatis nullo modo præterire debent. Sunt enim adprime notatu digna.

Hinc veniendum eſt ad turrim Arantiorum (quam vulgus vocat *la torre delle citrangole*) cui vicinam domum habet Marius Delphinus. Eius horti pleni ſunt innumero ordine priſcarum inſcriptionum, quas eius pater Gentilis (poſt Borbonii obſidionem vrbe militum prædæ expoſita) diuerſis in locis collectas, & ſelectas, in ſuas ædes transferri curauit. Ibidem videtur Canopi ſtatua ex Simithe lapide facta in hydriæ ſpeciem: in cuius frontiſpicio anteriore tabula eſt propoſita literis hieroglyphicis plena, quibus arcana ſacrificiorum Canopi myſteria tradi creduntur. Nemo ex Romanis principibus aut patriciis tantum numiſmatũ antiquorum poſſidet, quantum hic Delphinus: quæ Gentilis Delphinus eius pater ſummo ſtudio & impenſis longo tempore congeſſit, & filius patri non abſimilis auget quotidie: Habet is præter alia domi ſuæ ſtateres antiquos ex orichalco: ad cuius normam reformati ſunt reliqui ſtateres qui nunc vbique à mercatoribus ſeruantur in officinis ſuis, ad vſum ponderum: qui aliquot ſæculis deſierant in vſu eſſe, ſubſtitutis in eorum locum bilancibus.

Hinc non eſſet incommodum reuerti ad palatium Senenſe quod non procul abeſt à Campo Floræ: quo diligenter perluſtrato, conſcendendum erit paulo altius verſus Hyperionem ad ædes Maximorum: in quibus coloſſea Pyrrhi regis Epirotarum erecta eſt elegans ſtatua galeata, & armata, dextera clipeo innitens, & pallio in humeros reflexo: quæ duobus ducatorum millibus empta eſt, ab Angelo de Maximis: ibidem præter Iulij Cæſaris caput marmoreum, multa marmora, tabulæ, vaſa, picturę & fragmenta antiquitatis oſtenduntur: quibus domini facultates ac ſplendor facile demonſtratur.

Paulo inferius eſt palatium nouum Cardinalis della Valle: quod omnibus antiquitatis ornamentis excoluit Princeps eruditus & locuples. In prima enim fronte plurimæ ſunt ſtatuæ Conſulum & Imperatorum: ex quibus vna demonſtratur Hortenſij: altera Piſonis, qui frugi dictus eſt: alia Cethegi; Inferius multæ leguntur inſcriptiones, tam Græcæ quam Latinæ. multæ videntur Pilæ lapideæ ſtriatæ & ſculptæ pulcherrimo artificio quibus meo tempore nondum erat locus adſignatus. In parte ſuperiore, ad quam gradibus aſcenditur ad dextram videtur Marſias adligatus columnæ, opere artificioſiſſimo abſolutus à Zeuxide: qui ex Concordiæ templo effoſſus eſt. In prima corte duo ſunt Saryri ſine brachiis geſtantes cophinos fructibus plenos. In cubiculo primo ſunt octo capita cum pectoribus armatis & veſtitis: nempe Iulii Cæſaris, Milonis Crotoniatæ, Getæ Imperatoris, tria muliebria, quæ quarum ſint neſcitur, & duo puerilia. Sunt & ibidem plus quam quadraginta capita marmorea diuerſarum ſtatuarum: inter quæ multa ſunt Herculis, Sileni, Panis, & aliorum: Hoc malum ſemper fuit Romæ propter nimium rerum antiquarum ſtudium, vt qui ſtatuas non potuerunt emere integras, partes earum maxime capita ſacrilege confracta & à corporibus auulſa ſibi vendicarunt: Hinc fit vt paſſim non agnoſcantur corpora ſine capitibus, & raro quoque capita ſine corporibus. Ad læuam, laruæ ingentes lapideę conſpiciuntur quales ſunt in illo periſtylio hortuli palatij Pontificum. Statuæ illic quoque diſpoſitæ ſunt ordine concinno Palladis, Cybeles, Phaethontis, Victoriæ, Neptuni, Apollinis ex Batthio vel Lydio lapide, Herculis Nemeæum ſuffocantis leonem, Sabinæ vxoris Hadriani, Poppeæ Neronis, Lucillæ Pompeiani, Duarum Napæarum, vnius Naiadis, Floræ, & vnius Muſæ quæ fiſtulam manu tenet. Videntur in eodem palatio ad parietes ſuis baſibus & Niſchiis repoſitæ ſtatuæ: ex quibus ſunt quatuor, quę carent capitibus, vna armata, altera togata quæ eſt ex porphyro, reliquæ duæ sũt atmatę: in ordine ſuperiore quatuor alię ſunt ſtatuæ ſine brachiis, tam nudæ quam togatæ. Eſt ibidem ingẽs Iouis caput, & quatuor magnæ laruæ, & quinq; Sabinæ mulieres veſtitæ. Iuppiter nudus cum aquila: qui tabulæ ſuperimpoſitus eſt in qua ſculptus eſt Centaurus. Neptunus quoque ibidem erectus eſt ſuper tabula, quę Meleagri venationem continet: Eſt & Faunus nudus, humeros & pectus pelle veruecina tectus. Mercurius quoque nudus, pallio in brachium læuum in-

uolu-

uoluto:duæ mulieres veſtitæ more antiquo;duæ armatæ: & tabulæ quatuor diuerſis illuſtres figuris,maxime raptu Sabinarum:Ad ſiniſtram,primo ordine videtur Minerua togata,Hadrianus Imp.paludatus,Hercules cum ſpolio Leonis, Otho Imp. & mulier ignoti nominis.Inter has quinque ſtatuas ſunt quatuor tabulæ diuerſis figuris inſignes. In quatuor angulis quatuor ſunt reges captiui:vnuſquiſque ſuis baſibus repoſitus : quorum tres ſunt exporphyro,quartus eſt marmoreus.Sub vno rege repoſitum eſt Herculis mutilatum ſimulacrum:ſub altero Bacchi. Ad latus dextrum erectus eſt Hermaphroditus nudus:Iuppiter. Bacchus. Hercules. Apollo Praxitelis opus. Mars. Galba Imp. Antoninus Pius. Conſtantinus Magnus;& conſulares aliquot ſtatuæ;ex quibus vna creditur eſſe Saluſtii , altera Memmii. Sunt &ibidē in areæ ſuperioris circuitu ſummæ artificio ſculptæ tabulæ:in quib. triumphi Marci Aurelii Antonini ſunt expreſſi,quales in area Capitolina conſpiciuntur:& aliæ in quibus notati ſunt varii ſacrificiorum ritus,& victimarum ceremoniæ. In area hortuli (vbi mali Medicæ,Punicæ & Cedri,aliæque arbores peregrinæ conſertæ ſunt) tabulæ ſunt marmoreæ,in quibus Corybantum cum tympanis & tintinnabulis inceſſus,Naiadum chori,& Meleagri venatio inciſa eſt,quæ ſi bene notaui, proxime accedunt ad numerum ſexaginta.In poſteriore parte,qua in cœnacula patet ingreſſus,tres ſunt marmoreæ matronarum Romanarum ſtatuæ coloſſeæ : quarum vna dicitur eſſe Sabinæ Hadriani:Secunda Corneliæ Craſſi:tertia ignoratur.

Habet hic quoque Valerius Cardinalis Vallæus aliud palatium quod cum noua fabrica coniuncturus erat.In huius area media quatuor ſunt antiquiſſimæ Bacchi ſtatuæ diuerſorum artificum:& Ganymedes cum aquila & fulmine:Tethys,Hercules, Apollo,Venus, Mercurius & Faunus. Ad læuam partem porticus eſt Orphei cum barbito ſtatua , Bacchi ſinu veſtis continentis vuas & fructus. Atis paſtoris Idæi ſedentis,& inflantis fiſtulam. Ante primam portam eſt ingens caput Iouis cum pectore. Ad primam porticum duo ſunt capita ignotorum hominum:& aliud coloſſeum. In frontiſpicio dextro,eſt Venus nuda,cui adſtat Delphinus:hanc alii volunt eſſe Tethyn,vel Galateam. Ad læuam ſuper Ganymede eſt lupa ex porphyro lactans Remum & Romulum. In frontiſpicio oppoſito duæ ſunt ſtatuæ, vna Scipionis Africani,altera ignoratur. Super his duobus repoſitum eſt marinum monſtrū Delphino ſimile,cuius dorſo inſidet puellus: In cornicibus ædificii , quæ circuitum areæ cingunt,variæ ſunt figuræ puerorum,Grifforum,& aliorum animalium : antiqua omnia. Ante ingreſſum cœnaculi ſtatua videtur viri iuuenis,qui genu inflectit,ac ſurſum caput attollit:ſuper tribus portis vicinis ſingula capita marmorea diſpoſita ſunt ſuis baſibus & Niſchiis.In cœnaculo ad dextram eſt Antoninus Pius. Super porta ſequente eſt conſulis cuiuſdam caput(Bruti volunt eſſe).& Fauſtinæ M. Aurelii vxoris; Portæ omnes huius palatii ſtructæ ſunt ex variis marmoribus precioſiſſimis & antiquis.

Contiguas huic palatio habet ædes Vallæus Epiſcopus:in quibus erectum eſt marmor candidum,altum,& quadratum cum horoſcopo ſolari,& ſignis Zodiaci: vbi ſingulorum menſium dies,& horæ notantur;& quicquid obſeruare aſſueti erant antiqui , tam in ſacrificiis Deorum,quam in iis quæ ad rem ruſticam pertinebant ; vt hodie noſtris Kalendariis factitatur. Sunt&in eadem domo multæ inſcriptiones antiquæ,ſigna,&ſtatuæ multa venuſtate & artificio laudandæ.

Proxima domus eſt Cafarelli,in cuius area duæ ſunt ſtatuæ togatæ, quæ manibus carent:& antiquo ſitu & temporum iniuria corroſæ.

Ex altera parte plateæ domus eſt Alberinorum:In cuius hortis legūtur varia Epitaphia, inſcriptiones;& ſtatuæ Deorum illuſtriumque virorum ibidem videntur.

Cinciorum ædes non admodum ſunt remotæ:in quibus præter alia ornamenta quæ illic videntur,elegans eſt ſimulacrum vertumni gerentis cucurbitum, & altera manu ligonem. Eſt & ibidem ſtatua Apollinis Pythii nuda & integra.

In domo Iulii Cæſarini,in corte prima,eſt Adonis nudus,ſed brachiis mutilus: In horto Cæſarini,qui non procul abeſt ab illius ædibus , quatuor ſunt muliebres ſtatuæ veſtitæ: quarum vna geſtat vas,& eā vocant Cariatidem. Proxima eſt Venus,& alia mulier nuda illi aſtans , facta ex eodem marmore. Ibidem ſunt aliæ quatuor muliebres ſtatuæ veſtitæ tres,

tres,vna nuda:omnes integræ,præter brachia:Ad horti portã ſtatua eſt ſedens, quæ capite caret. Et duo Iani bifrontes;multaque capita cum ſuis pectoribus, ſingula ſuis baſibus adplicata;Inter quæ eſt Propertii poetæ:Veſpaſiani,& Galeriæ Fauſtinæ: è regione Propertij eſt Fauſtinæ iunioris caput,Auguſti adhuc iuuenis,Bacchi cum ſpolio veruecino, & aliud incognitum:omnia opera ſumma arte elaborata & perfecta. In alio cubiculo viginti quinque ſunt capita tam Imperatorum,quam aliorum illuſtrium:& caput muliebre ex lapide nigro:quinque corpora mutilata;& crus vnum æneum, quod ſumme laudatum eſt à Michaele Angelo.

In domo Ambroſij Lilii caput eſt Pompeij:& in area interiore ſunt diuerſa fragmenta ſtatuarum: & vna tabula marmorea, in qua expreſſi ſunt eleganti artificio labores Herculis.

*A*pud *A*ſcanium Celſum ſuper feneſtra cubiculi inferioris repoſitum eſt Bacchi caput, in cuius humeros expanditur pellis veruecina:in alia feneſtra ſua baſe collocatum eſt Satyri pueri ridentis caput floribus redimitum,ſub cuius mento dependent duo illi cincinni glanduloſi,quos in capris videmus. In area,loco parieti applicato,vir eſt ſeminudus: & caput cum pectore veſtito, expreciosiſſimo marmore.

Apud Cauellerium,in camera prima ad læuam,multa ſunt capita & ſtatuæ egregiæ, inter quas eſt Fauni nudi,vna manu vuam tenentis,altera attollentis pellem ferinam plenam vuis & fructibus:repoſita eſt hæc ſtatua in baſi porphyritica. Ibi videtur Venus ſeminuda, & puellus ſedens, & comedens vuam.& alter puer ſedens in ſcopulo, & manu papauer continens:&duorum ſacerdotum veſtitorum. Silenus inſidens animali Indico,& ſtringens vtrem:Natura dea, facie & manibus nigris, in circuitu ornata multiplici mammarum ordine,&diuerſis animalibus:repoſita eſt ſuper ara antiqua:ad cuius angulos quatuor ſunt mulieres,& candelabrum in medio,ad quod fit ſacrificium ſuper altari, cui ſuperimpoſiti ſunt duo cerui:Ibidem eſt tabula marmorea,in qua expreſſus eſt Hercules pugnans contra Neſſum Centaurum. In horto ſtatuæ ſunt duæ,ex alabaſtro codognite, quæ carent capitibus:& corpus alatæ victoriæ: & octo columnarum baſes elegantiſſimis ornamentis inſignes. In alio hortulo duo ſunt pueri inſidentes duob. monſtris marinis, quæ habent capita elephantina,ibidem videtur & nympha marina inſidens Hippocampo: & plurima fragmenta antiquitatis ſingularis artificii.

Apud Alterios non procul à S. Marco ſtatua eſt ſenis calui ſedentis in cathedra,pallio in humeros conuerſo,& reducto ſuper femora: quis ſit ignoratur. Ibidem eſt Hermaphroditus nudus,ſed capite & brachiis truncus: Iani bicipitis caput:& alia plurima capita, & ſtatuarum antiquarum fragmenta.

In domo Hieronymi Alterii in prima corte ſtatim ad dextram occurrit Cybeles Sacerdos longa ſtola veſtitus,qui manu vas ſuſtinet:prope quem eſt altera ſtatua quæ capite mãca eſt:ex oppoſito eſt Hercules nudus cum ſpolio Leonis, qui innititur arboris trunco,circa quem ſe inuoluit coluber:ſuper Hercule repoſita eſt vrna antiqua, & puer nudus,cui ſubſunt aliquot ſtatuæ viriles & muliebres. Et pila antiqua, quæ continet plurimos pueros alatos,in quorum medio eſt fiſtula 6. calamorum.

Apud Petrum Capoferratum ad hortuli ingreſſum erecta eſt ingens imago Æſculapii pallio in humeros reducto;ad cuius latus eſt puella veſtita: vterq; ſerpentem manu cõtinet:ad dextram eſt Venus nuda ſine capite,& Niſchus marmoreis locatæ ſunt ſtatuæ capitibus truncæ.

Apud Fabios prope S. Luciam ad *Botegas obſcuras*, in corte domus corpus ingens eſt Athlantis,qui inclinata ceruice ſuſtinet globum cœleſtem,circa quem ſculpti ſunt omnes circuli ſpherici: Si hæc ſtatua eſſet integra,precium eius æſtimari non poſſet; tantum in ea videtur artificium & elegantia. In eadem domo oſtenditur ingens ſtatua viri nudo pectore,reliquo corpore veſtimentis implicatis tecto,quæ dicitur Æſculapii. Ibidem eſt mutilum Caracallæ corpus,cum promiſſa toga,& Bacchus ex maiori parte fractus.

In aſcenſu Capitolii habitant Bocabelli,in quorum ædibus præter inſcriptiones varias, & marmora ſelecta,fons oſtenditur venuſtiſſimo conſtructus artificio, ex tophis & conchyliis marinis: vnde limpidiſſimæ ſcaturiunt aquæ: & in iis ſupernatant piſces arti-

artificiales ſubnixi filis æneis ſubtiliſſimis, quæ ad aquarum motum criſpantur,&videntur leniter piſces moueri.

Cum ad ſuperiorem partem Capitolij ventum eſt ad ſiniſtram, attollit ſeſe Franciſcanorum templum quod vocatur Ara cœli: ad quod conſcenditur gradibus marmoreis octoginta quinque,qui diſtincti ſunt quinque ordinibus, quorum vnuſquiſque continet ſeptem gradus. Ante templi fores ſepulchra ſunt Flauij Blondi,& Lucæ Gaurici. Templi teſtudinatum ædificium ſuſtinetur vtrinque duobus columnarum marmorearum ordinibus:quibus tota vrbe non videntur ſumptuoſiores, Si Vaticanas excipias: in ſiniſtro latere quæ tertia eſt in ordine columna,prope Epiſtylium,hanc habet inſcriptionem: A CVBICVLO AVGVSTORVM. Hoc templum fuit olim Ioui Feretrio dicatum à Romulo, poſt bellũ Sabinum:quod eo in loco Iupiter tuliſſet auxilium regi oppreſſo hoſtium violentia Ancus Martius reſtituit collapſum:& poſtea Auguſtus amplius ac magnificentius reddidit. Super cæmiterio iacet obeliſcus Ægyptius hieroglyphis inſignitus. In inferiore graduũ parte,duæ ſunt vtrinque ſtatuæ marmoreæ;quarum vna eſt Conſtantini,altera eſt Maximiani:quamuis non deſint qui vtramque velint eſſe Conſtantini:vtraq; eſt paludata. Ad parietes graduum quibus in templum conſcenditur adplicatæ ſunt diuerſæ tabulæ marmoreæ figuris inſignes variis.

In area Capitolina,ingens eſt Marci Aurelij Antonini ſtatua equeſtris ænea, quam alij dicunt eſſe Lucij Veri:alij Septimij Seueri:ſita eſt in baſi marmorea recenti opere,&impenſis Pauli III. Pontificis Maximi Farneſij,qui eam transferri curauit in Capitolium; cum antea fuiſſet erecta ante Baſilicam Lateranam.

A tergo huius ſtatuæ palatium eſt Iuſtitiæ:ante cuius gradus, qui vtrinque præbent aſcenſum ad ſuperius ædificium, duæ ſunt ingentes ſtatuæ fluminum coloſſeæ:vna Nili,cui ſubiecta eſt Sphynx:altera eſt Tygris qui vicinam habet tygridem:vtraque continet Cornucopiæ fructibus diuerſis plenum:non longe abſimiles ſunt iis, quæ videntur in hortulo *Beluedere* in palatio Pontificum Vaticano. Non procul inde ſimulacra ſunt Sphyngis cum literis hieroglyphicis,& Leonis:vtrumque ex lapide Marmaridum ſubnigro & duriſſimo. Ibidem eſt fragmentum Leonis mordicus equum tenentis: cuius artificium Michael Angelus miraculoſum vſque ad cœlos laudibus extollere ſuevit.

Palatium Conſeruatorum ad ſiniſtram poſitum eſt:ante cuius fores ſub periſtylio porticus plurimæ ſunt inſcriptiones antiquæ, Epitaphia Neronis & Aggrippinæ, aliorumque Principum. Ad columnas Epiſtylij erectum eſt coloſſeum caput aheneum Commodi Imperat. cuius pes & manus ſunt in ipſo palatio. alij dicunt fuiſſe Apollinis:cuius ſtatua fuit alta cubitos triginta, in qua conflanda centum & quadraginta talenta impenſa ſunt. Romam aduecta fuit à Lucullo ex Apollonia vrbe Ponti. Ad parietes porticus multæ ſunt tabulæ marmoreæ figuris diuerſarum rerum& inſcriptionibus illuſtres. *Ad* ingreſſum portæ,ſiniſtro latere tabula eſt marmorea,cui inſculpta eſt menſura Romani pedis & Græci: ſicut in monumentis Neronis & *Agrippinæ* excauatæ ſunt menſuræ tritici,calcis,olei & aliorum:ad quarum normam corriguntur vrbanæ menſuræ, ſi falſæ iudicantur. In interna domus area ad gradus ſunt duæ Sphynges & Simia,ex Simithe lapide ſingularis artificij. Ibidem duæ ſunt ſtatuæ;vna *Apollinis* nudi,altera Veneris talari inſtita veſtitæ. *Ad* murum ſunt adplicatæ tabulæ ingentes,quibus cælati ſunt triumphi de Dacia victa per Marcum *Aurelium Antoninum*. Huius triumphi duæ aliæ tabulæ videntur in templo ſancti Martini prope Marforium ſub Capitolio,vnde tres iſtæ deſumptæ ſunt. *Ad* eundem murum adplicata eſt alia ingens tabula marmorea,in qua deſcripta ſunt nomina Conſulum,& Prætorum Romanorum. Prope iacent humi reliquiæ Coloſſi maximi confractæ, nempe caput,duo pedes,vna manus,& pars pectoris, omnia ex candidiſſimo marmore. Qua conſcenditur in palatium,duæ ſunt ſtatuæ,vna viri malleum tenentis;alia mulieris veſtitæ, & ſedentis. Ibidem ſunt tria capita antiqua marmorea. Parietes cœnaculorum ornati ſunt variis picturis antiquis:quibus Theodoſij,& Honorii Impp. res geſtæ exprimuntur; & aliorum Imperatorum cum habitu antiquo,tã Principum, quam Senatorũ & plebis, quo omnes eo tempore vtebantur. Ibidem videntur Statuæ Leonis X. & Pauli IV. Sed anno 1559. quo tempore Paulus hic IV. Carafa deceſſit è viuis,in eius odium,& Carafeſcæ familiæ cõtem-

temptum,hæc ſtatua deiecta eſt ſeditione populi (quod ſede vacante plerunque fieri ſolet)& in partes confracta:corpora mortuorum è ſepulchris tracta, & in Tyberim coniecta: neque viuentibus parcitum eſt:nam & Dux Paliani capite truncatus, & eius frater Carolus Caraffa Cardinalis homo Princeps & bonus,ſtrangulatus eſt:Cauſam dicent alij,& excuſabunt vt volent.Pauendum fuit rerum omnium ſpectaculum in Vrbe , ſeditionibus & furore ciuium concitata:vbi cædes infinitæ, & violentia, latrociniaque crudeliſſima ſunt perpetrata.ipſiuſque Pontificis corpus,quod in albis erat propoſitum in ſacello ſancto Diui Petri in Vaticano,fere à meretricibus,& lenonib. vnco tractum eſſet, niſi ſubito fuiſſet prouiſum tantæ impietati rel quorum Cardinalium cura,qui defuncti corpus ad parietem templi loco non admodum celebri claudi iuſſerunt.Populuſque hac re infenſus ad carcerum ruptiones,incendium Palatii Ripetæ;imo deiectionem Templi Mineruæ ſuum conuertit furorem.per ludibrium multæ ſunt inſcriptiones publice omnibus propoſitæ: & tuba proclamata ſunt per omnes plateas edicta Senatus: ex quibus vnum hic addam , in rei memoriam:

Bando contra quelli che terranno le arme de caſa Caraffa.

Per ordine del populo Romano obedientiſſimo della ſancta ſede Apoſtolica & del ſacro collegio delli Illuſtrmi & Rmi Carli ſi fo intendere à qualunche perſona che habbia inanzi à la ſua caſa,ò di charta,ò depinta in muro , ó di relieuo l' arme d' ella tanto queſto popolo inimica & tyrannica caſa di Caraffa,la debbia fra tutto il di ſpezzata: ſotto la pena di eſſere tenuto traditore à queſto popolo & infame,& di eſſere quella caſa,doue ſara trouata da queſto tempo in la',ſacheggiata & bruggiata. A cio ſi poſſi per tutte le vie poſſibile anichillare & ſpengere queſto tanto odioſo nome:datum in Roma il di 20. di augoſto anno della ſalute 1559.

Addam & hic inſcriptionem publice affixam,vt ex ea appareat qua inſania,& effrenata vindictæ cupiditate ferantur Romani in ſummos etiam viros,quos oderunt, quoties furore publico concitatur Vrbs:

Mortalitati S.Io.Petro Caraffæ PP.IV.Theatino,Neapolitano,Nebuloni,Fugitiuo, Platonico,Vipereo,Antichriſto,peſti,Cacodæmoni,Sodomitæ,Catamito,Mago,Necromantæ,ariolo,ſuper ætates omnes ob ingentia facinora,impudentem audaciam, auidiſſimam rapacitatem,& affectatam tyrannidem;multaque alia , quæ potius de monſtro , ac bellua immaniſſima,quam de homine dici poſſunt, inclementiſſimo Principi: Galliarum ſuperioribus bellis euerſori;Hiſpaniarum oppreſſori; Patriæ vniuerſæque Italiæ extinctori pernitioſiſſimo,Chriſtianorum reſtitutique orbis pertinaciſſimo afflictori ; Cuius immitis animus in Deum,in religionem odium,ingrata erga mortales affectio,ſola infelici,ſed merita morte ſuperata eſt. Senatus Populuſque Romanus,vt memoriam peſſimi Pontificis perenni nota beneficiorum ergo collocaret,& monimentum aliquod extaret, quo poſteris innoteſceret impuriſſimum illum patriæ hoſtem , ac Romano nomini infeſtiſſimum iudicatum,ſtatuam marmoream in Capitolio etiam tum illi viuenti indigne poſitam,inſignia que omnia gentilia vndique in vrbe exquiſita,eradenda & abolenda decreuit. Qui vixit naturæ quidem & ſuis ſatis,Reipublicæ vero nimis. Sedit annos quatuor,menſes tres , plus nimis. Sepultus in Vaticano:ſituſque inter Innocentes nocentiſſimus.

Liber poſſet integer conſcribi ex inſcriptionib.& commatibus famoſis,quæ publicata ſunt poſt illius obitum. Cumque ante tres hebdomadas priuſquam moreretur, Romam rediuiſſem ex Marina arce,in qua præſidio firmo ſe tutabatur Carolus Cardinalis, cui eram domeſticus: illi in vrbem vocato laqueo gula fracta eſt,in ſacello S.Mariæ prope Caſtellum S.Angeli,cumque ſæuiretur in eius famulos,cum Tito Celſo fugi Tibur; deinde eodem comite in Soractem me conferens,inter Monachos humaniter & comiter exceptus , periculum imminens euitaui.

Vt ad prius propoſitam narrationem reuertamur,in eo cœnaculo Palatii Capitolini, in quo poſita erat Pauli IV. ſtatua,erectus eſt Hercules æneus deauratus , & nudus , dextra clauam,ſiniſtra malum Heſperidum tenens: Is inuentus eſt in foro Boario,in ruinis aræ ma-

ximæ:in cuius basi scriptum est: HERCVLI VICTORI POLLENTI POTENTI INVICTO D D.L.M.FRONTO. In eodem cœnaculo est Satyrus marmoreus caprinis pedibus,& truncо arboris alligatus. In alio cubiculo super columna Mischii marmoris erecta est statua anea viri inclinati,& spinam è planta pedis extrahentis:opus admirandi artificii. Ibidem est alia statua ænea mulieris vestitæ,vna manu è vestimento exerta:hanc vocant vulgo la Zingara:alia similis videtur in domo Archinti prope Sanctum Augustinum. In alio loco tres sunt statuæ marmoreæ nudæ:quarum media est Bacchi:reliquæ ignorantur:item tres aliæ, duæ virorum,& vna muliebris:& Hadriani Imp.caput:& laudatissima illa statua ænea Lupæ lactantis Remum & Romulum:quæ olim seruabatur in Comitio,prope ficum Ruminalem:vnde translata est in basilicam Lateranam,postea in Capitolium.

Ibidem est aliud simulacrum marmoreum mulieris seminudæ , & Simij Ægyptiaci, singularis artificij.

In ea Capitolii parte,vbi fiunt funes & rudentes,qua ad Tarpeiam rupem iter patet, quæ *Piazza Montanara* spectat,ruinæ non admodum magnæ supersunt templi Iouis optimi maximi:quod olim fuit omnium quæ Romæ extabant maximum & sumptuosissimum; structum à Tarquinio Prisco ; postea ad eius ornatum à Tarquinio Superbo impensa sunt quadraginta millia librarum argenti.

Vicinum fuit Veiouis delubrum,extructum ad Palatium Conseruatorum , versus ædes Iustitiæ,vbi olim fuit arx Capitolina:Et heic quoque nonnulli constituunt Asylum ; ad quod quicunque se recipiebant facinorosi , admissorum impunitatem consequebantur. Sed à Tiberio Cæsare factum est irritum:quod per id occasio multorum criminum sceleratis offerretur.

Moneta quoque Iuno dicitur habuisse templum in crepidine Capitolii,quod à Camillo votum est & dedicatum non procul à domo Manlij.

Et Ianus Custos in ea Capitolij parte fanum habuit,quæ forum Romanum spectat,vbi hodie carcer & custodia est sceleratorum. Sed his omnibus inter deiectas , & fere solo æquatas ruinas,difficillimum est proprium locum adsignare:quamuis in eo multi sese multum macerent:& singula singulis sua distribuant loca:Ego certe in tanta rerum confusione , nihil video certi, quod possimus affirmare,nisi coniecturis non admodum verisimilibus. Satis esse puto,si notet hospes locorum situm , qualem nobis describunt Historiæ:in inquisitione nimium scrupulosa locorum antiquorum non diutius immorabitur.

E Capitolio cliuus est lapidibus stratus;per quem descenditur in forum Romanum: quod totum hoc spatium continet,quod à radicibus Capitolii,& arcu Septimi Seueri, vsq; ad templum S.Marię nouæ porrigitur.

Arcus ille triumphalis marmoreus & integer,qui ad finem cliui Capitolini erectus est, Septimio Seuero sacer fuit,vt ex inscriptione probatur.

IMP. CÆS. LVCIO SEPTIMIO M. FIL. SEVERO PIO PERTINACI AVG. PATRI PATRIÆ PARTHICO ARABICO ET PARTHICO ADIABENICO PONTIF. MAXIMO TRIBVNIC.POTEST.XI. IMP.XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO AVG.PIO.FELICI TRIBVNIC.POTEST.VI.COS.PROCOS. P.P. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS. OB REMPVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE:hæc adscripta sunt ad vtramque partem arcus : in cuius frontispicio vtroque sculptæ sunt Imperatoris bellicæ expeditiones,tam mari quam terra. Ad eius sinistrum latus gradus sunt , per quos ascensus patet ad superiorem structuram. Per hunc arcum triumphales pompæ è foro ad Capitolium ducebantur. Ante hunc arcum iacet ingens marmor quadratum,in quo fasti Consulares longo sunt ordine descripti.

Concordiæ templum fuit ad radices Capitolii,à Camillo dedicatum , cum plebem reconciliasset senatui.fuitque supra Comitium. Ab hoc ad Iunonis Monetæ (quæ sic dicta est,quod ex adyto vox esset audita monens Senones aduentare)centum gradibus conscendebatur. Eius reliquiæ sunt octo illæ ingentes columnæ,quæ porticum templi sustinuerũt: In quarum cornice super epistyliis legitur:SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS INCENDIO

cemptum,hæc ſtatua deiecta eſt ſeditione populi (quod ſede vacante plerunque fieri ſolet)& in partes confracta:corpora mortuorum è ſepulchris tracta, & in Tyberim coniecta: neque viuentibus parcitum eſt:nam & Dux Paliani capite truncatus, & eius frater Carolus Caraffa Cardinalis homo Princeps & bonus,ſtrangulatus eſt:Cauſam dicent alij,& excuſabunt vt volent.Pauendum fuit rerum omnium ſpectaculum in Vrbe , ſeditionibus & furore ciuium concitata:vbi cædes infinitæ, & violentia, latrociniaque crudeliſſima ſunt perpetrata.ipſiuſque Pontificis corpus,quod in albis erat propoſitum in ſacello ſancto Diui Petri in Vaticano,fere à meretricibus,& lenonib. vnco tractum eſſet, niſi ſubito fuiſſet prouiſum tantæ impietati vel quorum Cardinalium cura,qui defuncti corpus ad parietem templi loco non admodum celebri claudi iuſſerunt.Populuſque hac re infenſus ad carcerum ruptiones,incendium Palatii Ripetæ,imo deiectionem Templi Mineruæ ſuum conuertit furorem.per ludibrium multæ ſunt inſcriptiones publice omnibus propoſitæ: & tuba proclamata ſunt per omnes plateas edicta Senatus: ex quibus vnum hic addam , in rei memoriam:

Bando contra quelli che terranno le arme de caſa Caraffa.

Per ordine del populo Romano obedientiſſimo della ſancta ſede Apoſtolica & del ſacro collegio delli Illuſtrmi & Rmi Carli ſi fo intendere à qualunche perſona che habbia inanzi à la ſua caſa,ò di charta,ò depinta in muro , ó di relieuo l' arme d' ella tanto queſto popolo inimica & tyrannica caſa di Caraffa,la debbia fra tutto il di ſpezzata: ſotto la pena di eſſere tenuto traditore à queſto popolo & infame.& di eſſere quella caſa,doue ſara trouata da queſto tempo in la',ſacheggiata & bruggiata. A cio ſi poſſi per tutte le vie poſſibile anichillare & ſpengere queſto tanto odioſo nome:datum in Roma il di 20. di augoſto anno della ſalute 1559.

Addam & hic inſcriptionem publice affixam,vt ex ea appareat qua inſania,& effrena vindictæ cupiditate ferantur Romani in ſummos etiam viros,quos oderunt, quoties furore publico concitatur Vrbs:

Mortalitati S.Io.Petro Caraffæ PP.IV.Theatino,Neapolitano,Nebuloni,Fugitiuo, Platonico,Vipereo,Antichriſto,peſti,Cacodæmoni,Sodomitæ,Catamito,Mago,Necromantæ,ariolo,ſuper ætates omnes ob ingentia facinora,impudentem audaciam, auidiſſimam rapacitatem,& affectatam tyrannidem;multaque alia , quæ potius de monſtro , ac bellua immaniſſima,quam de homine dici poſſunt, inclementiſſimo Principi: Galliarum ſuperioribus bellis euerſori;Hiſpaniarum oppreſſori; Patriæ vniuerſæque Italiæ extinctori pernitioſiſſimo,Chriſtianorum reſtitutique orbis pertinaciſſimo afflictori ; Cuius immitis animus in Deum,in religionem odium,ingrata erga mortales affectio,ſola infelici,ſed merita morte ſuperata eſt. Senatus Populuſque Romanus,vt memoriam peſſimi Pontificis perenni nota beneficiorum ergo collocaret,& monimentum aliquod extaret, quo poſteris innoteſceret impuriſſimum illum patriæ hoſtem , ac Romano nomini infeſtiſſimum iudicatum,ſtatuam marmoream in Capitolio etiam tum illi viuenti indigne poſitam,inſignia- que omnia gentilia vndique in vrbe exquiſita,eradenda & abolenda decreuit. Qui vixit naturæ quidem & ſuis ſatis,Reipublicæ vero nimis Sedit annos quatuor,menſes tres , plus nimis. Sepultus in Vaticano:ſituſque inter Innocentes nocentiſſimus.

Liber poſſet integer conſcribi ex inſcriptionib.& ſcommatibus famoſis,quæ publicata ſunt poſt illius obitum. Cumque ante tres hebdomadas priuſquam moreretur, Romam rediuiſſem ex Marina arce,in qua præſidio firmo ſe tutabatur Carolus Cardinalis, cui eram domeſticus: illi in vrbem vocato laqueo gula fracta eſt,in ſacello S.Mariæ prope Caſtellum S.Angeli,cumque ſæuiretur in eius famulos,cum Tito Celſo fugi Tibur; deinde eodem comite in Soractem me conferens,inter Monachos humaniter & comiter exceptus , periculum imminens euitaui.

Vt ad prius propoſitam narrationem reuertamur,in eo cœnaculo Palatii Capitolini, in quo poſita erat Pauli IV. ſtatua,erectus eſt Hercules æneus deauratus , & nudus , dextra clauam,ſiniſtra malum Heſperidum tenens:Is inuentus eſt in foro Boario,in ruinis aræ maximæ:

ximæ:in cuius basi scriptum est: HERCVLI VICTORI POLLENTI POTENTI INVICTO D D.L.M.FRONTO.In eodem cœnaculo est Satyrus marmoreus caprinis pedibus,& trunco arbori is alligatus.In alio cubiculo super columna Mischii marmoris erecta est statua ænea viri inclinati,& spinam è planta pedis extrahentis:opus admirandi artificii. Ibidem est alia statua ænea mulieris vestitæ,vna manu è vestimento exerta:hanc vocant vulgo la Zingara:alia similis videtur in domo Archinti prope Sanctum Augustinum. In alio loco tres sunt statuæ marmoreæ nudæ:quarum media est Bacchi:reliquæ ignorantur:item tres aliæ, duæ virorum,& vna muliebris:& Hadriani Imp.caput:& laudatissima illa statua ænea Lupæ lactantis Remum & Romulum:quæ olim seruabatur in Comitio,prope ficum Ruminalem:vnde translata est in basilicam Lateranam,postea in Capitolium.

Ibidem est aliud simulacrum marmoreum mulieris seminudæ , & Simij Ægyptiaci, singularis artificij.

In ea Capitolii parte,vbi fiunt funes & rudentes,qua ad Tarpeiam rupem iter patet, quæ *Piazzæ Montanaræ* spectat,ruinæ non admodum magnæ supersunt templi Iouis optimi maximi:quod olim fuit omnium quæ Romæ extabant maximum & sumptuosissimum; structum à Tarquinio Prisco ; postea ad eius ornatum à Tarquinio Superbo impensa sunt quadraginta millia librarum argenti.

Vicinum fuit Veiouis delubrum,extructum ad Palatium Conseruatorum , versus ædes Iustitiæ,vbi olim fuit arx Capitolina: Et heic quoque nonnulli constituunt Asylum ; ad quod quicunque se recipiebant facinorosi , admissorum impunitatem consequebantur. Sed à Tiberio Cæsare factum est irritum:quod per id occasio multorum criminum sceleratis offerretur.

Moneta quoque Iuno dicitur habuisse templum in crepidine Capitolii,quod à Camillo votum est & dedicatum non procul à domo Manlij.

Et Ianus Custos in ea Capitolij parte fanum habuit,quæ forum Romanum spectat:vbi hodie carcer & custodia est sceleratorum. Sed his omnibus inter deiectas , & fere solo æquatas ruinas,difficilimum est proprium locum adsignare:quamuis in eo multi sese multum macerent:& singula singulis sua distribuant loca:Ego certe in tanta rerum confusione, nihil video certi, quod possimus affirmare,nisi coniecturis non admodum verisimilibus. Satis esse puto,si notet hospes locorum situm , qualem nobis describunt Historiæ:in inquisitione nimium scrupulosa locorum antiquorum non diutius immorabitur.

E Capitolio cliuus est lapidibus stratus;per quem descenditur in forum Romanum: quod totum hoc spatium continet,quod à radicibus Capitolii,& arcu Septimii Seueri, vsq; ad templum S.Marię nouæ portigitur.

Arcus ille triumphalis marmoreus & integer,qui ad finem cliui Capitolini erectus est, Septimio Seuero sacer fuit,vt ex inscriptione probatur.

IMP. CÆS. LVCIO SEPTIMIO M. FIL. SEVERO PIO PERTINACI AVG. PATRI PATRIÆ PARTHICO ARABICO ET PARTHICO ADIABENICO PONTIF. MAXIMO TRIBVNIC.POTEST.XI. IMP.XI. COS. III. PROCOS. ET IMP. CÆS. AVRELIO. L. FIL. ANTONINO AVG.PIO.FELICI TRIBVNIC.POTEST VI.COS.PROCOS. P.P. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS. OB REMPVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE:hæc adscripta sunt ad vtramque partem arcus : in cuius frontispicio vtroque sculptæ sunt Imperatoris bellicæ expeditiones,tam mari quam terra. Ad eius sinistrum latus gradus sunt , per quos ascensus patet ad superiorem structuram. Per hunc arcum triumphales pompæ è foro ad Capitolium ducebantur. Ante hunc arcum iacet ingens marmor quadratum,in quo fasti Consulares longo sunt ordine descripti.

Concordiæ templum fuit ad radices Capitolii,à Camillo dedicatum , cum plebem reconciliasset senatui.fuitque supra Comitium. Ab hoc ad Iunonis Monetæ (quæ sic dicta est,quod ex adyto vox esset audita monens Senones aduentare)centum gradibus conscendebatur. Eius reliquiæ sunt octo illæ ingentes columnæ,quæ porticum templi sustinuerũt: In quarum cornice super epistyliis legitur:SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS INCENDIO

mi. Nullus enim in Vrbe locus fuit isto cultior: tam propter ædificium mirabilis architecturæ, quam propter insignia opera sculptorum excellentissimorum, qui ad id vndique sunt acciti. Arcus Neruæ restant adhuc fragmenta maxima, inter templum S. Basilij, & turrim militiæ.

Via sacra extendebatur à foro Romano, per arcum Titi Vespasiani, vsque ad eiusdē *Amphitheatrum*, quod vocatur hodie Coliseum. *Sacra* dicta est ab antiquis, quod Augures solemni pompa per eam ad sacra facienda procederent, & in arcem conscenderent.

Ad viam sacram eminentiore loco Titi Vespasiani ex marmore erectus est arcus: in quo sunt exsculptæ victoriæ, & triumphi pompa, qua ferebantur Templi Hierosolymitani spolia, post deuictos Iudæos; nempe arca Fœderis, Candelabrum septem lucernarum, Mensa panum Propositionis, tabulę Decalogi, & vasa sacra ex auro puro, quibus vtebantur ad sacra templi: quæ omnia in eo arcu videntur sculpta, cum curru Triumphantis Imperatoris: in eius frontispicio scriptum est: SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AVGVSTO.

Prope hunc arcum sub Palatino ad dextram turris erigitur quadrata, quam vulgus vocat *Studiolo di Vergilio*: Fabulanturque ridicule ex ea fuisse Poetam appensum in corbe à quadam meretricula, ac toto die spectaculo fuisse populo: quod vt vlciscereтur Vergilius, qui Magicam callebat artem, effecit vt ignis tota vrbe extingueretur: vniuersusque populus candelas, & lucernas incenderet ex flammis, quæ in pudendis mulierculæ fuerant excitatę. Fabula pingitur hæc vbique, sine authore. Non est verisimile tale aliquid magno illi Virgilio contigisse, qui propter continentiam Parthenius vocabatur: Si quid in hac fabula verū sit, de alio Virgilio Mago scriptum puto: de quo Neapolitani quoque dicunt plurima fuisse facta: inter cætera Pausylippum montem excauatum fuisse arte magica, & peruium factum: nam Vergilij sepulchrum prope hanc celebrem cauernam erectum est.

Mons Palatinus longe ante Romam conditam à Romulo, fuit habitatus, à Valentia siue Roma Itali filia. Postea ab Euandro, deinde Reges Romani & Imperatores hunc montem suo domicilio sacrum esse voluerunt: qui omnium collium, quos Vrbis includunt pomœtia, fuit celeberrimus; propter augustas Cæsarum ædes, quæ in eo fuerunt superbissimæ; vt ex ingentibus & admirandis ruinis facile est coniicere. In eo tamen hodie nihil admodum notatu dignum videas, cum omnia sint inculta & deuastata. neque locus est tota vrbe desertior: inter has ruinas templum exiguum S. Nicolai adhuc extat, cum aliquot ædiculis. reliqua occupantur vineis, hortis, & vepribus.

Ad Palatini radices qua spectat templum SS. Cosmi & Damiani, prope Pacis delubrū fuit Curia Hostilia, à Tullo Hostilio condita, in curia veteri, quam paulo ante posuerat Romulus: in hunc locum conueniebat Senatus, quoties de rebus ad Rempublicam pertinentibus tractabatur: & hæc Curia, quo die Clodij à Milone cæsi corpus cremabatur, igne combusta est tota, cum Basilica Portia illi vicina: quam Porcius Cato Censor condiderat, in eo loco vbi domus erat Menij. Alia fuit Curia in monte Cœlio, vbi templum est S. Gregorij. Fuerunt in Palatino monte multa templa diuersis Diis sacrata: ex quibus vnum fuit Victoriæ; à L. Posthumio Ædili Curuli conditum: ex cuius ruinis patet aspectus ad hortos S. Mariæ nouæ.

Apollo quoque ibidem habuit templum: quod fulmine deiectum instaurauit & ampliauit Augustus, addita etiam porticu. Eius vestigia videntur adhuc nonnulla: vt amplissima illa testudo rotunda, quæ supra cæteras eminet ruinas, ac magis integra sese attollit diuersis marmoribus illustris.

Penates quoque suum Fanum ibidem possederunt, ad Veliam, qua spectat forum Romanum: in eo reposita erant simulachra, quæ Æneas ex Phrygia deportauerat in Italiam euerso Illio: hæc in summa veneratione semper habita sunt à Romanis.

Fuerunt in eodem monte multa alia templa: vt Larium, Fidei, Iouis victoris, Heliogabali, Orci, & aliorum Deorum: quibus certus adsignari non potest locus, propter ruinarum implicatas ambages & confusionem.

Domus quoque splendidas multi patricij possederunt in Palatino: vt Tarquinius Priscus, in ea montis parte, quæ spectat templum Iouis Statoris. Et prope has Cicero magnifi-

cas excitauit ædes, quas à Crasso quinquaginta millibus ducatorum emerat: Prope has habitauit M. Flaccus domum, ex qua Q. Catulus Porticum struxit magnificam.

Locus hic palatij ; qui ad Titi spectat arcum vocatus est Germalus : à germanis fratribus Remo & Romulo, qui illic fuerunt à Faustulo nutriti, qui casam incoluit non procul à Græcostasi.

Ab hoc loco vsque ad radices Palatij versus arcum Constantini magni, summa Velia protendebatur: dicta est Velia, quod illic pastores soliti essent vellere lanas ab ouibus, antequam tonsuræ modus innotuisset: vnde lanæ auulsæ vellera vocantur.

Ad summam Veliam, versus S. Mariam nouam, Palatium luculentissimum habuit Scaurus: cum atrio quod circumdabatur altissimis columnis marmoreis: quæ triginta octo pedes longę erant, præter basim & epistylium.

Non procul inde fuit Græcostasis palatium aliud ampliſſimum, in quo diuersabantur legati diuersarum nationum, qui Romam mittebantur. in eo fuerat erecta Concordiæ statua ænea à Flauio, qui Plebem cum Senatu reconciliauerat.

In principio Veliæ domum incolebat Val. Poplicola: quam vna nocte solo æquauit, quod suspectus esset populo, aliamque humiliorem ad radices montis erexit.

Vbi templum est S. *Andreæ in Pallara*, fuit olim delubrum, in quo Palladium custodiebatur, simulacrum ligneum versatilibus oculis, quod Æneas cum Penatibus ex Ilio transtulerat in Italiam. quod in templo Vestæ repositum est postea, & traditum custodiæ Vestalis virginis.

In eodem Palatino, qua spectat Cœlium montem, fuit templum Cybeles : in quo simulacrum Dyndimenes, siue Opis, quæ est Cybele, aduectum ex Ida Phrygiæ per Scipionem Nasicam, religiosissime seruabatur.

In altera parte montis versus Auentinum, fuit domus Augusti Cæsaris, in qua ipse natus est. Eius ruinæ spectantur altissimæ, versus Circum maximum: ad has ædes Augustus erexit templum Apollini, cuius reliquiæ adhuc extãt ampliſſimę: In eius summitate repositus erat Solis currus ex auro. Ibidem posuit & Bibliothecam luculentissimam, quæ Palatina dicta est: in qua erat Apollinis statua ænea quinquaginta pedes alta, Scopæ sculptoris opus artificiosissimum.

Ibidem fuerunt & Balnea Palatina, in quæ deriuabatur pars aquæ Claudiæ, per aquæductus, qui adhuc hodie videntur in vinea Fædriæ Patricij Romani, versus Circum maximum: Vicina his fuit Curia Saliorum, & Auguratorium: & alia plurima, quorum reliquiæ nullæ fere extant.

Porta vetus Palatii, quæ & porta Romuli dicta est, prope rostra demonstratur: saltem eius vestigia satis obscura, è regione S. Laurentii in Miranda.

Relicto monte Palatino inculto & desolato, ad eius radices redibimus, ad columnas Porticus Liuiæ: quibus vicinum videtur templum rotundum S. Theodosio dicatum: id olim conditum dicitur à Romulo, quo tempore bello Sabino Romani perterriti fugerent, eorumque fugam voto suscepto Rex cohibuit, postea Ioui Statori consecrauit. Quidam volunt hoc S. Theodosii templum esse Iouis Statoris, sed ingentes illas ruinarum spondas, quę sunt è regione templi Concordiæ spectantes Capitolium oppositum, quas superius diximus esse partes Curiæ veteris.

Relicto ad dextram Iani quadrifrontis templo, & foro Boario, veniendum est ad Circum Maximum. ad quem cum descendis, occurrit statim locus depressior & excauatus: vnde sub fornicibus amplis emanant aquæ copiosæ; ad quas mulieres suos pannos, & linteа lauant. & hæ dicuntur esse fontis Nymphæ Iuturnæ in Velabro.

Fornicatum illud opus, quod subterraneo ductu longe protenditur, pars est Cloacæ maximę, quæ à Tarquinio structa est, vt esset receptaculum omnium sordium vrbis, quæ per subterraneos commeatus ferrentur in Tyberim. Incipiebat enim hæc Cloaca ex Foro Romano ad Iouis Statoris ædem, deinde per Velabrum porrigebatur in Tyberim. Cuius amplitudo tam lata fuit, vt facilime sub eius fornicibus currus onustus ageretur. Legimus Censores aliquando vendidisse Cloacæ huius immundicias, ad stercorationem agrorum, sexcentis ducatorum millibus. quod cum obiectum esset Imperatori, respondit, Odor lucri bonus

bonus ex re qualibet. *Chiauica* nunc vocatur. Illi vicinus erat Lacus Curtius; à Curtio dictus, qui se in voraginem præcipitem dedit armatum cum equo, vt auerteret pestilentem aerem, bui ex ea exhalabat, & Romam contagio malo infestabat.

Prope Cloacam maximam locus fuit Numæ Pompilio sacer, & mysticus, in quo nespuere quidem licebat vlli: in eo conuenire cum Ægeria nympha credebatur, & ab ea edoceri ritus & ceremonias, quas in suis sacris poscebant Dii immortales. In hoc loco Gallorũ Senonum cineres recondiri erant: nunc *Dolioli* vocatur: propter dolia siue vasa fictilia, quibus cæsorum cineres continebantur sepulta.

Circus Maximus à Tarquinio Prisco primum fuit institutus in quo ludi Circenses, & certamina diuersa populo exhiberentur: occupabat totum id spatium, quod est inter Palatinum & Auentinum: Cuius longitudo est trium stadiorum cum dimidio, latitudo vero trium iugerum. Capax erat hic Circus ducentorum & sexaginta millium hominum: alii restringunt ad numerum CL. nullium. In eo loco Romulus primos edidit Circenses, in raptu Sabinarum, quos Consuales à Conso nominauit, cuius ara sub terra eo loco reperta erat. Tarquinius Priscus postea Circo locum designauit, Superbus ædificauit: Caius Cæsar ampliauit, & Augustus exornauit. Postea collapsum Traianus restituit, & multis auxit ædificiis: & Heliogabalus ex Chrysocolla ibidem strauit pauimentum: sicut fecerat in Palatio ex Porphyro lapide precioso. Ex omnibus his ornamentis nihil fere supersest, præter loci circunscriptionem integram, qua eius amplitudo facile cognoscitur. Versus Palatinum restãt crebri porticuum fornices, quibus sedilia erant tepositа, & testudines plurimæ secundum Circi ductum: quæ putantur fuisse officinæ negotiatorũ, quib. venales merces exponebãtur populo, qui frequens conueniebat ad spectacula. Alii existimant fuisse lupanaria, in quibus habitabant meretriculæ corpore quæstum facientes.

Huic Circo templum habuit coniunctum Neptunus, ad Palatini radices, post S. Anastasiæ delubrum: cuius adhuc ruinæ videntur aliquæ, incrustatæ conchyliis marinis, opere tessellato venustissimo: ibi structum est sacellum Deo Patri dedicatum.

In hoc Circo fuerunt erecti duo Obelisci: quorum maior superauit altitudine cæteros omnes qui in vrbe erant. Longus enim est pedes centum & triginta duos, præter basim: eius pars maior videtur extare in hortis, qui medium Circum occupant: minor longus erat pedes octoginta octo: Hos excindere curauerat in Ægypto Rex Samnefretæus: quos postea Augustus ex Hierapoli Romam transferri iussit, ad ornatum Circi.

Naumachia locus erat, vbi naualũ certaminum fiebat apparatus, ad ludos nauales, qui in Circo exhibebantur: & in his sese Romana iuuentus exercebat: vt quando serio cum hoste decertandum esset, ad rem nauticam non ignari venirent. Naumachiæ locum ostendunt hodie vbi crebræ aquarum lacunæ sunt, & arundinum carecta.

Aquæ illæ quæ super Circo per canalem circa murum fluunt, pars sunt aquæ Claudiæ. Claudius enim Imperator riuum ex fontibus Curtio & Cœruleo (quos Caligula cœperat, & imperfectos reliquerat) deriuauit à porta Næuia per Cœlium montem vsque ad Auentinum, ad ea certamina, quæ in Circo fiebant, perficienda.

A Circo maximo veniendum est in viam Appiam: ad cuius læuam partem ingens Septimii Seueri moles attollitur: quæ quadrangularis olim fuit, septem columnarum ordinibus; quæ sibi inuicem super positæ, septem contignationes in altum extollebant: Columnæ in singulis ordinibus vastis trabibus marmoreis coniungebantur: nullum hoc ædificio fuit altius Romæ. Septisolium vocat Plinius; quod septem solaria contineret: nunc Septizonium dicitur. Hoc ab Imperatore fuit erectum in tantã altitudinem, vt nauigantes ex Africa in Italiam hoc spectare possent è mari, & eius cineres (qui in apice supremo huius molis erant repositi) adorarent: erat enim Seuerus natione Afer: ex tanto ædificio Septisolii tres tantum nostro tempore restant contignationes: quæ longa antiquitate videntur nutare, & ruinam minari: in vno solii circuitu pars inscriptionis mutilatæ restat. C. TRIB. POT. VI. COS. FORTVNATISSIMVS NOBILISSIMVSQVE.

Via Appia, quæ incipiebat ad arcu triumphali Constantini Magni, & prope Septizoniũ Seueri ducebat ad Thermas Antoninianas; inde per portã Capenã ad Ruinas Albæ Longæ, per Terracinam, Fundos, Campos stellatos Brundusium vsque sese porrigebat: Nomen

men cœpit ab Appio cæco Senatore , qui hanc lapidibus duriſſimis ſtrauit vſque ad Capuam: Cæſar protendit vlterius,& deſtructam multis in locis reſtaurauit : poſtea Traianus innumeris ſumptibus ampliauit & perfecit. Eius reliquiæ non ſolum prope vrbem apparẽt integræ,ſed etiam in via,qua itur Neapolim prope Priuernum & Circæum Promontoriũ: Via noua dicitur ea pars viæ Appię,quæ à Thermis Antoninianis ducitur vſque ad Portam Capenam : propterea quod id totum ſpatium pauimento nouo ſtratum eſt ab Antonino Caracalla,dum ſuas extruxit Thermas.

Thermæ igitur Baſſiani Caracallæ,qui Antoninus dictus eſt,ſitæ ſunt ſub Auentino è regione Piſcinæ,& templi S.Sixti:His nullæ videntur Romæ magis integræ, præter Diocletiani.Illarum ruinæ ingentes ſub S.Balbinæ templo conſpiciuntur ſtupendis fornicibus & murorum ſpondis:in quibus plurimæ columnæ ingentes ex Ophite lapide adhuc erectæ ſunt ; aliæ humi ſtratæ iacent : ſunt & ibidem aliquot labra capaciſſima ex marmore:ad has Thermas idem Imperator ſumptuoſas erexerat ædes:quarum ruinæ non facile diſtingui poſſunt à Thermarum ambitu. Sed templum quod Iſidi dedicauerat coniunctum cum ſuo Palatio,nunc S. Nereo ſacrum eſt.

Ad viam Appiam multa fuiſſe templa produnt hiſtoriæ:ſicut Quirini,Martis & aliorũ deorum:ſed quo loco vnumquodque ſteterit,difficile eſt affirmare:cũm ruinis vbique confuſe iacentibus,& multis in locis ſolo æquatis,præter vulgi opinionem incertam , nullum fere nobis relictum ſit veriſimile teſtimonium:Iſidem tamen delubrum habuiſſe id quod S.Sixto dicatum eſt,multi aſſerunt:neſcio an id potius fuerit quod ſupra diximus eſſe S.Nerei,à Baſſiano Caracalla ſtructum.

Ab Antoninianis Thermis via noua(quæ principium ſuum habuit ad Septizonium Seueri,& finiebat ad portam Capenam,reditus patet ad viam Appiam. quæ Capuam ferebat:Capena porta dicta eſt à Capena vrbe vicina Albæ longæ:quam alii Camœnã Portã nominarunt,à delubro Camœnarum quod non procul fuit ab hac porta : Dicta eſt triumphalis; quod per eam olim duo Scipiones triumphis ſolemnibus Romam inuecti ſunt : & nouiſſime Carolus V. Rom. Imp. Paulo III. Pontifice triumphans deuictis Afris vrbem ingreſſus eſt. Porta hæc hodie dicitur S. Sebaſtiani:a templo eidem Sancto conſecrato,quod abeſt à porta duobus paſſuum millibus,ad cœmiterium Caliſti.

Extra Vrbem non longe à mœnibus Mars habuit templum:cuius locus in hortis adiacentibus adſignatur. Quem tamen cum diligenter inquirerem , non inueni , nec vllius notandæ ruinæ veſtigium,licet has Lafrenis ſculptor aſſereret eſſe ad dextram viæ Appiæ partem: *Ad* quam viam cum olim multa deorum templa fuiſſe tradant hiſtoriæ,certi nihil ſtatui poteſt in plurimis,niſi coniectura non ſatis probabili.

Erecta quoque ſepulchra magnificentiſſima ad hanc viam multis viris Patriciis legimus:quæ certo definire;ac ſingula ſuis authoribus adſignare non audeo : licet magno numero conſpiciantur vtrinque adhuc fere integra. Ea moles alta marmorea quadrataque, quæ adſiniſtram attollitur , Cethegorum fuiſſe conditorium teſtantur aliquot epitaphia in ea reperta:Memmia vero rotunda forma videtur,quamuis in vtroq; Cethegorum legantur nomina. Paulo remotius ab Vrbe riuus *Al*monis occurrit qui Romam influens ſub *Auentino* Tiberi inſinuatur.

Ædificium illud altum & rotundum,quod ad dextram erectum eſt , ex inſcriptionibus inde erutis probatur fuiſſe ſepulchrum Scipionum.

Appia via ad dextram relicta ſiniſtrum ingredieris iter , venieſque ad ſacellum illud rotundum,quod vocatur *Domine quo vadis*. Eo loco diuo Petro Roma fugienti metu perſecutionis occurriſſe Chriſtus dicitur:cui cum *Apoſtolus* dixiſſet,Domine quo vadis ? Romãne,iterum crucifigi:*Ad* hoc ſacellum ſiniſtram viam relinques,& dextram frequentiſſimis ſepulchrorum ruinis vtrinque ſeptam inibis. Quodque magis vicinum videtur ædificium Lucullis attribuitur. In eo enim , ſicut & in aliis plurimis,ſub fornicibus integris cellulæ conſpiciuntur , in quibus ordine concinno plenæ cineribus mortuorum vrnæ repoſitæ ſunt.

Ad eam viam ſiniſtra parte paulo vlterius parietes adhuc extant ex coctilibus lateribus;qui pars ſunt templi Fauni & Siluani.

Non

IVNIVS C.F.SILANVS FLAMEN MARTIAL EX S.C. FACIVNDVM CVRAVERVNT, IDEMQVE PROBAVERVNT: ad hunc aquæductum erectum est castellum, ad receptacula aquarum.

Vbi hodie templum est quatuor Coronatorum (quod Honorius Pontifex extrui iussit: & temporis iniuria destructum restaurauit Paschalis II. versus Exquilias) fuerunt olim Castra Peregrina: in quibus diuersabantur sub Augusto nauales copiæ, quas Imperator ad Misenum detinebat.

Palatium Constantini magni, fuit inter portam Gabiusam & Cœlimontanam, nunc S. Ioannis dicitur. Huius palatii magnificentissimæ adhuc supersunt ruinæ, quæ satis indicant sumptuositatem ædificii, tanto Imperatore digni.

Lateranorum Basilica suum nomen retinet (Alter Lateranorum fuit M. Antonij auus) in ea Siluestri Pontificis rogatu Constantinus magnus erexit templum S. Ioanni, qui Lateranus vocatur: Sedes olim Pontificum Romanorum, cuius se vocant Episcopos: sed postea ducti amœnitate collium vaticanorum, in eum locum se contulerunt, vbi palatium celeberrimum incolunt, cum templo S. Petri coniunctum.

In hac Laterana Basilica locus ostenditur orbiculato ædificio & altissimis fonicibus, quod sustentatur octo ingentibus columnis porphyriticis, præter alias duas eiusdem marmoris, quæ ad portam erectæ sunt. Locus hic vocatur Basiliscus Constantini: Fama est Cõstantinum Magnum Lepra laborantem, suasu medicorũ, voluisse lauari in puerorum sanguine, atque ideo sumpruosum hoc ædificium præparasse: sed monitum ab Angelo in somnis, vt aqua baptismi abluеretur in nomine Iesu Christi Dei veri, quem Helena eius mater colebat: Imperatorem obtemperasse monitis cœlestibus, & baptizatum fuisse in eo Labro Porphyritico, quod adhuc medio Basilisco videtur. Sed fabulam esse credendum est: nam ab Episcopo Nicomediensi baptizatum tradunt historiæ, cum in Asiam veniisset: neque ad tam barbarum nefas patrandum, necesse fuit tantis sumptibus extruere hoc ædificium; quod potius tegi & celari oportuit, quam vana ostentatione publicari. Ego puto fuisse balneum Laterani Palatii quod eo vsque protendebatur.

Huic ædificio vicina sunt ad dextram sacella sacra in quibus multa marmora preciosissima, quibus parietes incrustati sunt, conspiciuntur: & columnæ Hierosolymis adportatæ Romam. Ad sinistram duę sese attollunt columnæ marmoris flaui Mischij: quæ manu vel vestibus confricatæ & attritæ, suauissimum emittunt odorem; qualis est violarum cum lilio: De iis diuersæ narrantur fabulæ; à Regina Æthiopum Salomoni donatas: & alia plurima, quæ vt inepta sunt & ridicula, malo ab aliis publicari.

Ingredieris inde Lateranense templum: in quo vndique venustissimi & elaborati artificii marmoreæ sepulchrorum arcæ ac tabulæ sunt dispositæ; quibus summorum Pontificum recondita sunt ossa: neque solum in sepulchris ars commendatur, sed in altaribus, quæ ex marmoribus preciosissimis facta sunt, tanto studio & industria, vt nihil vsquam gentium videri possit absolutius.

Ad summi chori latus sinistrum, parieti adplicata est tabula ænea, characteribus antiquis leges & senatusconsulta sub Vespasiano referens: quæ olim cum aliis multis in Capitolio seruabatur.

Sub hac tabula ad Sacristiæ portam humi iacet tumba Sepulchri Laurentij Vallæ: qui Canonicus erat huius templi.

Ante chorum erectæ sunt quatuor ingentes columnæ æneæ, striatæ, Corinthiacis Epistyliis: opere concauo sed quæ repletæ sunt vt vulgus asserit, terra sancta, quæ ex sepulchro Christi Romam aduecta est. De his columnis varia fertur opinio. Quidam volunt Athenis ex Iouis templo à Sylla Romam translatas: Alii ex rostris nauium in Actiaca pugna captarũ ab Augusto Cæsare conflatas; & ad rei memoriam templo Iouis Capitolini adplicatas: Alii Hierosolymis aduectas in Italiam ab Imperatore Vespasiano, post subactos Iudæos, cum reliquis spoliis, quæ in triumpho Titi proposita sunt.

In Basilica Laterana, quæ integra est & antiqua, cœnaculum est Rotæ amplissimum: in quo Pontificum & Senatus Ecclesiastici Cardinalium & Archiepiscoporum habebatur consessus, cum de rebus magnis tractandum esset. Tres illæ portæ altissimæ & marmo-

reæ, quibus in çœnaculum patet ingreſſus, ex Prætorio Hieroſolymitano ſunt aduectæ.

Inde per ampliſſima deambulacra, relicto S. Marię Gratiarum ſacello, ſuper ſcalis ſanctis duæ ſunt cathedræ ex Porphyro pertuſæ; in quibus aliquot annis (poſtquam Ioanna mulier ſexum virilem mentita, Pontificatum adepta eſt) Pontifices eligendi ſedebant: iiſque admota manu ſub Cathedra, per exploratorem virilia tractabantur: cumque compertum eſſet, marem eſſe, exclamabat alta voce: TESTICVLOS HABET, DIGNVS EST PALI CORONA. Ridicula ſunt hæc, & abſurda: ſed quæ ſummi viri in vſu fuiſſe ſcriptis tradiderunt: Hodie non eſt opus hac inquiſitione: cum nemo ad Pontificatum promouea-tur, qui ſuæ virilitatis non reddiderit antea ſatis efficax teſtimonium.

A loco vbi ſacroſanctæ hæ Cathedræ ſeruantur, deſcenditur per gradus marmoreos ſummæ reuerentiæ ac deuotionis: erant enim gradus Prætorii Hieroſolymitani, per quos Chriſtus virgis cæſus Pilati iuſſu ſanguinolentus populo eſt propoſitus: & in iis craticulæ aliquot æneæ deauratæ videntur adplicatæ marmori, quæ guttas ſanguinis Seruatoris tegunt. Tanta in veneratione habentur, vt piaculum morte dignum haberetur eos pedibus contingere. Geniculatim per hos ad altiora loca conſcenditur; ſuntque ita excauati veſtimentorum attritu, vt cum difficultate maxima conſiſtere quis in iis poſſit: propterea ad latus alii gradus lapidei ſunt erecti, per quos commode aſcenditur & deſcenditur.

Eodem in loco ſuper gradibus ſanctis columna albicantis marmoris demonſtratur, in duas partes diuiſa ab Epiſtylio ad baſim: ea parieti adhæret; & creditur fuiſſe ad ingreſſum ſanctuarii templi Salomonis, quæ Chriſto in cruce Spiritum Deo Patri reddente, cum velo templi rupta eſt, & in partes ſeparata.

Vbi patet ingreſſus in ſancta ſanctorum, ſacellum eſt ſumma veneratione cultum, in quod nulli licet mulieri introire: in eo ſeruatur Arca fœderis, virga Aaronis, menſa cœnæ Dominicæ, Manna ſacrum, vmbilicus & præputium Chriſti, eiuſque ſanguinis phiala vna, ſpinæ aliquot ex eius corona, clauus vnus integer, quo Chriſtus adfixus eſt cruci, Frænum equi Conſtantini magni, quod confectum fuit ex duobus pedum clauis, nam ex quarto cõflata eſt lamina, quæ diademati aureo Imperatoris adpoſita eſt. (Quatuor clauis crucifixum ſeruatorem noſtrum dicunt autores.) Eodem in ſacello oſtenduntur plurimæ reliquiæ, quæ à Romanis ſumma deuotione obſeruantur.

Quieti quondam dicatum erat id delubrum, quod hodie S. Petro ſacrum eſt ad viam Labicanam, quæ eſt inter Cœlium & exquilias.

Non procul à templo S. Ioannis Laterani, Porta eſt eiuſdem nominis, olim Cœlimõtana dicta (quod ad radices Cœlii ſita ſit) & Aſinaria. Ab ea principium ſumit via Campana, qua in Campaniam itur (quæ noſtro tempore *Terra di Laboro* nuncupatur) ac paulo extra vrbem coniungitur cum Latina.

In vltima montis Cœlii parte templum eſt S. Crucis in Hieruſalem, olim ſacrum Veneri & Cupidini: In eo ſeruatur pars crucis Dominicæ, & Crucis titulus ſcriptus linguis tribus, denarius vnus ex triginta, quos Iudas Proditor recepit pro precio venditionis Domini: & alia plurima. Ibidem eſt ſacrum ſacellum ſubterraneum, ab Helena Conſtantini matre conditum, in quod ſemel tantum quotannis patet ingreſſus matronis.

Adiunctum eſt monaſterio templi huius Amphitheatrum minus quidem multo Coliſæo, ſed antiquius: vtpote quod tempore Auguſti ſit erectum à Statilio Tauro: alii vocant id Amphitheatrum caſtrenſe: idque poſitum dicunt à P. Victore in regione Exquilina, in quo milites exercerentur: Nunc eſt ex maiori parte deſtructum à Paulo III. P. M. adinſtaurandum monaſterium: ſed quod reſtat integrum, videtur tam intra quam extra mœnia.

Baſilica Seſoriana ſita fuit ad templum S. Crucis; & porrigebatur vſque ad portam Næuiam: eius ruinarum pars adhuc notatur ſecundum mœnia.

Redeundum eſt ad Lateranenſe templum: ſed notabis ingentes illos arcus, qui per portam Næuiam introducuntur in vrbem, & per dorſum Cœlii montis prope templum Latera-

reæ, quibus in çœnaculum patet ingreſſus, ex Prætorio Hieroſolymitano ſunt aduectæ.

Inde per ampliſſima deambulacra, relicto S. Marię Gratiarum ſacello, ſuper ſcalis ſanctis duæ ſunt cathedræ ex Porphyro pertuſæ; in quibus aliquot annis (poſtquam Ioanna mulier ſexum virilem mentita, Pontificatum adepta eſt) Pontifices eligendi ſedebant; iiſque admota manu ſub Cathedra, per exploratorem virilia tractabantur: cumque compertum eſſet, marem eſſe, exclamabat alta voce: TESTICVLOS HABET, DIGNVS EST PATRI CORONA. Ridicula ſunt hæc, & abſurda: ſed quæ ſummi viri in vſu fuiſſe ſcriptis tradiderunt: Hodie non eſt opus hac inquiſitione: cum nemo ad Pontificatum promoueatur, qui ſuæ virilitatis non reddiderit antea ſatis efficax teſtimonium.

A loco vbi ſacroſanctæ hæ Cathedræ ſeruantur, deſcenditur per gradus marmoreos ſummæ reuerentiæ ac deuotionis: erant enim gradus Prætorii Hieroſolymitani, per quos Chriſtus virgis cæſus Pilati iuſſu ſanguinolentus populo eſt propoſitus: & in iis craticulæ aliquot æneæ deauratæ videntur adplicatæ marmori, quæ guttas ſanguinis Seruatoris tegunt. Tanta in veneratione habentur, vt piaculum morte dignum haberetur eos pedibus contingere. Geniculatim per hos ad altiora loca conſcenditur; ſuntque ita excauati veſtimentorum attritu, vt cum difficultate maxima conſiſtere quis in iis poſſit: propterea ad latus alii gradus lapidei ſunt erecti, per quos commode aſcenditur & deſcenditur.

Eodem in loco ſuper gradibus ſanctis columna albicantis marmoris demonſtratur, in duas partes diuiſa ab Epiſtylio ad baſim: ea parieti adhæret; & creditur fuiſſe ad ingreſſum ſanctuarii templi Salomonis, quæ Chriſto in cruce Spiritum Deo Patri reddente, cum velo templi rupta eſt, & in partes ſeparata.

Vbi patet ingreſſus in ſancta ſanctorum, ſacellum eſt ſumma veneratione cultum, in quod nulli licet mulieri introire: in eo ſeruatur Arca fœderis, virga Aaronis, menſa cœnæ Dominicæ, Manna ſacrum, vmbilicus & præputium Chriſti, eiuſque ſanguinis phiala vna, ſpinæ aliquot ex eius corona, clauus vnus integer, quo Chriſtus adfixus eſt cruci, Frænum equi Conſtantini magni, quod confectum fuit ex duobus pedum clauis, nam ex quarto cõflata eſt lamina, quæ diademati aureo Imperatoris adpoſita eſt. (Quatuor clauis crucifixum ſeruatorem noſtrum dicunt autores.) Eodem in ſacello oſtenduntur plurimæ reliquiæ, quæ à Romanis ſumma deuotione obſeruantur.

Quieti quondam dicatum erat id delubrum, quod hodie S. Petro ſacrum eſt ad viam Labicanam, quæ eſt inter Cœlium & exquilias.

Non procul à templo S. Ioannis Laterani, Porta eſt eiuſdem nominis, olim Cœlimõtana dicta (quod ad radices Cœlii ſita ſit) & Aſinaria. Ab ea principium ſumit via Campana, qua in Campaniam itur (quæ noſtro tempore *Terra di Laboro* nuncupatur) ac paulo extra vrbem coniungitur cum Latina.

In vltima montis Cœlii parte templum eſt S. Crucis in Hieruſalem, olim ſacrum Veneri & Cupidini: In eo ſeruatur pars crucis Dominicæ, & Crucis titulus ſcriptus linguis tribus, denarius vnus ex triginta, quos Iudas Proditor recepit pro precio venditionis Domini: & alia plurima. Ibidem eſt ſacrum ſacellum ſubterraneum, ab Helena Conſtantini matre conditum, in quod ſemel tantum quotannis patet ingreſſus matronis.

Adiunctum eſt monaſterio templi huius Amphitheatrum minus quidem multo Coliſæo, ſed antiquius: vtpote quod tempore Auguſti ſit erectum à Statilio Tauro: alii vocant id Amphitheatrum caſtrenſe: idque poſitum dicunt à P. Victore in regione Exquilina, in quo milites exercerentur: Nunc eſt ex maiori parte deſtructum à Paulo III. P. M. adinſtaurandum monaſterium: ſed quod reſtat integrum, videtur tam intra quam extra mœnia.

Baſilica Seſoriana ſita fuit ad templum S. Crucis; & porrigebatur vſque ad portam Næuiam: eius ruinarum pars adhuc notatur ſecundum mœnia.

Redeundum eſt ad Lateranenſe templum: ſed notabis ingentes illos arcus, qui per portam Næuiam introducuntur in vrbem, & per dorſum Cœlii montis prope templum Late-

teranenſe vſq; in Auentinum extenduntur, pertinere ad aquæductum Aquæ Claudiæ: qui omnium, quos Romæ videmus, altiſſimus & longiſſimus iudicatur : huncque per ſpatium quadraginta milliarium in vrbem introduxit Claudius: cui poſtea Anio nouus adiunctus eſt, per viam Subiacam, & ſummis impenſis deductus eſt per hanc portam Næuiam; eiuſque pars maior in Auentinum deriuabatur, pars in palatium, & reliquum in Capitolium. A C. Caligula cœptus eſt hic aquæductus, poſtea à Claudio ad perfectionem perductus.

Porta hæc Næuia, quæ hodie Maior dicitur vel S. Crucis, creditur fuiſſe in arcu triũphali ſtructa; vt ſumptuoſum portæ ſatis probat ædificium.

Prope ductum aquæ Claudiæ, verſus Cœlium, Xenodochium eſt Lateranum opulẽtiſſimũ, & rebus omnibus, quæ ad excipiendos hoſpites, cuiuſcunq; conditionis aut ſtatus ſint, inſtructiſſimũ. In eo ſunt cubicula, quibus Principes, & nobiles excipi poſſunt commodiſſime. Pharmacopolarũ apothecæ refertæ ſunt omni genere medicamentorũ exquiſitiſſimorum: neq; quicquam poteſt excogitari quod ad ægrorum neceſſitatem conducere poſſit, q̃ ibi non inueniatur, & officioſe omnibus præſtetur: Idq; in cauſa eſt, vt multi nullius rei indigentes, cum in morbos inciderunt, eo ſe deportari curent, ac propriis impenſis curari: nã æquum non eſſet eum publicos ſumptus requirere, qui eos per ſe facere poſſit; ſufficit ſi officioſam medicorum curam exp:riatur, quam pecunia compenſet non ingratus, poſt acceptum beneficium. In huius Xenodochii area latiſſima diuerſis in locis animaduerte ſepulchrorum arcas, & aras marmoreas, labra balneorum & Thermarum; plurimaque marmora antiqua, in quibus ſummo artificio ſculptæ ſunt infinitæ figuræ, Satyrorum chori, menſæ diſcumbentium, Pugnæ Amazonum, Meleagri venatio, & alia eiuſmodi.

Prope hoc Xenodochium arcus panditur per aquæ ductum, qui viam aperit deorſum, tendentem ad templum S. Clementis: quod diuerſis marmoribus peregrinis eſt incruſtatum, & inſcriptionibus antiquis illuſtre: maxime repręſentatione inſtrumentorum, quibus in ſacris peragendis Pontifices, Augures, & Sacerdotes vti ſolebant.

In eadem via ad muros hortorum, exiguum eſt ſacellum, conſtructum eo loco, vbi Ioanna Pontificatũ adepta cũ vir æſtimaretur, peperit, & mortua eſt in pompis illis ſolemnibus, quas proceſſiones ſacras vocant: idque factum eſt toto Clero ſpectante non ſine admiratione, & abominatione, vt ex pictura expreſſum eſt, qua tantum piaculum deſcriptum eſt. Hanc Ioannam ſuum ſexum mentitam quidam dixerunt fuiſſe Luſitanam, alii Anglã: alii Moguntinam. Fama eſt poſt hũc partum pompas ſacras quę quotannis ſolemni ritu ducuntur ex Vaticano in Lateranum templum, propterea nunc diuertere ad templum S. Clemẽtis, declinantes locum illũ, in quo ſcandalo ęterno ſacra polluta ſunt inceſtu meretricis.

Paulo vlterius in reditu ſeſe offert ſtupenda illa & admirabilis Amphitheatri moles, ſtructa ex ingentibus Tiburtinis lapidibus, inter Cœlium montem & Exquilias. Hoc Coliſæũ vulgo vocatur: à Coloſſea ſtatua (quam Nero illic erexit centum & Viginti pedes altam.) Domius enm Neronis id totum loci ſpatium occupabat, quod eſt inter Palatinum & Cœlium, & porrigebatur vſque ad Exquilias, vbi erant horti Mecenatis: vt potius Vrbis quam domus formam referret, in eius enim ambitu claudebantur, agri, lacus, ſiluæ, & porticus lõgo milliari integro tribus columnarum ordinibus: reliqua artificia deaurata, & gemmata erant: in ea fuit delubrum Fortunæ Seiæ, in quo fuit Simulachrum Deæ ex marmore Phengite, vel diaphano. Domus huius porta principalis fuit, vbi poſtea eſt erectum Amphitheatrum antequam attollebatur ingens ille Coloſſes Principis: Huius Amphitheatri tãta fuit altitudo, tanta amplitudo, tam concinna ſtructura, vt nihil admirabilius Romę videri poſſit. Cœptum eſt à Veſpaſiano Imperatore, & abſolutum à Tito eius filio. Triginta ſeruorum millia tantum opus perfecerunt ſpatio vndecim annorum. Capax fuit octoginta ſeptem millium hominum, qui commode in gradibus, & ſubſelliis poſſent ſedere, & ſpectare Iudos, qui media cauea quotannis exhibebantur.

Adſiniſtram erectus eſt Conſtantini Magni triumphalis arcus verſus Cœlium Septizonium Seueri, ad Palatini radices. Extat adhuc integrum cum ſuis victoriis & ſtatuis. Hic arcus poſitus eſt Conſtantino à Romanis, poſt deuictum ad pontem Miluium Maxentium qui tyrannide barbara Vrbem oppreſſerat.

Ante Coliſæum ſupervia qua itur ad arcũ Titi Veſpaſiani ædificium eſt altũ & erectum,

testudinatum,&acutum in speciem pyramidis rotundæ:Hoc vocabatur meta sudans:quod inde manarent aquæ copiosæ & vberes,ex quibus bibebat populus,qui in Amphitheatrum ad publica spectacula conueniebat. Ab Amphitheatro via sacra sub arcu Titi transibis ad forum Romanum:Capitolioque ad læuam relicto,à templo S.Martinæ , vbi est Marforij statua,diuertes recta ad Palatium Maffæorum in quo videntur capita virorum illustriũ cum suis pectoribus collocata singula in suis basibus.& alia quinquaginta quinq;, quæ pectoribus carent;& puer nudus:& vrna antiqua morea,& alia statua vestita,sed sine capite: plurimaque fragmenta spectatu digna;vasa,pateræ,lucernæ,crateres,& membrum virile:Caput Laocoontis artificiosissimum:Simulachrum mulieris sedentis:duo alia Capitibus truncа,& vnum integrum vestitum.Ibidem est tabula marmorea, in qua Circus expressus est, cũ suis metis,doliolis,obeliscis,&altaribus,&alia tabula discumbentiũ in triclinio cum synthesi:nusquam alibi maiori forma vel artificio exquisitiore cernitur.In hortulo sunt duę statuæ vestitæ sine capitibus:& alia mulieris sedentis,quæ capite ac brachiis trunca est. Est & ibidem Pila grandis,in quæ Pan sculptus est cum Syringe,& Cupidine. Plurima in hoc palatio videntur antiquitatis monumenta , epitaphia,inscriptionesque,& eiusmodi reliquiæ priscæ vetustatis,quæ mirifice delectant peritiorum artificum , & literatorum hominũ oculos,& ingenium excitant.Quibus diligenter perlustratis domum te conferes , & recipies in tuũ diuersorium,vt postera die ad videnda quæ in aliis vrbis regionib. supersunt,sis paratior.

ROMANÆ VRBIS TOPOGRAPHIA.

DIES TERTIVS.

EQVEBATVR,vt eodem,quo prius,ordine cœptum iter persequeremur. Tra-iecto igitur Ælio ponte , & relicto S.Angeli Castello , venies circa Tyberinam plateam ad domum cuiusdam diuersorii,quæ ad Vrsum vocatur. Atque vbi via bifurcatur,ingredieris partem dextram,versus turrim Sanguineam:prope quam est Baldi Ferratini domus,in cuius frontispicio est Galbæ Imperatoris statua paludata,erecta in basi marmorea antiqua. Ibidem demonstrantur pilæ duæ , & tabula diuersis figuris antiquis insignita. Apud Ioannem Baptistam Galletum,super fenestra versus Tyberim,ingens est muliebris facies,quasi larualis;& statua mulieris vestitæ , quæ mammam alteram nudam gerit.Iisdem in ædibus ingens est tabula marmorea,in qua est Æsculapius , dextra serpentem tenens:cui adstat mulier,quæ & serpentem manu comprimit : superius est hæc inscriptio.NVMINIBVS C.PVPIVS.C.F.ANI FIRNINVS SANCTISS.D.D.Ibidem est pila variis insculpta figuris:inter quas est Hercules qui magno conatu geminos tauros manib. tenet,vtrosq;cornib. apprehensos.Inde venies ad domũ Cardinalis Pacieci Hispani,prope Agonem:quam postquã diligenter perlustraueris,& quę in ea notatu digna sunt inspexeris, accedes ad templum S.Apollinaris,antiquissimum:quod olim Apollini sacrum fuit:à cuius posteriori parte est S.*Augustini templũ,in quo Monicæ eius matris sepulchrũ ostenditur.

Non procul ab hoc S.*Augustini templo sunt ædes *Archinti vicarii Pontificis Maximi:in quibus ad ascensum graduũ statua visitur ænea integra habitu seruili:cuius similima est in Capitolio,quam Zingaram vocant.In superiore scalarum parte sunt tria capita artificiosissime facta,vnum Iouis,alterum Iouis Capitolini,tertium cuius sit ignoratur.

*Amplissimum illud forum quod à templo S.*Apollinaris,& Palatio Duciss Parmẽsis,vsque ad Gallorum templum,quod S.Ludouico dicatum est,extenditur,nunc *in Agone* dictus,Circus fuit *Agonalis;in quo *Agonalia certamina, & *Agonales ludi;in honorem Iani à Numa Pompilio celebrari cœpti sunt. Hunc Circum,postea amplificarunt & exornauerunt,primum Nero,postea *Alexander Mammeæ filius:qui prope Circum palatium erexit amplissimum,& Thermas *Alexandrinas,amœnitate ac locorum splendore celeberrimas.

Hadrianus quoque illic Thermas extruxit,vbi est templum S.*Aloysij:&Nero suas illic habuisse Thermas dicitur,inter templum S.Mariæ rotundæ,& vicum Longobardorum, post templum S.Eustachij:sed earum vestigia non admodum magna sunt,ædificiis illic frequentibus , quæ veterum monumenta fere omnia texerunt,& aboleuerunt : propterea in

vrbe

vrbe plana,præter ſtatuas,& marmora aliunde adportata,pauca vidétur antiqua ædificia.

Apud Marium Melinum in Agone,in area domus,videtur ſtatua Palladis armata & galeata:& Veneris nudæ;& alterius mulieris togatæ,quæ capite & brachiis eſt mutila. Eſt & ibidem gladiator nudus,& Hercules,fracti vterque:& mulieris Sabinæ caput cum toto pectore. In cœnaculo eſt Cupido nudus & alatus,ad ſimilitudinem Alcibiadis factus, cum adhuc eſſet puer:Sunt & ibidem Siluani & Bacchi ſedentium corpora,ſed admodum mutilata. Et caput Druſi cum toto pectore toga amicto, & Iouis caput inſigne , & alia decem capita,quorum nomina ignorantur. In cœnaculo vicino,eſt Satyrus integer forma venuſta & mirabili,& artificio ſingulari.

In domo Ioannis Baptiſtæ Melini,tria ſunt capita pectoretenus egregia: & ſtatua ſenis ſtolata,cui adſtat puer veſte amictus.

In ædibus Epiſcopi Sauli prope Agonem,ſuper domus frontiſpicio,repoſita eſt ſtatua mulieris veſtitę,& in cænaculo oſtenditur caput M. Ciceronis,M. Tullij Oratoris filij.

Apud Alexandrum Ruffinum,prope templum *S.* Aloyſij ſimulachrum eſt Iulij Cæſaris armatum,& quaſi Coloſſæum:cuius crura ſunt ocreis antiquis eleganter circumducta: è regione eſt Octauius Cæſar eiuſdem altitudinis & veſtimenti: His duabus ſtatuis vix Romæ quicquam ſpectatur rarioris artificij. Oſtenduntur in ea domo Caput aliud Iulii Cæſaris Coloſſęum,& alia quatuor,duo virorum,& duo mulierum.

In domo Duciſſæ Parmenſis,non procul ab Agone,in hortulo,Bacchus eſt nudus,qui innititur arboris trunco pampinis racemiferis tecto: Ibidem eſt alius Bacchus nudus , cui adſtat Ampelos puer Deo dilectus,vterque caret capite. *S*unt ibidem alia ſtatuarum fragmenta tam nuda,quam veſtita,quæ fere omnia capitibus mutilata ſunt & brachiis. Oſtenditur in pariete grandis tabula marmoris candidi,in qua tres Curiatij ſunt expreſſi,& mulieris cuiuſdam in genua procumbentis.

Apud Franciſcum Ragaterium,non procul à templo Pacis,ſunt Capita Getæ Imperatoris, Bacchi,Hadriani, *A*lexandri Magni, Traiani, M. *A*urelii adhuc iuuenis, *A*ntonini Pij,Pyrrhi regis Epirotarum,Cleopatræ,aliud *A*lexandri magni,Iouis tria capita, Naturæ, Satyri ſiue Panis,*S*atyri pueri ridentis, Veneris & alia viginti ignotorum hominum,ſuntque hæc omnia coniuncta cum ſuis pectoribus,& egregiis baſib. repoſita. *A*lia ſunt apud eundē pluſquā quadraginta numero capita,à corporibus trūcatis rapta:& Iouis caput ex Porphyro:& multa alia Leonū,canum,equorum, ſtatuarumq; aliarum partes diuerſæ:nam vir hic antiquitatis adprime ſtudioſus eſt, & in his colligendis nullis parcit ſumptibus. Idē poſſidet vineam ad Portā Flaminiam,quā ornauit infinitis inſcriptionibus,& ſimulachris antiquis: inter quæ eſt Rex Numida captiuus ex Porphyro pręſtantiſſimi artificij:apud eundem videtur thorax æneus alicuius Imperatoris,precii & operis rariſſimi.

In domo *A*lexandri Cherubini,quæ ſita eſt ad templum Pacis, præter aliquot inſcriptiones antiquas,videtur & venuſtiſſimum *S*iluani ridentis caput ex puriſſimo marmore.

Inter templa *S.* Euſtachij & Mineruæ, videntur ruinæ quadratæ & longæ: reliquias quidam aſſerunt eſſe templi boni Euentus:qui colebatur ab Antiquis,vt conſiliorum,& rerum quas homines peragendas aggrediebantur , felicem & expectatum finem largiretur:Eius ſtatua formabatur habitu plebeio,læta facie,dextra tenebat craterem , ſiniſtra ſertum ex ſpicis. Fornices illæ rotundæ & altę,quæ ſpectātur eo loco,qui Ciambella dicitur, partes ſunt reliquiarum Thermarum M. *A*grippæ. Prope quas Nero quoq; Thermas ædificari curauit ſumptuoſiſſimas:quarum veſtigia cernuntur ſatis ampla , à poſteriore parte templi *S.* Euſtachij. M. *A*grippa,prope ſuas Thermas conſtruxit templum architectura , & ſumptib. admirandū. Nullum in vrbe antiquius,nullum integrius aut ſplendidius extat hodie. Hoc quia Diis omnibus ſacrauerat *A*grippa,Pātheum vocatum eſt: *A*lij Opi turrigeræ Deorū matri dicatū volunt:ideo templū hoc rotundum eſt,& latitudinem æquat ſua altitudine:Opis.n. ſiue Cybele,ſiue Dindymene terram rotundam habet ſub ſua protectione: propterea pingitur turrita,q; in ſua ſuperficie turritas vrbes , arces & caſtella ſuſtineat terra:hodie dicitur *S*anctæ Mariæ rotundæ delubrum:Sphericum illud ædificium caret feneſtris:Lucē admittit ingenti orbe,qui apertus eſt in ſummitate fornicis. In medio locus eſt profundus,& crate ęnea tectus,ad excipiendas aquas pluuias:eius aditus Pronao,ſiue Porticu ele-

ticu elegantiſſima cultus eſt, quem ſuſtinent columnæ ingentes tredecim ex Ophite marmore Epiſtyliis Syracuſanis. Laquearia, quæ tectum ſuſtinent, ænea ſunt auro perfuſa, cum valuis & porta. Fuit olim laminis argenteis coopertum; ſed Conſtantinus Heraclii nepos eas abſtulit cum reliquis vrbis ornamentis: quarum loco reſtituræ ſunt Plumbeæ à Martino VII. Pont. Max. Aditus olim ad portam patebat gradibus ſeptem, qui templum in circuitu cingebat: nunc vndecim ad eam deſcenditur; vnde apparet quantum ex ædificiorum ruinis ſolum Vrbis accreuerit. In hoc Pantheo ſepultus eſt Raphael Sanctius Vrbinas, pictorum noſtri ſæculi Princeps. In anteriore frontiſpicio hæc leguntur: M. AGRIPPA L.F. COS. TERTIVM FECIT: & paulo inferius literis minoribus hæc continentur. IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX ARABIC. ADIABENIC. PARTHIC. MAXIMVS PONT. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. PP. PROCOS. ET IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONIVS PIVS FELIX AVG. TRIB. POTESTAT. V. COS. PROCOS. PANTHEVM VETVSTATE CORRVPTVM CVM OMNI CVLTV RESTITVERVNT. Ante porticum huius templi duo Ægyptii Leones ex lapide Marmaridum ſubnigro & duriſſimo ſuis baſibus erecti ſunt: ipſæque baſes literis hieroglyphicis exſculptæ ſunt: Inter vtrumque Leonem repoſitũ eſt vas amplum ſiue arca ex porphyro, opera & lapidis magnitudine admirandum: cui non abſimile videtur (paulo tamen minus) in templo S. Mariæ maioris in Exquiliis ſubſtatua Crucifixi.

Non procul à Pantheo Minerua ſuum habuit templum, quod occuparunt hodie Dominicani, retento nomine antiquo: vocatur enim S. Maria della Minerua In eo Pompeius magnus repoſuerat titulos ſuarum Victoriarum. Ruinæ adhuc extant ſatis amplæ in hortis Monaſterii. In eo pauca videntur antiquitatis monumenta, ſicut in tota vrbe plana: præter paucas inſcriptiones, quæ in repoſitoriis aquæ Luſtralis & altaribus leguntur. Sacerdotes enim & Monachi, penes quos eſt templorum. Ad templum Mineruæ, in domo Metelli Porcarii, ante domus portam ſtatua videtur matronæ ſedentis, quæ capite caret: & in angulo Terminus eſt ingens erectus, qui hanc continet inſcriptionem. C. LIVIVS C. FILIVS IVSTVS NOV. MIL. COHOR. IV. P. R. D. LICINII. MIL. ANN. XIX. VIXIT ANNOS XXXVII. SPE. TF. I.

Ibidem eſt vrſus deuorans ouem, & equus mutilus, cui vir inſidet: & ſacrificium marmori inſculptum; & tabula marmorea cum hac inſcriptione.

VENVLEIA. P. P. L. PHILEMATIVM SIBI ET VIRO SVO M. PORTIO M. L. POLLIONI SCR. LIBR. ÆD. CVRLICI. CVR DE SVA PECVNIA FECIT.

Eodem in loco eſt cande labrum antiquum triangulare & tabula marmorea, vbi eſt expreſſa Diana ſummo artificio. Sunt & ibidem corpora trunca Herculis, Hermaphroditi, Fauni, Veneris, Apollinis, Bacchi; & aliquot Imperatorum: & capita tria rariſſimi Operis. Sunt & pilæ duæ: in vna Meleagri ſculpta eſt venatio: in alia Cacus attrahens cauda boues Herculis in ſpeluncam. in tertia pila ſunt labores Herculis: in quarta ſunt laruæ, Porci, inuolucra fructuum & florum: in quinta eſt rex vectus curru quadriiugo. illic quoque videtur ſtatua Conſularis togata; duo ſerui & paſtor veſtitus. Sed tres hi capitibus carent. In cubiculo vicino ſunt Capita M. Agrippæ M. Catonis M. Antonij Bruti' Cleopatræ, Romuli, Auguſti, Tiberij, Veſpaſiani, M. Aurelij Neruę, Hadriani, Othonis, Lucillę, Antonię, Veneris Sileni & alia duodecim Conſulum capita: Fragmenta quoque ſtatuarum Palladis, Herculis, Commodi Imp. Numidici regis, duorum ſeruorum: tres porci, & alia plurima, quorum nomina cognoſci non poſſunt, & tabulæ marmoreæ, in quibus vir cum iugo boum ſculptus eſt, & alter vir leonem inuadens.

Apud Iulium Portarium, ſuper porta ad introitum, tabula eſt elegans marmorea, Venatione Meleagri & Athalantæ nobilis: Ad parietem quinque ſunt aliæ tabulæ, ſuo ordine diſpoſitæ. in prima vir eſt continens cultellum: in 2. arator, in 3. tonſor ouium, in 4. Currus à bufalis tractus, in 5. diuerſæ ſunt figuræ: Alia eſt tabula intrinſecus, quæ continet multas mulieres, in quarum medio eſt vir nudus. Ad dextram erecta eſt ſtatua pueri veſtiti, ſuperpoſita baſi marmoreæ, in qua ſunt plures figuræ peditum, equitumque pugnantium: ex altera parte taurus eſt Europam tergo geſtans: In corte, duę ſunt ſtatuæ capitibus truncæ,

eæ,vna viri nudi,altera veſtiti, & trunco arboris innitentis. Super platea tres ſunt ſtatuæ matronales ſine Capite.

A poſteriore parte *S.* Mariæ rotundæ,cum deſcendis à via lata, eo loco vbi Ieſuitæ habitant, erectus eſt arcus antiquus, rudis, & omni ornatu nudus,qui Camillianus vocatur. Hunc à Camillo extructum putant,ſed falſo : nam primum ſub Imperatoribus hæc opera publice ſunt excitata.

In domo Nicolai Stagni,prope arcum Camillianum, retro Mineruæ templum, eſt Herculis ſtatua nuda, cuius caput tectum eſt leonino rictu,corio circa collum inuoluto, quę niſi pedibus careret,poſſet reponi inter præſtantiſſimas, quæ tota Roma ſeruantur. Eſt ibidem alia ſtatua nuda, quam aliqui volunt eſſe Iouis, alij Neptuni : Hæc cum ſuperiore Herculis excellentis ſunt artificij : inuentæ in Exquiliis, prope Thermas Titi; eo loco qui le ſette *Sale* vulgo nominantur, in vinea *Stagnorum*. Præter has duas ſtatuas,videntur in eadem domo plurima fragmenta antiquitatis, quæ ſingulatim deſcribere nimis longum eſſet.

Apud Leonardum ſculptorem oſtenditur ſimulacrum Hadriani integrum nudum vſque ad femora: & Lucretiæ corpus, ſed valde mutilatum. Et Hercules nudus integerque, ſpolio Leonis in læuum brachium inuoluto. & alter Hercules ſpolio in humeros reflexo. Bacchuſque integer: Venus ſedens:duo Bacchi paruuli,nudi & integri : Capita Iulii Cæſaris,& Octauii Auguſti:Pyrrhi regis Epirotæ caput galeatum,cum pectore armato, Epiconium caſſidis eſt harpyia ſuſtinens criſtas. Ibidem ſunt capita ex alabaſtro,Fauſtinæ iunioris cum toto pectore amicto toga:& Galeriæ Fauſtinæ pectore tenus,& quinque alia capita virorum ignotorum,& mulierum:maxime cuiuſdam matronæ oſtenditur facies elegantiſſima,ex alabaſtro cotognite,quæ omnia collocata ſunt egregiis baſibus marmoreis.

Apud Iulium Sabinum ſculptorem plurima ſeruantur antiquitatis monumenta:inter quæ eſt coloſſeum Palladis caput:capita Iani bicipitis, Termini,Liuiæ vxoris Auguſti,Iuliæ Octauii filiæ,Galbæ,Auguſti,Septimij Seueri,Commodi,Gordiani,& duæ Fauſtinæ.Bacchus quoque integer breui quidem ſtatura,ſed elegans,& Europę ſtatua.

In domo Pauli de Caſtro demonſtratur caput Socratis cum toto pectore : & Galeriæ Fauſtinę, Veneris, Palladis,& Opis. Ibidem eſt Priapi ſtatua nuda,ſtans in baſi:& alia multa notatu digna, quæ ſpectatorem mirifice recreabunt.

Haud procul inde,prope S. Macutum,ſunt ædes Giacomélli:in quibus oſtenditur ſtatua Atis paſtoris Idæi nuda,innitentis trunco arboris,& inflantis tibiam. Ibidem eſt Faunus venuſte cachinnans exerto ore,& baculo percutiens Hydram mordicus tenentem vuam: Eſt & in eadem domo Meduſa veſtita,galeata,integra,caſſidem manu ſuſtinens:In cubiculo Corti vicino, Venus eſt nuda:& capita Fauſtinæ ſenioris,& Liuiæ Druſillæ vxoris Auguſti,matris Tiberii,quem ex Tiberio Nerone priore marito ſuſceperat. Sunt & ibidem capita Iani bicipitis,Panis,Corneliæ Pompeij vxoris,Iuliæ Iulii Cæſaris filiæ & vxoris Pompeij,C. Cæſaris,qui M. Agrippæ & Iuliæ fuit filius. & alia quinque capita,quæ ad quos pertineant ignoratur. Dominicus de Nigris habet domi ſuæ ſtatuam Copiæ, quæ ſiniſtra manu tenet cornu,plenum fructibus:Habet & Nympham Naiadem dormientem,quæ ſiniſtra recubat in vrnam & hanc ex aquæductu virginis deſumptam volunt:illi vicinus eſt Nar fluuius ſeminudus,læua premens cornu copiæ:Eadem in domo eſt Bacchus pampino redimitus, & Hercules tenens fuſtem:& aliquot capita virorum illuſtrium:vt Hadriani,Neronis,& Othonis. Prope arcum Camillianum ſuper platea iacet pes coloſſeus ingentis magnitudinis: qui indicat altitudinem monſtroſam,& artificium ſtupendum ſtatuæ, cum eſſet integra.

Apud Auguſtinum Rhegienſem ſunt aliquot ſtatuæ dignæ quæ videantur,& Deorũ, illuſtriumque Principum capita,tabulæ & inſcriptiones: ſicut & apud Papyrium Papazuccam,& alios:in quorum ædibus multa demonſtrantur, quæ ſtudioſus hoſpes poteſt cum vtilitate non parua,& recreatione contemplari. Franciſcus de Aſpra,qui domum incolit, ad S. Macutum,habet ſtatuam Copiæ integram veſtitam,quæ tenet cornu ſtriatum, plenum fructibus & floribus. Habet & Pomonam veſtitam & integram:& Ariſtidem Athenienſem: & Bacchi ſimulacrum.

Thomas ſculptor duo ſeruat capita Fauſtinæ ſummo artificio ſculpta:& Palladis galeatæ:& pueri ridentis:& Siluani auriculis cincinnelliſque caprinis: & ſtatua Puelli nudi ludentis cum hœdo:multaque alia fragmenta egregia.

Per viam latam veniendum eſt ad Palatium Sancti Marci verſus Capitolium: ad cuius introitum videtur ingens labrum marmoreum,quale ſpectatur ante templum S. Saluatoris dellauro:quod inuentum eſt in Thermis Agrippæ. Ante portam templi ſita eſt coloſſea ſtatua mulieris,quæ creditur eſſe Faunę,ſiue Fatuæ, ſiue Bonædeę. In ſuperiore parte graduum Palatii,caput eſt marmoreum elegans: & in Cœnaculo ſuper porta cubiculi vicini,ſtatua eſt nuda,cuius nomen neſcitur. In ſuperiore loco palatij duæ ſunt ſtatuæ, vna mulieris veſtitæ ſedentis:altera viri nudi ſedentis in trunco,& puellum manu tenentis. Ibidem eſt tabula marmoris candidiſſimi, in qua ſingulari artificio ſculptæ ſunt aliquot hominum figuræ ſacrificium peragentes,boue,ariete,& porco. In horto palatij caput eſt antiquum,marmoreum,& artificioſe ſculptum:& fragmentum marmoris, in quo expreſſa eſt Cleopatra,&mulieres circum plangentes. Sunt& ibidem plurima,quæ perluſtrabit hoſpes boni iudicii,& cum vtilitate delectabitur omnibus.

In domo Curtii Fraiapanis,Mercurius eſt nudus,petaſatus,& alatus: Cupido. & Aries Phryxeus. multaque capita ſingularis artificii tam Deorum quam virorum illuſtrium: vt Marij Coſ. Auguſti Cæſaris,Hadriani,Antinoi,Lucillæ,Caracallę,Iani, Iouis, Bacchi, Veneris,& aliquot Laruæ tam ex porphyro,quam ex marmore.

Apud Laurentium Mancinum,non procul à S. Marco,tabula eſt eximij operis, in qua cælati ſunt multi Cupidines alati,& viri,mulieres,aliaq; animalia:apud eundē caput eſt ingens Coloſſeum:& Leoninum caput,rictu continens animalquoddam:& alia capita virorum & mulierum. His diligenter perluſtratis veniemus ad Forum Traiani, quod eſt inter forum Neruæ,Capitoliū,& Quirinalē. Neruæ forum erat eo loco& ſpatio,quod eſt poſt S. Hadriani ædem:in cuius medio fuit olim columna ingens ęnea:totumq; forū variis illuſtriū virorum ſtatuis exornatum; quæ vel antiquitate perierunt,vel alio translatæ ſunt: dictum eſt Tranſitorium,quod ex eo tranſitus patebat in forum Auguſti, Cæſaris,& Romanū: medium enim erat: vnde templum S. Hadriani *in tre fori* nuncupatur:de hoc ſuperius tractatum eſt: Ad hoc forum Nerua ſtruxerat palatium: cuius ruinæ adhuc extant ad turrim militiæ,& templum S. Blaſij. Ex hoc foro Neruæ tranſitus breuis eſt in forum Traiani quod fuit inter Capitolium, Quirinalem, & forum Auguſti; cinctum fuit porticu magnifica, fulta ingentibus columnis Apollodoro architecto: In ea fuerunt imagines virorum illuſtrium,& diuerſarum rerum bellicarum & tropheorum. Ibidem fuit & arcus triumphalis marmoreus,qui periit,neque illius hodie apparet veſtigium:ſicuti neque magnificæ illius porticus. De his omnibus ornamentis ſola columna Cochlis ſupereſt, quæ notas manifeſtas præbet Imperatorij ſplendoris:in eius circuitu cælatæ ſunt res geſtæ Principis bello Dacico,& aliis expeditionibus militaribus: Alta eſt pedes CXXVIII. præter baſim: quæ cum columna efficit CXL. ſtructa eſt lapidibus viginti quatuor,tantæ vaſtitatis, vt opus videatur non ab hominibus perfectum,ſed à Gigantibus:ſinguli lapides,ſiue partes columnæ,continent gradus octo:per hos patet aſcenſus ad ſuperiora,per interiorem partem concauam:Lumen præbent aſcendentibus feneſtellæ XLIIII. Nihil poteſt vſquam gentium videri admirabilius,nihil magnificentius. Erecta eſt in honorem Principis,vt oſtenderetur quantæ altitudinis mons egeſtus eſſet in eo loco:vt ſcriptum eſt in baſi:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS IMP. CÆSARI DIVI NERVAE F. NERVAE TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONT. MAX. TRIB. POT. XVII. Imp. VI. Cos. VI. P. P. AD DECLARANDVM QVANTAE ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

Hanc columnā non vidit erectā bonus Imperator, qui tunc occupatus detinebatur bello *P*arthico:& in reditu ſanguinis fluxu mortuus eſt apud Seleuciam in *S*yria;eiuſq; corpus Romam translatū eſt;&in ſummitate columnæ,pila aurea eius oſſa recondita ſunt. Duę illæ columnæ,quę videntur prope S. Marię de Laureto templū,reliquiæ ſunt porticus Traiani.

Templa S. Baſilii,S. *S*ilueſtri,& S. Martini quæ poſita ſunt à *S*ymmacho I. P. M. ſita ſunt in hoc Traiani foro,& Bonifacius VIII. *P*apa tres turres ibidem extruxit, quæ vocatæ ſunt

turres

turres militiæ (potissimum quę est media) quod fundata sit super loco', vbi erant stationes militum Traiani.

Coruini domus eo loco fuit, vbi hodie est macellum *di Corui* : prope quod est domus Marci Macaronei, ante cuius portam reposita est ingens basis columnæ: in qua cælatæ sunt choreæ saltantium. Super porta est caput Alexandri magni: ad ingressum domus ad parietem, adplicatum est vas marmoreum ingens, in quo sculptus est Hercules sequens virtutẽ. In horto est equus frænis, ephippiis, & stragula tectus, cui insidet vir; sed toto corpore truncus: inuentus est in Thermis Antoninianis. Ibidem est Laocoontis simulacrum semiruptũ (cuius artificium summopere laudat Michael Angelus) Apollinis, & Dianæ, & Sphyngis, & mulieris quæ continet instrumentum musicum : Demonstantur ibidem multa capita marmorea: vt Romuli, Hersiliæ eius vxoris, Alexandri Magni, Iulii Cæsaris, Octauij Augusti, Marcelli eius nepotis, Traiani, Hadriani, Antonini Pij, & Zoroastris Bactrianorum regis, qui dicitur Astrologiæ inuentor: ac Antonini Caracallæ, cuius statua fuit integra in eius Thermis, sed dum effoderetur confracta est, & solum caput cum pectore reseruatum.

Progressis in Exquilinũ montem àpparet Cliuus Suburanus, quo ad arcum Gallieni conscenditur: Subura enim principium sumebat à Foro Neruæ, & sub Carinis extendebatur vsque ad viam Tiburtinam, quæ Exquilias medias diuidebat, vnde pars illa media cliuus Suburanus vocatus est. Vallis illa quæ est inter Exquilias & Viminalem, vsque ad Thermas Diocletiani, dicta est Vicus Patricius: quod in eo Patricij plurimi domos incolerent præstantissimas. Inter Viminalem & Quirinalem montes, fuit Subura plana vbi prope templum S. Mariæ in campo, fuit puteus S. Probæ.

Exquiliæ, quæ vulgo dicuntur hodie *le Squille*, dictæ sunt ab excubiis, quæ tempore Romuli fuerunt illic dispositæ, diuiduntur, vt diximus, à Cœlio via Labicana : & separantur à Viminali vico Patricio: Exquilinum collem partitur medium via Tiburtina, quæ à Subura extẽditur ad portã Næuiã. Hęc Tiburtina via, antequã pertingat Trophæa Marij, in duas distribuitur partes : ad dextram tendit versus S. Ioannẽ Lateranũ, & cum Labicana iungitur: Pars sinistra vocatur via Prænestina quæ tendit ad portam S. Laurentij. Ad viam Tiburtinã loco elatiore attollitur arcus Gallieni Imperatoris (qui dicitur S. Viti, propter templum vicinum) simplex est admodum, atque ornamentis destitutus: structus ex Tiburtino lapide.

Prope hunc arcum fuit olim Macellum Liuianum : in quo carnes & obsonia vendebantur. A templo S. Viti via sursum ducit ad ędem S. Mariæ maioris, quæ habet insignem structurã auro, & marmoribus peregrinis selectissimis exornatam. Sustentatur enim altissimis columnis marmoreis Ionicis: antequam reposita est arca porphyritica, forma fere eadẽ, quali videtur altera ante Pantheum. Fuit hoc templum olim dicatum Isidi. In eo sepultus est S. Hieronymus. ibi ostenditur imago Mariæ virginis, quæ creditur depicta à S. Luca Euangelista. Prope hoc templum sacellum est sancto Lucæ sacrum, versus fanum S. Potentianæ: in cuius colle decliui, fuit olim Lucus Iunoni summa religione sacer.

Redeundum est iterum ad Arcum S. Viti, relicto templo S. Praxedis : in quo multæ sunt inscriptiones: & columna illa ad quam Christus alligatus virgis cæsus est: hanc Hierosolymis adportatam colunt Romani summa religionis deuotione. Iter igitur vertes versus Amphitheatrum, & Thermas Titi Vespasiani: Prius tamen ingredieris templum S. Petri ad vincula: vbi Sadoletus sepultus est. Et prope sacrarium ad dextram sepulchrum est Iulii II. Pont. Max. vbi est ille Moses Bonaroti, statua quæ nulli ex antiquis artificio & perfectione cedit. Ibidem videntur duæ pulcherrimæ statuæ muliebres vestitæ & sedentes, & aliæ duæ stantes: & quatuor capita elaboratissima Firminorum. Ante templi fores repositum est vas marmoreum capacissimum, simile illi, quod est ante S. Marcum.

Hinc paruo interuallo venitur ad templum quadraginta Martyrum: à quo vsque ad templum S. Clementis secundum viam Labicanam extendebatur ea pars Exquiliarum, quæ vocabatur Carinæ

In hoc cliuo versus Amphitheatrum ruinæ sunt ingentes, Thermarum Titi Vespasiani, ac eius palatii, in quibus adhuc amplissima spectantur ædificia subterranea, quæ dicuntur *le sette Salé*. Erant enim castella, siue aquarum receptacula, quæ ad lauacra Thermarum e-

rant neceſſaria. In vineis adiacentibus Feliciorum viſuntur adhuc integri fornices, in quibus picturæ Groteſcorum apparent venuſtiſſimæ. Pertinebant enim concamerata hæc loca ad Palatium Titi. Et in his reperta eſt illa Laocoontis ſtatua, cum duobus filiis, quæ in Palatio Vaticano Pontificum cum tanta ſpectantium admiratione demonſtratur.

Templum S. Martini in montibus à Symmacho Pontifice ſtructum eſt, in ruinis Thermarum Hadriani; à cuius nomine locus vocatur hodie *Adrianello*.

Prope templa SS. Iuliani & Euſebii, moles quędam latericia & alta exrollitur, in qua fuerunt caſtella aquæ Marciæ: In huius molis ſuperiore parte erecta ſunt Trophæa, hoc eſt armorum & ſpoliorum congeries alligata trunco arboris. Hęc omnia ſunt ex marmore poſita bello Cimbrico in honorem C. Marii: quæ cum Sylla euertiſſet, à Iulio Cæſare ſunt reſtituta in integrum.

In Vineis prope *S.* Euſebium à poſteriore parte trophæorum Marij, magnæ ſunt ruinæ Thermarum Gordiani: prope quas idem Imperator ſplendidum erexerat palatium; quæ ducentas habuit in duplici ordine columnas marmoreas: Sed de iis omnibus, præter ingentes murorum ſpondas, nihil videtur admodum notabile: cum ex iis poſtea ad nobilium domos translata ſint omnia ornamenta.

Ab his Thermis extendit ſeſe ad dextram via Labicana, quæ protenditur vſque ad portam eiuſdem nominis quæ hodie Porta maior dicitur; in cuius frontiſpicio legitur inſcriptio literis maiuſculis.

Inter portas *S.* Crucis, ſiue maiorem, & *S.* Laurentij, hoc eſt inter Næuiam & Exquilinam, ſecundum mœnia conſpiciuntur ruinæ illius amplæ Baſilicæ, quam Auguſtus ædificauit ſub nomine ſuorum Nepotum Caij & Lucij: ex qua reſtat adhuc fornix altiſſima: quam vulgus appellat *Gallucio*, corrupto vocabulo pro Caio & Lucio.

Non procul inde fuit palatium Licianum: ad quod fuit Vrſus pileatus, locus ita dictus ab Vrſi ſtatua, quæ pileo tecta fuit. Fuit hoc Palatium, vbi poſtea templum *S.* Biviane ſtructum eſt à Simplicio Pontifice.

Viuarium Populi Romani continebat id totum ſpatium, quod eſt in vineis, quæ ad dextram ſecundum mœnia videntur: ex hoc, præter ignobiles ruinas, nihil apparet.

Secundum mœnia venies ad Tiburtinam portam, quæ & Exquilina dicta eſt, & Taurina: nunc *S.* Laurentij vocatur, à templo vicino, quod olim eidem diuo poſitum eſt à Conſtantino Magno, antiquitate & religione clarum. In eo plurima ſunt antiqua monumenta, tabulę marmoreæ & ſarcophagi diuerſis figuris, & varietate marmorum illuſtres: maxime eo marmore, in quo ſacrificiorum inſtrumenta videntur ſculpta, vaſa, thuribula, craticulæ, lituus, focale Pontificium, aſpergillum, & cætera.

Per hanc portam ſumptuoſo aquæductu introducitur in Vrbem aqua Marcia: quem primum Q. Martius extruxit, poſtea vetuſtate conſumptum reſtituit Agrippa deducebatur hæc aqua per millia triginta quinque, antequam Vrbem contingeret: & per campum Exquilinum deriuabatur ad Thermas Diocletiani, & ad loca vicina: ſalutifera enim fuit, ideo potui ciuium maxime accommodata. In hoc aquæductu hæc leguntur.

IMP. CÆS. DIVI IVL. F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS COS. XII. TRIBVNIC. POTESTAT. IX. IMP. XIII. RIVOS AQVARVM OMNIVM REFECIT.

IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FELIX AVG. PARTH. MAXIM. BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX MAXIMVS AQVAM MARCIAM VARIIS CASIBVS IMPEDITAM PVRGATO FONTE EXCISIS ET PERFORATIS MONTIBVS RESTITVTA FORMA ACQVISITO ETIAM FONTE NOVO ANTONIAN. IN SACRAM VRBEM SVAM PERDVCENDAM CVRAVIT.

IMP. TITVS CÆSAR DIVI F. VESPASIANVS AVG. PONT. MAX. TRIBVNICIÆ POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. II RIVVM AQVÆ MARCIÆ VETVSTATE DILAPSVM REFECIT. ET AQVAM QVAE IN VSV ESSE DESIERAT REDVXIT.

Ab altera parte huius Portæ ingrediebatur vrbem aqua Tepula, & Iulia: Huius ſcaturigo diſtabat ab vrbe milliaria ſex: & Tepulæ vndecim, quæ oriebatur ex Fraſcatino agro. His cõiunctus erat & Anio Vetus, qui ex Tiburtinis montib. à milliarib. viginti Romã perducebatur. Paulo vlteriꝰ ſuper Aniene, pons eſt Mãmeꝰ: ſic dictus à Mãmea Iulia matre Alexãdri

dri Seueri Imperatoris:cuius impensis pons est restauratus: nunc vulgo nuncupatur *Ponte Mammolo.*

Via Prœnestina ab hac Porta Exquilina ducebat Prœneste: & ab hac quoque oriebatur Labicana via, quæ ad Labicanos,hoc est,ad Valmontonem ferebatur.

Pars illa Exquiliarum,quæ est prope templum Sancti Laurentij in Fontana, vocabatur Cliuus Virbius:prope quem Faguralis erat Lucus:ad quem Seruius Tullius habitauit: ibique dictus est Vicus Sceleratus,quod in eo Tullius à genero cæsus est,& per patris mortui corpus filia currum agere iussit aurigam:& hic sceleratus vicus habebat suum principiũ ab hoc loco plano,& extendebatur vsque ad Busta Gallica: vbi Galli Senones cæsi cremati& sepulti sunt per Camillum:locum hodie vocant Portogallo: vbi structum est templum S. Andreæ ad Busta Gallica: vicus hic Sceleratus vocatus est & Cyprius.

In summitate vici scelerati Palatium habuit Cassius, quod solo est æquatum:& in eo Telluris templum structum est:quod hodie S. Pantaleoni dicatum est.

Templum S. Gregorii in Damaso constructum est in ruinis triumphalis arcus Gordiani,qui multis marmorib. peregrinis,& variis ornamentis, & ædificiis fuerat excultus: omnia adornatum ædis sacræ adplicata.

Prope *S.* Agathæ templum,ad radices collis viminalis,*S*iluani fanum fuit; cuius ampla videntur adhuc vestigia.

Exquilino colli Viminalis adiacet,qui circa mœnia in longum extenditur:dictus à Iouis Viminalis templo,quod ibi structum fuit religione & sumptibus clarum. Ab hoc colle dicta est Porta Viminalis,quæ est Numentana,quod per eam Numentum ducit via. Nunc vocatur porta *S.* Agnetis;ab eius templo,quod olim fuit Baccho sacrum. In eo videtur vastissima arca ex Porphyro,qua maior nusquam conspicitur: in cuius frontispicio plurimi pueri vindemiam colligentes exsculpti sunt. Hanc hodie appellant imperiti sepulchrum Bacchi:Remotius aliquanto in via Numentana, Pons est Numentanus,à Narsete Eunucho structus,vt docet inscriptio.

Nero Imperator inter hanc portam Numentanam & Salariam,habuit *S*uburbanum ædificio singulari,quod Liberto donauit:& in eo supplicium publicum metuens, pugione sub papillam adacto,adiuuante *S*poro liberto,sibi mortem consciuit; huius suburbani aliquot ruinæ sunt adhuc superstites.

Porta Querquetulana hodie clausa est:extra quam videntur mœnia erecta forma quadrata:reliquiæ sunt castelli,in quo diuersabantur milites, qui custodiæ Diocletiani Imperatoris erant destinati.

In dorso viminalis admirandæ vastitatis,& sumptuositatis videntur Diocletiani Thermæ semidirutæ:nullæ tamen in vrbe sunt magis integræ: in his construendis quadraginta Christianorum millia,per annos quatuordecim,seruili more dicuntur esse vexata. Diocletianus & Maximianus eas magno sumptu inchoauerunt,sed à Constantino & Maximiano postea sunt absolutæ,& dedicatæ:hodie vocantur *allé Terminé*; & locus ille subterraneus (qui dicitur *La botta di Terminé*) castellum est siue receptaculum aquarum, quæ ad lauacra erant necessariæ.

Ad has Thermas magnificentissimum struxerat Palatium Diocletianus:quod testantur ruinæ,testudinataq; ædificia,adhuc fere integra:& ingentes columnarum bases, quæ ibidẽ inuentæ sunt. In eo fuit illa celebris Bibliotheca Vlpia,in qua libri seruabantur Elephantini.

In harum Thermarum parte dextra,Bellaiani sunt horti amœnissimi:in quibus vidẽtur plurimæ statuæ artificiosissimę,suis loculis adplicatæ,& in deambulacris dispositæ: vt Iouis,Apollinis,Orphei,Palladis,Bellonæ,Vertumni,Antinoi,& aliorum Deorum, virorumque illustrium:quæ in illo semicirculari testudinato ædificio tam venuste suis basibus erectę sunt. In superioribus deambulacris marmoreis simulachra sunt duarum Naiadum, Hebes, Vulcani,Ganymedis,Iouis,Apollinis,*S*abinæ vxoris Hadriani,Lucillæ, Faustinæ iunioris,aliorumque plurimorũ. Muri fere omnes,Punicis & Medicis arboribus, Gedris, Cypariſſis, myrtis, & lauris in speciem peristromatum concinne tecti, non mediocrem præbent spectantibus delectationem,potissimum cum florent omnia,vel fructib. & pomis variega-

ariegati sunt parietes. Sunt præterea ipsi horti omni herbarum genere summo artificio & ndustria culti. In alia Thermarum parte postrema, vbi eleuata sunt ædificia concamerata & ampla (quæ vocantur *le Botté*) templum est S. Susannæ, quod olim fuit sacrũ Quirino. In eo .n. loco Romulus in cœlum antea translatus, Proculo Iulio Alba redeunti creditur apparuisse: propterea illi à Senatu diuini sunt honores tributi, & templum positum.

Inter has Thermas Diocletiani, & inferiora loca, quæ extenduntur vsque ad arcum Constãtini, totus ille cliuus vocabatur vallis Quirinalis, quod in ea Romulus Proculo venit obuiam: & varia cum eo communicauit.

Inter Viminalem & Exquilinum, vallis illa quæ est inter Diocletiani Thermas, & templũ S. Mariæ maioris, continuit Olympiadis balnea: quorum adhuc vestigia demonstrãtur nõ procul à tẽplo S. Laurentij in Palisperna. Prope hæc Decius Imperator palatiũ suũ struxit. Versus Exquilias vbi delubrum est S. Pudentianæ, (quod Pius primus P. M. precibus S. Praxedis, Pudentianæ sororis, strui iussit) sunt adhuc multæ ruinæ Balneorum Nouati.

Vbi vero ædes est S Vitalis, paulo inferiore loco, ad principium Quirinalis montis, multæ sunt ędificiorum ruinæ: in quibus olim fuerunt balnea *A*grippinæ matris Neronis.

In templo S. Laurentii in Palisperna, prope quod Decius habuit Palatium, demonstratur marmor ingens summa veneratione & religione cultum: in quod S. Laurentij corpus assatum & vstulatum repositum est post eius mortem.

A templo S. Susannę, via longissima ducit ad Quirinalem montem quem hodie vocant Monte Caballo. In ea igitur via decliui, descendentibus ad dextram occurrunt horti Cardinalis Carpensis, qui omni ornamento antiquitatis pleni sunt: His .n. nihil tota Roma, imo si ausim dicere tota Italia videtur amœnius, nihil magnificẽtius. Neapolis multos habet hortos insignes fontibus, herbis, & arboribus, maxime Toletanos qui Chiaiæ vocãtur, sed prẽter amœnitatẽ situs, & aquas vberes, frigidas, & salubres, pauca habẽt antiqua. In his Carpẽsib. nihil desiderari potest, nihil excogitari ab homine, ꝙ non reperiatur: tanta magnificentia ædificiorum, tanta marmorum peregrinorum varietas, statuarum excellentia & pulchritudo, inscriptionum numerus & diuersitas (quarum plusquã CXXXVI. numeraui diuersis figuris artificiosissime sculptas) vt omnia ad miraculũ & delicias tanquam in paradiso aliquo proposita esse videantur. *A*nte cætera fontis illius congrua concinnitas, & artis admirandæ singularis perfectio, reliqua omnia quæ ibi spectantur, videtur præcellere. Quæ etsi à diuersis autorib. summis laudibus celebrata sint, præsentia tamen famam videtur superare. In his hortis Cardinalis homo antiquitatis, & bonarum literarũ amantissimus, sumptuosissimas excitauit ædes, columnis, statuisque marmoreis illustres: Ad quarũ primũ ingressum, super porta caput Medusæ colosseum repositum est. *A*d secundam portam simulachrum est Naturæ, multiplici mammarum numero & variis animaliũ, florũque figuris exsculptũ. *A*d primos palatii gradus videtur Sphynx ex marmore; & Æsculapius. In corte est Hercules, qui læua innititur clauæ spolio tectæ Leonino, dextram vero in latus inflectit. Ibidẽ est senex vestitus pectore, & vno crure nudus, pedibus antiquo modo diuersis ligamẽtis reuinctus. Pallas quoq; galeata continens clipeum innitens trunco, circa quem sese coluber insinuat. cui est Terminus vicinus: & Vraniæ statua tenens tesserulam quadratam: sequitur eodem ordine Terminus, deinde mulier quæ ventri & sinistro femori prætendit vestem. Postea tertius Terminus cum spolio Leonino. Septimo loco est Tragœdia tenens laruam. octauo Terminus: Nono mulier longa veste amicta: cui vicina est alia mulier amicta longiore instita. Sequitur Terminus pallio tectus, & aperto virili membro.

In corte est Pluto insidens tricipiti Cerbero: & muliebre simulachrum ex lapide subnigro: aliud quoque virile vestitum est: & hoc cum superiore capite caret.

In cœnaculo super porta Pastoris statua dormientis videtur: in cuius basi scriptum est. AT SECVRA QVIES ET NESCIA FALLERE VITA.

*A*d ingressum fontis est Hercules, continens manu Hesperidũ mala; secũdo loco est Faunus vtrem premens. *A*d fontem adplicata est Nympha Naias, iacens somnolenta: ad vtramque partẽ duo sunt pueri, qui blande ridentes vidẽtur domientẽ Nymphã contẽplari: opus in quo diuinum apparet sculptoris ingenium. Ex altera parte, est mulier veste longa amicta, quæ tenet vasculũ, ex quo scaturit aqua limpidissima. Super cisterna duobus locis erecta

&tá ſunt ſimulachra Pomonæ & Floræ. Ad dextram eſt ſtatua Serapis ex lapide Numidico, repoſita in baſe antiqua diuerſis ornamentis vndique variegata. Ibidem eſt Iuppiter pectore & brachio nudus, reliquo corpore tectus pallio. Sunt & ibidem capita Meduſæ, Palladis, & Iani bifrontis & tabula marmorea, in qua ſculptus eſt Mithras Deus Perſarum, mactans taurum. Prope ciſternam ad ingreſſum ſecretioris hortuli, tabula eſt marmorea, in qua duo viri ſunt veſtiti, quæ hæc verba continet ΑΓΛΗΒΟΛΩ ΚΑΙ ΜΛΑΑΧΒΗΛΩ.

In ingreſſu hortuli duæ ſunt ſtatuæ veſtitæ, vna Palladis, alia mulieris cuiuſdam, vtraquæ mutilata eſt capite.

Super porta eſt muliebre caput cum veſtimento antiquo, & Tabula marmorea, in qua Hercules expreſſus eſt, magno conamine torquens mulierem capillis, quæ in ſerpentẽ deſinit. Hanc nonnulli interpretantur eſſe Lerneam paludem, ad quã Hercules Hydrã vicit.

In hortulo eſt Pallas veſtita, repoſita in vaſe marmoreo ſiue vrna, quæ diuerſis animalium & auium figuris eſt exornata. Ibidem eſt candelabrum ingens triangulare, cum trib. figuris elegantibus Herculis Famæ & Fortunæ. Ad dextram eſt Apollo nudus veſte circũ brachium læuum implicata, ad cuius pedes eſt anas. Eſt & aliud candelabrum triangulare cum ſuis figuris, & in eodẽ ſculpta vota Ioui & Syriæ. Sunt ibidem vrnæ duodecim pulcherrimæ: & corpus viri armati: duæq; pyramides. Ad ingreſſum vineæ poſita eſt nympha Neruis recumbens in vrnã: ſub qua raptus eſt Proſerpinæ, & vtrinq; duo Coloſſæi pedes. In vinea eſt Terminus cũ capite duplici: & Venꝰ cũ Cupidine: & Domitiani ſtatua nuda, cũ ſpolio leonis; Palladis quoq;, & Liuiæ Druſillæ vxoris Auguſti. Extra vinearũ vmbracula tripodes ſunt Apollinis duo excellentiſſime elaborati: & ſtatuæ Veneris ſeminudæ, Ledæ, Hermaphroditi, Apollinis, & Faunæ, quæ fuit bona Dea. In vmbraculis arborũ ſimulachrũ eſt Satyri ſedentis in trunco, cui ſuperiecta eſt pellis Leonina: & Leo inſignis ex marmore miſchio: & per totam vineam ſunt inſcriptiones variæ, & epitaphia notatu digna. Pius Rudolphus Cardinalis plurimas fecit impenſas, & ſingulari cura diſquiri iuſſit quouis precio, quicquid tã in Vrbe quã foris potuit reperiri, quod ad ornamentũ huius vineæ, ac ſui palatii (quod ædificauit in Campo Martio, de quo poſtea mentionẽ faciam) facere videretur.

Multa quoque conceſſit Laurentio Rudolphi ſuo fratri; in cuius domo videtur Mercurius nudus & petaſatus: alter Mercurius cum lyra. Hermaphroditus integer nudus cũ cane: Diana ſuccincta in ſpeciem venatricis ſingulari artificio. Bacchus nudus: quatuor laruæ: Tabula marmorea in qua tres ſunt mulieres habitu ſacerdotali. In eadem domo multa ſunt capita antiqua cum ſuis pectoribus, ſingula ſuis repoſita baſibus, inter quæ eſt Traiani, M. Aurelii, Catonis, Commodi, Hadriani, Antinoi, Antonini Pij, Septimii Seueri, Scipionis Africani, Bruti, Bacchi, Herculis cum ſpolio leonis circa fauces religato. Et alia plurimorum deorum fragmenta.

Inter hortos Carpenſes, & templum S. Suſannæ, via eſt arcta & obſcura, quæ ſub Quirinalem tendit: ad quam ruinæ Templi Solis oſtenduntur.

Quirinalis mons (qui *monte Caballo* vocatur hodie) diuiditur à viminali ea via, quæ protenditur ad portam S. Agnetis. Dictus eſt à Quiritibus, qui cum Tatio ex Curibus vrbe Sabinorum Romam migrantes, hunc collem occupauerunt. Porrigiturq; à templo Quirini, ſiue S. Suſannæ, inter Portas Collinam & Collatinam, vſque ad turrim Comitum.

In hoc Quirinali monte ſunt horti magnificentiſſimi Cardinalis Ferrarienſis: quibus nulli Romæ videntur arborũ diuerſarũ cultu ſplendidiores, & ædificio mirabilis artificii, quod ex arboribus conſertis ſimul, & implicatis Labyrinthum efficit. Parietes vndique & muri malis Punicis, Medicis, Citriis, Limoniciſque, in morem tapetorũ tecti ſunt cura & induſtria non vulgari: quæ ſummam delectationem toto anno præbent, maxime cũ fructus maturi ſunt: qui cum floribus variis & laſminis croceis & albis venuſtiſſime pingunt texturã. Diuerſitate ac numero ſtatuarum, & inſcriptionum antiquarum ſunt hi horti inferiores Carpenſibus; ſed cultu & arborum exquiſitarum multitudine longe ſuperiores.

In dorſo Quirinalis coloſſeæ ſunt duorum virorũ ſtatuæ, quæ frænis duos ingentes equos marmoreos impediunt. In harũ baſi ſcriptum legitur OPVS FIDIÆ OPVS PRAXITELIS. Ab his equis Mons Caballinus vocatus eſt. Et hos fama eſt Romã aduectos à Tyridate Armeniorum rege, & dono datos Neroni; qui vt regem peregrinum Romano ſplendore excipe-

ret,

ret, Pompeij Theatrum, in quo ludos exhibuit, laminis aureis tridui tantum ſpatio ſterni curauit. Quam magnificentiam non tam admiratus eſt Rex barbarus (qui non ignorabat, Romam eſſe receptaculum diuitiarum totius orbis) quam diligentiam, & ſolertiam artificum, qui tam breui tempore tantum operis potuiſſent conflare & perficere.

E regione harum ſtatuarum vaſtiſſimæ conſpiciuntur & altiſſimæ teſtudines; quæ ſunt reliquiæ Oratorii Neronis; quod cum ſuis hortis habuit coniunctum. Spondę enim muro-rũ ingentes ab hoc loco per cliuũ, vſq; ad inferiorem Quirinalis partem, vbi eſt Palatiũ Liuiæ Columnæ, protenduntur. quæ ſatis indicant magnificentiam & amplitudinem domus Imperatoriæ; in cuius elatiore parte, altiſſimum ſeſe extollit frontiſpicium, quod vulgus vocat *il Fronton di Nerone*. Ex hoc Nero ſpectauit Vrbis incendium, quod ipſe perincendiarios ſecreto excitauerat, & Chriſtianis imputauit, vt eos in odium Senatus populiq; adduceret: edicto que publicato quotquot Chriſtum fatebantur Deum, comprehenſi, & in Neronis hortis flammati ſunt, & crudeliſſime excarnificati.

Videntur in alia Quirinalis parte arcus, fornices, & cellæ ſubterraneæ plurimæ: ea omnia ſunt Thermarum Conſtantini Imperatoris reliquiæ.

In Quirinali, qua Subuſtam ſpectat, in vineis Bartholinorum, ſacellum adhuc extat fornicatum, teſſellato ex conchyliis opere venuſtiſſime exornatum, & piſcium variorum figuris: id olim fuit Neptuno ſacrum.

Vicinus huic ſacello locus eſt qui vocatur *Bagnan apoli*, vocabulo corrupto, pro Balnea Pauli: vbi Paulus Æmilius Balnea conſtrui curauit; & *Palatium di Comiti* ſtructum eſt in parte horum balneorum. Turris autem di Comti erecta eſt ab Innocentio III. P. M. qui ex hac Comitum familia natus erat. Altera turris Militiarum ſtructa eſt à Bonifacio VIII. P. M. Horum Balneorum Pauli nunc ſuperſunt exiles reliquiæ.

In hac Quirinalis parte, fuit domus Corneliorũ, à qua hodie dicitur *il vico de' Cornelij*: & templum S. Saluatoris *de' Cornelij*, quod olim fuit Saturno & Baccho ſacrum.

A templo S. Saluatoris via porrigebatur vſque ad portam S. Agnetis per dorſum Quirinalis: Hãc vocarunt antiqui *Altam ſemitam*: ad cuius dextram partem, prope collis exitum, non procul à S. Vitali, Pomponius Atticus ædes habuit amœnas cum Luco.

Inter extremitatem Quirinalis & Viminalem, fuit Suburra plana: & paulo remotius a dradices viminalis templum erat Siluani.

In apice Quirinalis fuit templum Apollinis & Clatræ; & ſacella Iouis & Iunonis, Capitoliumq; vetus: Horum nullæ fere ſuperſunt reliquię, niſi quæ oſtenduntur in aliquibus domibus, quæ in ruinis veterum ædificiorum ſunt extructæ.

Forum & domus Saluſtii fuit non procul à templo ſanctæ Suſannæ, eo loco qui dicitur hodie *Saloſtrico*. ad quam habuit hortos amœniſſimos, qui totum hoc ſpatium complectebatur, quod eſt inter portas Satariam & Pincianam: occupabantque magnam horum collium partem: & vallis illius quæ eſt inter vtrumque. In horum medio adhuc videtur obeliſcus paruus literis Ægyptiacis ſignatus, qui dedicatus fuit Lunę.

In deſcenſu Quirinalis verſus forum Neruæ, & locum vbi cudebantur olim nummi, turris alta ſeſe extollit, quã *Torre meza* vocant hodie: Ea pertinuit ad Mecænatis domũ: ad quã hortos habuit cultiſſimos: & ad hos ſæpius ſe conferre ſolitus erat Auguſtus Cæſar, vt cum amico ſe oblectaret, dum ſe à curis grauioribus vellet extricare. Non deſunt qui aſſerant hanc turrim, partem eſſe templi ſolis: quod à M. Aurelio Soli dedicatum fuit.

Non procul à Turri Comitum domus eſt *Aſcanij* Magarozzi: in qua videntur capita marmorea Sabinæ mulieris, *Alexandri* Mammeæ filij, Hadriani, Lucij Veri, Claudij Imp. qui Gallieno ſucceſſit, & Bacchi ex rubro marmore. Ibidem ſunt ſtatuæ pueri humeris vrnam ſuſtinentis, & Bacchi frontem pampinis reuincti. Eſt & in eadẽ domo tabula marmorea ſingularis artificii, in qua vir expreſſus eſt taurum conficiens, quem mordicus tenet canis, ſerpens genu occupat, & ſcorpius pungit teſticulos: In eadem tabula videtur ſol & luna, & facula incenſa, & alia plurima. Eſt ibidem Sileni ſimulachrum ebrii, & recũbentis in vtrem. & Fons precioſi marmoris, quod mortarium eſſe dicunt: & duæ tabulæ lapideæ, in vna viri ſunt aliquot cum facibus ardentibus: in alia eſt Hercules mortuus, quem famuli pyræ imponunt: Seruat & idem Magarozzus duos Terminos egregios cum ſuis longis baſibus in

bus in quarum medio sunt membra virilia, vt in cæteris quæ Romę sunt conspiciuntur. Habetis quoque statuam Martiæ Otacillæ sedentis in Solio, & Iuliæ Mammęæ sedentis quoque: vtraque vestibus est amicta, & capita Æsculapij, & colossi incogniti, multaque alia notatu dignissima: quæ omnia inuenta sunt in Cœlio monte, prope delubrum S. Stephani.

In domo Euryali Siluestris prope turrim di Comti, ad templum Pacis, Bacchus est nudus, coronatus hedera, & innitens arboris trunco: & Venus nuda elegantis artificij. In introitu cœnaculi, statua est Sabinæ mulieris vestitæ: & super porta videntur capita Iouis, Augusti, & Hadriani. In vicino cubiculo est Hercules nudus, & Diana vestita, cum cornib. lunæ inter frontis capillos. Et Bacchus nudus Pampinis redimitus, craterem manu tenens, & palliolo in humeros reflexo. Eodem in cubiculo sunt capita Sabinæ, Endymionis, Antonini Pij, Hadriani, Antinoi: hæc duo postrema reperta sunt in ruinis bustorum Gallicorum. Sunt & alia capita Palladis, & Augusti Imp. & duæ tabulæ, quarum vna continet leonem in taurum salientem, alia Dei cuiusdam incogniti simulachrum. In alio cubiculo Diana seruatur succincta, cum pharetra ex humeris pendente: & Pan quasi saltans: & duę Veneres, vna seminuda: altera quæ dextra pubem tegit, sinistra continet indusium. Illic quoque videntur multa alia antiquitatis monumenta: vt Imperator Paludatus, Dianæ caput lunatum: M. Antonij Triumuiri, pueri ridentis facetissime, Cupidinis, Iouis, Neptuni: aliæque statuæ ex bona parte mutilæ: vt Lucretiæ, Herculis, Ledæ colludentis cum cigno, Sabinæ mulieris vestitæ, & gladiatoris nudi, ex cuius humeris dependet baltheus, cum framea lata.

TOPOGRAPHIA VRBIS ROMANÆ.

DIES QVARTVS.

RElicta nobis erat pars huius Topographiæ postrema: quam eodem, quo & superiores partes, prout quæque obuiam occurrunt, succincto ordine tractabimus.

A Burgo igitur per pontem Castelli S. Angeli aduerso Tyberi venies ad eum locum qui dicitur *Kipeta*: vbi fanum erat Neptuni, quod vetustate collapsum Hadrianus Imperator restaurauit & ampliauit: in eo naufragi tabulas suæ fortunæ soliti erant appendere, & vota suscepta pro sua conseruatione soluere: nunc dicatum est S. Blasio.

Inter Tyberim & viam Flaminiam, in valle Martia, ad templum S. Rochi videntur ingentia ædificia Mausolei Augusti: Hoc Mausoleum structum est ab Octauiano Cæsare, vt in eo sepeliretur, ac post eum reliqui Imperatores ex familia Cæsarum: eodem in loco prius erectum fuit amphitheatrum siue Circus à Iulio Cæsare, quem Augustus in sepulchretum conuertit: Huius circunferentia cernitur adhuc fere integra & superstes, opere per rhombos distributo: Pertinetque ad ædes Sonderinorum, vbi Galeriæ Faustinæ caput est elegans sed pectore recenti. In domo Franc. Sonderini ostenditur statua Pasquini (sic illam appellat Dominus ædium) spectantis Anteum mortuum: hanc maxime commendat Michael Angelus. Ibidem est Vestalis amicta longa instita; & Gladiator; & Diana succincta cum pharetra, aliaque corpora marmorea ex aliqua parte mutila: Est & ibidem pila capacissima: in cuius frontispicio viri sunt quatuor equos frænis continentes, cũ his inscriptionibus: prima legi non potest: in secunda scriptũ est Hoc Est. in tertia Sic Est. quarta deleta est: in quinta Et Crede Non licet. In altera Pila è regione Mausolei sũt triũphi Amoris & aliæ figuræ: in tertia sculpta est aprorũ venatio: in Mausoleo ostenditur statua mulieris tenẽris cornu copiæ plenũ fructibus, & Æsculapius colossęus vestitus cũ suo serpente.

In hac mole Mausolei duo fuerunt erecti obelisci ex ophite lapide Ægyptiaco, singuli pedes XLII. longi: quorum vnus iacet fractus in via Flaminia ante templum S. Rochi; alter semisepultus terra cernitur in hortis posterioribus.

Circus Iulij Cæsaris eum locum complectebatur, qui est ab hac mole Mausolei, vsque ad montis vicini radices. Prope quem Augustus habuit palatium & porticum magnificam.

Lucum quoque Diis manibus sacrauerat Augustus: qui porrigebatur per colles mœnib.

adiacentes,à templo S.Mariæ *del Popolo*,vſque ad templum Trinitatis. Marcelli ſepulchrũ vicinum fuiſſe Mauſoleo multi aſſerunt; & eius reliquias oſtendunt, quas ad Mauſoleum pertinere puto. Naumachiam quoque inſtituerat Auguſtus in depreſſiori parte vallis Martiæ,quæ ad collem hortulorum vergit,in qualudi nauales fierent:Sed cũ vetuſtate collapſa eſſet,eam poſtea reſtituit Domitianus,& illi ſuum nomen impoſuit. Prope quam Flauiæ gentis templum extruxit idem Domitianus:ſed eius nullum ſupereſt hodie veſtigium: quidam volunt eſſe *S.Silueſtri*: Vallis Martia,dicta eſt à Campo Martio,cuius pars erat depreſſior,complectebaturque eum locum,qui eſt inter Tyberim & collem Hortulorum, & ab arcu Domitiani in via Flaminia,vſque ad portam *del Popolo*.

Via Flaminia lapidibus ſtrata eſt à Cn Flaminio Coſ.poſt deuictos Ligures:porrigebaturq; à porta Flaminia ſiue flumentana(quæ nunc *porta Populi* vocatur) vſque Piſaurum,& Ariminum. Extra portam Flaminiam,multi ſunt horti ciuium,in quib. plurimæ inſcriptiones antiquæ & ſtatuæ ſpectantur erectę:inter quos Franc.Ragaterius habet cultiſſimum,& elegantibus ſimulachris ornatum.

Ad hanc viam Iulius III.de monte P.M.vineam extruxit,cuius ornamenta ſumptu & magnificentia ſuperant ea omnia quæ Romæ conſpiciuntur:Incipit enim ab iis fontibus, qui ſecus viam fluunt,in quibus ſcriptum legitur IVLIVS III.PVBLICÆ COMMODITATI: occupatque fere omnes colles,qui ab vrbe ad pontem Miluium(qui nunc *Ponte mole* vocatur)protenduntur.

Ad principium huius vineæ Pontifex erexit magnificentiſſimum palatium: ad cũius ingreſſum erectæ ſunt multæ imagines Senatorum,& Patriciorum virorum,ex quibus vna oſtenditur Hircij,Panſæ,Ciceronis,Cetegi,& aliorum. Extra veſtibulum intrinſecus patet area ſpatioſiſſima diuerſis exornata ſimulachris:vtpote Iouis,Ganymedis,Herculis,Martis, Veneris,Dianæ,Opis,Apollinis,Æſculapij,Bacchi &aliorum Deorum:quæ in toto circuitu,ordine concinno,ſuis receptaculis & baſibus marmoreis diſpoſitæ conſpiciuntur.

Fontem quoque poſuit in eodem loco: in quo neſcio an magis ingenium artificum, quam ſumptuoſitas,& ſplendor Pontificius laudari debeat. Omnia enim marmoribus exquiſitis,& precioſiſſimis vndique ſunt incruſtata:ædificium columnis Pariis,viridibus, altiſſimis,ſuſtentatur: Lithoſtratum ex Chalcedonico lapide,Alabaſtro,*Porphyro*, Ophite, & *Simithe* confectum eſt,opere teſſellato,vermiculato,& aſaroto. Aquarum limpidiſſimarum ex concameratis cauernis arte factis ſcaturit affluentia. Receſſu longo & obſcuro inter tophos marinos,ſub terra videntur fluminum ſimulachra, & Nympharum Naiadum continentium vrnas: Sunt & puelli nudi Delphinis inſidentes, & dii æquorei ſubleuantes hydrias ex quib. emanant riuuli: Vndiq; Naiades,Napææ,*Satyrique* quaſi ſaltantes diſpoſiti ſunt. Statuę Bacchi,Apollinis,Dianæ,Palladis,Hebes,Herculis,Veſtę,Veneris,Martis, Antinoi, Mercurij,Vertumni,Paſtorũ nudorum,Corybantũ,Mænadum,& aliorum innumeræ imagines antiquæ:quæ circumquaque ſuis loculis, ſiue Niſchiis repoſitæ, ſumma cum intuentium voluptate & admiratione conſpiciuntur: præter excellentes inſcriptiones,& marmora precioſa,quæ vndique ad parietes adplicata ſunt.

In deambulacro fonti vicino tabula marmorea hæc leguntur inſcripta.

DEO ET LOCI DOMINIS VOlentibus.

HOC IN SVBVRBANO OMNIVM SI NON QVOT IN ORBIS,AT QVOT IN VRBIS SVNT AMBITV PVLCHERRIMO AD HONESTAM POTISSIMVM VOLVPTATEM FACTO HONESTE VOLVPTARIER CVNCTIS FAS HONESTIS ESTO. SED NE FORTE QVIS GRATIS INGRATVS SI ET,IVSSA HÆCCE ANTE OMNES CAPESSVNTO.

QVOVIS QVISQVE AMBVLANTO. VBIVIS QVIESCVNTO,VERVM HÆC CITRA SOMNVM,CIRCVM SEPTA ILLVD.

PASSIM QVIDLIBET LVSTRANTO: AST NEC HILVM QVIDEM VSQVAM ATTINGVNTO. QVI SECVS FAXINT QVIDQVAMQVE CLEPSERINT AVT RAPSERINT, NON IAM VT HONESTIS MORIBVS SED VT FVRTIS ONVSTI IN CRVCEM PESSVMAM ARCENTOR

OLLIS

OLLIS VERO QVI FLORVM FRVNDIVM POMORVM OLERVM ALIQVID PETIERINT, VILLICI PRO ANNI TEMPORE PRO RERVM COPIA ET INOPIA PROQVE MERITO CVIVSQVE LARGIVNTOR.

AQVAM HANC QVÆ VIRGO EST NE TEMERANTO SITIMQVE FISTVLIS NON FLVMINE, POCVLIS NON OSCVLO AVT VOLIS EXTINGVNTO.

PISCIVM LVSV OBLECTANTOR: CANTV AVIVM MVLCENTOR. AT NEQVEM INTERTVRBENT CAVENTO.

SIGNA STATVAS LAPIDES PICTVRAS ET CÆTERA TOTIVS OPERIS MIRACVLA QVANDIV LVBET INTVENTOR DVMNE NIMIO STVPORE IN EA VORTANTVR. SI CVI QVID TAMEN HAVD ITA MIRVM VIDEBITVR EORVM CAVSA QVÆ NEMO MIRARI SATQVIVIT, ÆQVO POTIVS SILENTIO QVAM SERMONIBVS INIQVIS PRÆTERITO. DEHINC PROXVMO IN TEMPLO DEO AC DIVO ANDREÆ GRATIAS AGVNTO: VITAMQVE ET SALVTEM IVLIO III. PONT. MAX. BALDVINO EIVS FRATRI ET EORVM FAMILIÆ VNIVERSÆ PLVRIMAM ET ÆTERNAM PRECANTOR.

HVIC AVTEM SVBVRBANO SPECIEM ATQVE AMPLITVDINEM PVLCHRIOREM IN DIES MAIOREMQVE IN EO QVICQVID EST FELIX FAVSTVM PERPETVVM OPTANTO,

Sunt & alia ædificia in collibus vicinis extructa; ad deambulationes æstiuas: quorum quod est celeberrimum in montis cacumine duos habet obeliscos erectos cum Pyramide altissima: cui sphęricum horologium superimpositum est: In eo ventorum omniũ signa summo notata artificio designantur, & discrimina singulorum cognoscuntur: ad hoc palatium hortus est amœnus, spacioſus, & alto muro cinctus quem inscriptiones antiquæ & marmora diuersis sculpta figuris exornant, numero centum & vltra. Ibidem sunt duæ statuæ precii maximi; vna Termini, alia Syriæ, siue Naturæ. Terminus factus est ex alabastro orientali candidissimo, cuius pectus tectum est ex cotonite marmore, vndulato & variegato: Suria vero (quo nomine Naturam vocauerunt Ægyptii) facie velo tecta est, multiplici mammarũ numero, capite turrito, reliquo corpore in Termini formam desinente. In cuius circunferentia muscæ, serpentes, quadrupedia, insecta, volatilia, & flores expressi sunt: vt hac forma, velatam seu tectam & incognitam vim Naturæ ostenderent hominibus, nisi quatenus per creaturas quas producit, cognosci potest. Ideo sustentatur basi quadrata, & per gradus distincta: quo denotarunt antiqui, nos ad Naturæ cognitionem paulatim, & per gradus succesſiue peruenire.

Huic ædificio vicinus est alter hortus superiore paulo amplior, qui vineas pro maiori parte continet: vitium concamerationes altissimæ, fulciuntur & sustentantur Terminis marmoreis antiquis octodecim, qui vice columnarum seruiunt: Ex Græcia Romam adportati sunt fere omnes, signati capitibus insignium virorum, & Principum Athenienſiũ, & nominum singulorum antiquis characteribus. Hos Græci vocabant Hermas: erantque ad compita Vrbium, & viarum biuia & triuia vt plurimum erecti. Paulo vltra hanc Pontificis vineam Pons Tyberi superpositus videtur quem *Ponte Mole* vulgus vocat; erat Antiquis pons Miluius: ad quem habito conflictu cum Maxentio Romæ tyrannidem occupante Constantinus Magnus victor euasit. Tyrannus vero in fluuium cum equo se dedit præcipitem, ne in hostis potestatem veniret, & in triumphum duceretur, ludibrioque populi ad supplicii pœnas traheretur. Hac victoria salus & libertas Vrbi restituta est: & in rei memoriam Imperatori bene merito, victori ac triumphatori, conditus est ille arcus qui adhuc integer supereſt inter Coliseum, & septizonium Seueri. In Vrbem reuerso per viam flaminiam occurrit statim arcus Tripoli, vel *di Portogallo*, in summitate vallis Martiæ, prope templum *S.* Siluestri, & *S.* Laurentii in Lucina. Hic arcus fuit olim Domitiano sacer, incultus & rudis: neque vllum habet ornamentum, præter Domitiani imaginem: quam nonnulli asserunt esse Claudii Imperatoris: cui hic arcus dicatus fuit, non Domitiano. Templum *S.* Laurentii in Lucina fuit olim sacratum Iunoni Lucinę, nomenque antiquum retinuit: in hoc antiquitus puerperæ & prægnantes post partum vota soluebant; quod Deæ beneficio liberatæ essent, & infantibus superstitibus vita esset seruata.

In via Flaminia, quæ vocatur *Strada del Popolo*, domus sunt aliquot, in quibus multæ videntur statuæ antiquæ: vt Domus Pauli Ponti, in cuius corte prima, super base marmo-

rea videtur erectum ſimulachrum apri Calydonij à Meleagro cæſi: quod Dominus domus noluit dare precio quingentorum ducatorum auri, propter operis perfecti excellentiam. Ibidem videtur Hercules cum ſpolio Iconis, Cupido, Pomona, Apollo, Siluanus, Diana Pharetrata, Meleager mutilatus, Pallas, Hermaphroditus, Adonis, Noctis ſeminudæ coronatæ ſtellis ſtatua, & Atalantæ cum aprino capite: & Silleni barbati, & veſtiti, hederaque redimiti. Sunt & in eademdomo capita Poppeæ Neronis vxoris, Druſi fratris Tiberii, Iouis, Pueri ridentis, alterius pueri galeati, & duarum mulierum incognitarum: & Iani bifrontis ſimulachrum: & duo tigres ænei: duæ laruæ æneæ antiquiſſimæ, aliaq; plurima fragmenta ſignorum; quæ omnia ſunt inuenta extra vrbem, in vinea prope templũ S. Laurentii. Apud Franc. Aragonium, in *Strada del Popolo*, ſuper portis cubiculorũ repoſita ſunt capita quinque antiqua marmorea, artificioſiſſime ſculpta, cum ſuis pectoribus & baſibus. Et apud eundẽ eſt imago pueri formoſuli, & nymphæ Naiadis continentis vrnã, & Pomonę & Veneris, quæ caret capite. Prope Vrſum in ædibus quę pertinuerunt olim ad Card. Sarmonetũ, videtur ingens coloſſus viri paludamento antiquo tecti: & Herculis ſtatua, cũ ſua claua, & leonino ſpolio, ad cuius pedes iacet taurus: eſt & ibidem Senex ſtola longa indutus, & Nympha ſeminuda. Ad radices collis Hortulorum in domo Ambroſij Lilij, tabula videtur ingens marmorea: in qua eſt expreſſus rex ſedens in tribunali, cui vir offert equum: regi adſtat iuuenis haſtatus, & arbor, circa quam ſeſe coluber implicat. Apud eundem eſt Herculis adhuc iuuenis ſtatua, quæ iubis tenet caput equinum. Campus Martius planiciem eam totam complebat quæ à Quirinali protendebatur vſque ad Pontem Xiſtum & Tyberim: fuitque olim hic campus Martius extra mœnia, conſecratus Marti: in eo fiebant frequentes ludi, & iuuentus Romana ſeſe quotidianis exercitiis inſtruebat, ad belli labores ſubeundos, & ſuſtentandos.

Non procul à templo S. Laurentij in Lucina, è regione Doganæ veteris, in cellis vinariis multarũ ædium, videtur ingens obeliſcus, qui medio campo Martio fuerat erectus, literis & notis Hieroglyphicis illuſtris: quem ex Heliopoli transferri Romam iuſſit Auguſtus Cæſar, cum duobus aliis, quos ſtatuit in Circo maximo. Hunc longum centum & decem pedes ſcribit Plinius, & à Marſodote ſculptum: atque in eo interpretationem philoſophiæ Ægyptiorũ contineri: in illius latere hæc leguntur: CAESAR DIVI F. AVG. PONT. MAX. IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV. ÆGYPTO IN POTESTATEM P. R. REDACTA SOLI DONVM DEDIT. Prope Doganam in domo Antonii Paloſi, ad parietem cortis, equi eſt ſtatua multi artificij; qui videtur impingendo velle labi: in cubiculo non procul à prima porta, capita videntur Druſi, Iuliæ Aug. fil. Galeriæ Fauſtinæ, Fauſtinæ lunioris. M. Aurelii vxoris, Sabinę Hadriani, Bruti Priſci Domitiani, Galbæ, & alia 13. capita quæ pectoribus carent: & Herculis, Bacchi, Siluani, & Mercurij: treſq; paruæ ſtatuæ integræ, & artificioſę. Et ampliſſima tabula marmorea, in qua triumphus Tiberii Cæſaris expreſſus eſt.

In domo Iacobi Sacouacchij, cõ procul à Dogana, in cubiculo ad dextrã, ſtatua eſt mulieris veſtitæ, cuius nomen ignoratur. Et capita Hadriani, Neruæ, M. Aurelii, Antonini Pij, Scipionis Africani, Gladiatoris cuiuſdam. Iouis, Veneris, Panis, & aliud Veneris æneum, multaque alia fragmenta antiquitatis viſu digna.

In Campo Martio habitat Marcus Caſale vir ſtudioſiſſimus antiquitatis; ante cuius ædes ſuper platea erecta eſt coloſſea muliebris ſtatua, quã volunt eſſe Mnemoſynes. In hortulo domus alia eſt coloſſea ſtatua viri nudi, quẽ credunt eſſe Bacchũ, quidam Apollinẽ. Nã ibidem eſt Apollo integer nudus pharetratus: & alterius Iuuenis nudi quoque ſimulachrũ: & mulier veſtita tenens cornu copiæ. Et duo capita muliebria cum pectoribus: & alia duo pectore tenus: Sed ante cætera venuſtiſſimum, & elaboratiſſimum illic oſtenditur Iulii Cæſaris caput, cuius artificium tanti facit Dominus domus, vt nullo precio poſſit æquari: Ideo ſucceſſoribus id caput reliquit, vt palatium cum hortis adiacentibus poſſeſſorem ſtatuæ ſequatur: ac ne furto vel alia ratione amittatur, ſucceſſores Marci id clauſum armario tenent elegante, ita tamen, vt neminem peregrinorum antiquitatis ſtudioſum ab intuitu tam exacti ſigni arceant; ſed comiter & perhumaniter petentibus oſtendant.

In ea Campi Martij parte, quæ vocatur hodie la *piazza di Sciarra*, forum habuit Antoninus Pius, in quo erexit altiſſimam columnam cochlidem altam pedes CLXXV. teneſtellas

las habet LVI. quæ lucem præbent intrinsecus: Ex quot lapidibus constet non potui expiscari: rupti enim sunt gradus, neque ascensus liber patet ad superiora, sicut in ea quæ Traiano est dicata: Hanc tamen quidam asserunt confectam ex XXVIII. lapidibus. Pars illius exterior continet res gestas Antonini sculptura figurarum excellenti: ab hac vocatur ille locus *in Colonna*. Vndecim illæ columnæ altissimę quæ ad templum S. Stephani in Truglio conspiciuntur erectæ, sunt reliquiæ Porticus, quam Antoninus Pius struxerat in suo foro, coniunctam cum suo palatio : quod ab hoc templo *S.* Stephani protendebatur vsque ad Pantheum. Inter columnam cochlidem Antonini , & fontem aquæ virginis erant *Sepia* campi Martii: Erat autem is locus vallatus tabulato denso , in quem conuenibat populus suffragia laturus, quando magistratus erant eligendi. Septa hæc alio nomine dicta sunt Ouilia: in quæ Tribus singulæ conueniebant, ad magistratus creandos. Collis ille qui aliquãtulum eminentior tollitur in Campo Martio, inter Antonini Columnam, & S. Laurentii in Lucina, (quem hodie monte Acitorio nominant) fuit antiquis Mons Citatorum: in quẽ ex *Septis* se recipiebant singulæ Tribus post lata suffragia. In eodem colle fuit Curia , quæ Villa publica dicebatur: in qua recipiebantur hostium legati, quibus non licebat vrbem ingredi, vel in Græcostasi diuersari, quæ fuit prope Commitium, & rostra, ad Forum Romanum, & in qua prouinciarum legati hospitabantur, donec illis aditus daretur ad Senatum.

Haud procul hinc est fons aquæ virginis, humili & depresso aquęductu, per cuniculos & tubos à vicinia Pontis Salari:, per portam Collinam, sub colle Hortulorum, & per Campum Martium influens: hodie *fonte di Treio* dicitur: Huius aquæductus restauratus est à Nicolao V. P. M. vt in fontis legitur frontispitio, & hæc sola ex omnibus aquis (quas tantis sumptibus , & æqueductibus tam sumptuosis antiqui principes in Vrbem introduxerunt) remansit superstes, ad vsum ciuium.

Prope *Sepia* populi Romani via fuit fornicata, in qua erat templum Neptuni, & amphitheatrum Claudij: ex quibus nulla restant vestigia.

Iuturna Turni Rutilorum regis soror, Nympha apud antiquos habita inter Napæas, & inter indigetes relata, quæ agrorum cultum credebatur plurimum iuuare, templum habuit vicinum Aquæ virgini, & fontem quoque, qui cum aqua virgine mixtus in Campum Martium influit. Illic habet ædes Iacobus Colotius de Iesi, plenas diuersis inscriptionib. & statuis antiquis excellentissimis. prope quas arcus est ex Tiburtino lapide, qui pertinet ad aquam virginis: in eo legitur hæc inscriptio. TI. CLAVDIVS DRVSI F. CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. PP. COS. DESIG. IV. AQVAM VETVSTATE COLLAPSAM REFECIT. Ad hanc inscriptionem Ioannes Antonius Vulpius Medicus Patauinus, qui Romæ ad Capitolium habitat, & Antiquitatum Romanarum studiosissimus est, addidit hanc: AQVAM VIRGINEM VETVSTATE COLLAPSAM REFECIT. Ad hanc inscriptionem Ioannes Antonius Vulpius Medicus Patauinus, qui Romæ ad Capitolium habitat, & Antiquitatum Romanarum studiosissimus est, addidit hanc: AQVAM VIRGINEM VETVSTATE COLLAPSAM REFECIT AC RESTITVIT: In arca marmorea super fonte leguntur hi versus antiquis characteribus, qui sub statua Nymphæ dormientis erant adscripti: Sed statua inde sublata est.

Huius Nymphæ loci sacri custodia fontis
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis caua marmora, somnum
Rumpere; siue bibas, siue lauere, tace.

In Campo Martio domum habet Pompilius Narus, qui seruat elegantem statuam Veneris nudæ, & Herculis corpus capite truncum. Inuenta sunt in colle Hortulorum, in vinea eiusdem Pompilij. In monte Acitorio sunt ædes Gaddiorum, quas olim Cardinalis *di Gaddi* incoluit: In iis multa videntur notatu digniſſima: Potissimum capita virorum illustrium: vt Iulii Cæsaris, Octauii Augusti, M. Agrippæ, *Septimii Seueri*, Getæ, Antonini Caracallæ, & Philippi Imp. ex serpentino lapide viridanti. Ibidem sunt statuæ Antonini Pij, Galeriæ Faustinæ, M. Aurelii, Faustinæ Iunioris, Lucij Veri, Traiani, Hadriani, & Veneris nudæ: In musæo sunt capita Caracallæ, Alexandri Mammeæ, Pyrrhi regis Epirotarum, M. Aurelii, Aureliani, & Claudii: Præterea simulachrum Apollinis tenentis arcum , & plurima capita incognitorum hominum: Item statua Cupidinis dormientis super spolio leonis & claua Herculis. Ibidem videtur tabula marmoris Mischii circundata limbo æneo deaurato , longa palmos quinque, lata tres semis; cuius precium grande est propter marmoris excellentiam. Ostenduntur eodem in loco res infinitæ dignæ obseruatione curiosa: præter gemmas , æra, marmora, & numismata Græca & Latina: multa videntur petrificata, vt maxilla elephanti, cornu ceruinum, & alia eiusmodi.

Apud Deſiderium Vrſatum prope templum S. Magdalenæ & Pantheum, in prima domus corte ſpectatur inſignis ſtatua Dianæ, vel potius Oreadis alicuius nymphæ, quæ capreoli pellem tenet. Ibidem eſt Orpheus admodum tamen mutilus; & mulier quæ cornu tenet dextra: & laruæ aliquot marmoreæ, multaque fragmenta ſingularis artificij.

In domo Antonij Gabrielis, non longe à Mineruæ templo, ſuper porta cœnaculi repoſitum eſtingens Iouis caput. Intrinſecus ad dextram eſt caput Tiberii, ad læuam Traiani, Germanici, & Commodi. ſuper alia porta Hermaphroditi: Super porta Muſæi eſt caput Druſi, quod quidam volunt eſſe Romuli, idque inuentum eſt in Thermis Antoninianis, cũ alio capite Remi, quod ad Ducem Coſmum Mediceum miſſum eſt Florentiam. Ibidem eſt caput Pythagoræ antiquiſſimum: & Catonis, Lucillæ, Otacillæ, M. Agrippæ ſoceri Cęſaris Auguſti, qui Pantheum erexit: M. T. Ciceronis, Bacchi, Cupidinis, Termini, Eratus Muſæ, Cæſoniæ, Fauſtinæ, & alia plurima: Item mulieris violatio, quam Lucretiam vocant, ſed male: & Satyrus.

Præter cætera meminerit noſter viator diligenter perueſtigare palatium Cardinalis Carpenſis: in quo tot ſtatuæ, tot inſcriptiones videntur, vt mirari nemo ſatis poſſit ſtudium tanti viri in exquirendis iis, quæ ab antiquitate peruenerunt ad noſtra tempora, magna omnium doctorum vtilitate, & voluptate: quæ omnia qua potui diligentia depinxeram, & emiſſurus eram in lucem in gratiam amicorum, niſi mihi deperiiſſent, cum aliis multis, quæ adhuc Romæ videntur. In hoc Pij Rudolphi Carpenſis Cardinalis palatio, in hortulo quinque ſunt Termini antiqui cum ſuis baſibus: Nili ſtatua ſeminuda cum crocodilo: Naris fluminis: Mulieris veſtitæ, cuius brachia nuda mordicus tenet ſerpens: quod occaſionem dedit aliquibus, vt exiſtimarent eſſe Cleopatram. Alia quoque viſuntur ibidem fragmenta virorum, & mulierũ, quorũ ignorantur nomina. In muſæo ſunt ſimulachra Cereris, Dianæ, Phœbi, Atys paſtoris Idęi, & aliorum. Item Vrnæ ex coctili lapide numero viginti, pulchro ordine repoſitæ ſuper repoſitoriis, in quib. plurimi ſeruantur libri Græci, Hebraici, Arabici, & Latini antiquiſſimi, & manu ſcripti. Ad dextrã muſæi partẽ ſunt capita Galeriæ Fauſtinæ, Iuliæ Cæſaris Auguſti filiæ, & alterius mulieris incognitę, Veneris, Antoniæ, Cupidinis, tria puerilia, duo muliebria, & plurimæ inſcriptiones in tabulis marmoreis precioſiſſimis: inter quas vna eſt in lapide Baſaithe nigro & duriſſimo, literis Ægyptiis illuſtris. Ad læuã partem Muſæi primo loco ſunt capita Iuliæ Mammeæ, & duo ignota. ſecundo eſt pueri ridentis, & mulieris ornatæ calantica, vel mitra Syria. Tertio loco ſunt capita Herculis, Fauni, & quatuor puerilia: Quarto loco ſunt diuerſæ inſcriptiones prioribus non inferiores. Ibidem eſt tabula marmorea in qua expreſſus eſt Alexander Magnus cum puero alato: Eſt & Canopi caput ex lapide Ægyptio viridi, & Iouis Hammonis, & alterius ignoti viri. Præter hæc infinitæ ſunt minores ſtatuæ, & fragmenta antiquitatis, quæ breuiter explicari non poſſunt.

In ſecundo Muſæo ſuis locis diſpoſita ſunt vaſa & vrnæ coctitię elegantis artificij, & capita Antonini Caracallæ, & alterius ignoti viri. Ad dextram partem primo loco quatuor ſunt capita Iuliæ Titi filiæ, Veneris & duorum virorum. Ad ſiniſtrã tria ſunt alia capita Galbæ, & duorum ignotorum. & in circuitu ſex ſunt capita Conſulum, & illuſtrium virorum. Numæ Pompilij, Domitiani, Septimij Seueri, Philippi Imperatoris, & aliorum duorum, qui ignorantur: Repoſitoria quæ ſubtus ſunt, referta ſunt concinno ordine voluminũ, & librorum antiquorum, tam in membranis, quam in papyro Ægyptia. Ibidem quoque ſpectantur diuerſæ inſcriptiones, & epitaphia in lapidibus precioſis, ſicut & in primo muſæo. Ad idem latus erecta eſt tabula grandis marmorea, & integra cum inſcriptione Græca. ſuper qua eſt pueri ſedentis ſtatua. & Alexandri Magni quaſi morientis caput: & cuiuſdam animalis extollentis capur: Super porta Muſæi repoſitum eſt ſuo loculo, & baſi marmorea caput Bruti cum hac inſcriptione:

Quæ tibi tuque mei potuerunt pignora nati
Nata dari populo ſunt ſacramenta data.
Et volui maiora nimis; ſed cura meorum
Fida tui prohibet me cinerem eſſe rogi.

Ad dextram portæ faciem, repoſitum eſt Veneris nudæ corpus: cuius artificium ſuperat reliqua omnia quæ Romæ ſunt: id ſi eſſet integrum, nulla eſſet toto mundo ſtatua, quæ huic

huic conferri posset: neque absre creditur esse Veneris Gnidiæ toto orbe celebratæ. Prope hanc Venerem est iuuenis non minoris artificij: in quo tanta est membrorum proportio, tam elegans, & pulposa musculorum conuexitas, vt sculptorum, & omnium artificum oculos cum summa admiratione fixos detineat. In altera Musæi parte sunt tria capita virorum ignotorum; & duo corpora viri ac mulieris, cum numeroso ordine inscriptionum antiquarum laruarum, & fragmentorum antiquitatis, quæ singulatim recensere in immensum protraheretur nostra narratio. Ante hæc duo musæa cœnaculum est amplissimum: in cuius elatiore parte, caput est colosseum mulieris, inter duo magna vasa antiqua: & in circuitu cœnaculi nouem capita sunt pulchro ordine disposita suis basibus. Lucij Veri adhuc iuuenis eiusdem iam adulti, Poppeæ Sabinæ, Hadriani, Annij Veri, Græci alicuius, & aliud ignoti. & hæc omnia singulari sunt artificio facta. Ibidem est statua muliebris vestita syndone subtili: & alia minor ex Agathite lapide, alta palmum vnum semis: & caput Termini ex marmore hæmathite: & vas antiquum ex marmore variegato, & admirabili. Ad alteram partem ianuæ, duo sunt corpora iuuenum nuda, & aliud viri palliati: & caput senis ignoti, & Satyri, & Cupidinis. Super cornicib illius cœnaculi, repositæ sunt tabulæ, in quibus opera pictorum celeberrimorum totius Italiæ cognoscuntur, vt Raphaelis Maffæi Vrbinatis, Michaelis Angeli Florentini, & aliorum. Super maiore porta duo sunt magna vasa ex alabastro orientali: & in toto circuitu dispositæ sunt infinitæ marmora, cum inscriptionibus antiquis diuersorum characterum, & linguarum. & diuersa fragmenta statuarum virilium, & muliebrium; inter quæ conspiciuntur socci, coturni, ocreæ militares, & diuersa calceamentorũ genera, quib. prisci populi Græci, Latini, & Barbari vsi sunt. Aliud est Musæum huic cœnaculo contiguũ, q; totum est tectum holoserico viridi: Super cornicibus, quæ totũ musæum circumcingunt, repositæ sunt pulchro ordine plusquam septuaginta sex capita virorum illustrium. Inter quæ tredecim conspiciuntur maiora selectissimi artificij, ex orientali marmore candidissimo facta: vnum Veneris, duo vetularum mulierum; duo Herculis; vnum Palladis, reliquorũ nomina non potui discernere. Inter singula repositæ sunt vasa antiqua ex marmore, vitro & terra coctili latericia: duæque Veneres æneæ, nudæ & integræ. Secũdo ordine duo sunt capita muliebria maiora; & alia nouem minora, elegantissima omnia: inter quæ est Satyri, & pueri plorantis: quib. nihil perfectius tota Vrbe conspici potest, nihil elaboratius, aut artificiosius. Ibidem est caput Iunij Bruti ex ære, cuius oculi empyreo facti sunt opere, quod smaltum vocamus. Est & Priapi statua ænea falcẽ manu tenentis, repositæ super basi pretiosi marmoris: Et aquila ænea inter acanthi folia, quæ fuit cassidis epiconiũ, siue cristæ receptaculũ, singulari artificio cælatum. Ostenditur quoque simulachrum Cybeles ex marmore nigro Ægyptiaco: & Surię siue naturæ ex lapide candidissimo sesquipalmũ altæ, vestitæ diuersis mammis & animalibus: facie tamen nigra. Eodem in musæo videtur Anubis cynocephalus: hæc omnia locata sunt super repositoriis diuersorũ librorum antiquorũ pretiosissimis tegminib. coopertorũ. Horũ receptacula sustentantur Termino marmoreo singularis artificij. Secundo loco est Hercules, caput muliebre, Venus nuda quasi lauans in balneo, Satyrus ex æmathite lapide cornu inflans; Lucerna ænea opere fusili, aliud Veneris corpus formosissimum: Super mensa, quæ tecta est holoserico tapete viridi, statua est Fauni, & Socratis, rarum opus & admirabile. vas quoq; æneũ, in quo sculpti sunt plurimi pueri piscantes. Ibidem est Apollinis simulachrũ nudũ, Gladiatoris corpus & alia plurima. Super fenestra musæi, est aquila, taurus, caput pueri, & antiqua inscriptio: omnia ex ære. Ibidem seruantur horologia, & clepsydræ, precij & operis admirandi, cum multis aliis gemmis sculptis, & monilibus pretiosissimis.

Contiguũ huic musæo locus est siue receptaculum variarum rerum antiquarũ, ex diuersis metallis, & lapidibus, multa simulachra paruula Deorum, virorum, mulierum, animaliumq; : lucernæ, vascula, cristæ, cassides, cultri, gladii, sicæ, frameę, puggiones, pila, hastarum, telorũ, & sagittarum cuspides ex ære quidem, sed ita temperatę, vt duriciem chalybis superent. videntur ibidẽ diuersa instrumenta chirurgica, & aliorum artificiorum. sigilla, claues, annuli, fibulæ, capuli gladiorũ, patera vna ex Cristallo tota expolita & excauata subtilissima industria: multaq; alia, in quib. enumerandis, & explicandis nemo vel diligentissim⁹ scriptor posset sufficere. neque annus integer satis esset, ad horum exactam contemplationem:

tionem: Ita vt si singula consideraueris quanta necesse esset cura, Roma nihil possidet magnificentius, nihil admirabilius. Hæc omnia collecta sunt opera & studio impensisque Pii Rudolphi Cardinalis, viri & eruditi & perhumani. Vtinam qui in horum possessionem post obitum tanti viri succedent simili studio ferantur, neque patiantur tam excellentia signa vel perire, vel separatim distrahi: & in manus eorum venire, qui hospitum & aduenarum studiosorum curiosæ indagationi duros se & morosos præbeant.

Hæc sunt quæ in Campo Martio videntur annotatione digna: sed paulo superius ad principium Plateæ Sciarræ in domo Dominici Capotij statuę sunt egregiæ Palladis vestitæ, & Dianæ: & mulieris cuiusdam quæ caret capite. Ibidem quoque videntur capita Iunij Bruti, qui Roma Tarquinios exegit, Octauij Augusti, Macrini, Hadriani, Antinoi, Septimii Seueri, Iuliæ Mammeæ, Alexandri Seueri, Cleopatræ, Veneris, Herculis, Apollinis, duorum Sacerdotum, Siluani, pueri plorantis, Laruę duæ, & aliorum, quorum non cognoscuntur nomina. Iani bifrontis, regis Parthi captiui ex hæmathite, simulachrum Bacchi insidentis vtri, Priapi quoque fere integri, & alia plurima: quæ reperta sunt extra portam S. Ioannis, in vinea eiusdam Dominici, eo loco qui dicitur Basiliolo.

E campo Martio redibit viator ad sinistram, versus mœnia ad collem Hortulorum, qui incipit à templo S. Siluestri, & extenditur vsque ad Portam Pincianam, siue collinam, secũdum vrbis mœnia: Quamuis & alii eius longitudinem producant vsque ad portam Flaminiam. In hoc colle Pincius Senator domum habuit splendidissimam, ex cuius nomine collis & porta vicinia Pinciana dicta est: eius domus vestigia adhuc apparent non procul ab vrbis mœnibus. In hoc colle fuit Domitiorum Sepulchrum, in quo sepultus est Nero: In elatiore collis parte videtur arcus siue concameratio fornicata, quæ olim fuit pars templi *Solis*. Prope quam est templum *S.* Trinitatis, à Ludouico vndecimo Rege Franciæ structum: non procul ab hoc *Solis* delubro iacet humi obeliscus ex lapide Thasio factus, cum hac inscriptione SOLI SACRVM.

Prope Collinam portam, non procul à templo *S. Susannæ* Sallustius habuit hortos amœnissimos & splendidas ædes: quarum ruinæ adhuc sunt superstites in ea valle, qua itur ad portam *Salariam*. Eius horti porrigebantur per eos colles, qui sunt inter portas Pincianam & *Salariam*. In quorum media parte videtur obeliscus non adeo magnus, literis signatus Ægyptiis Hieroglyphicis, qui Lunæ sacratus est: Locus adhuc hodie vulgo dicitur *Solostrico*. Campus sceleratus siue via scelerata (in qua Vestales virgines quæ stupro violatæ erãt viuæ defodiebantur) complebat id totum spatium, quod est à Porta Collina, sub ędibus & Hortis *Salustianis*, vsque ad portam *Salariam*. Extra portam Quirinalem, quæ & *Salaria* vocata est, & Collina, & Agonalis, ad sinistram viæ *Salariæ* partem sunt ruinæ templi Veneris Erycinæ: cuius festum solemnibus ceremoniis celebrabant matronæ pudicæ, Augusto mẽse, ad simulachrum Veneris Verticordiæ, quæ maritos vxoribus credebatur reddere placabiles & beneuolos: ad hoc templum fiebant ludi Agonales, vnde porta nomen sortita est.

Paulo remotius, tribus ab Vrbe passuum millibus, super Aniene pons est adhuc integer: quem longa inscriptio docet à Narsete structum fuisse. Adhunc pontem Annibal, imbrium inundatione vehementi vexatus, obsidione soluta, castra remouit ab Vrbe, & discessit. Paulo inferius Tyberi miscetur Anio: ibique Torquatus Gigantẽ Gallũ superauit, & ab eius collo torquẽ aureũ detraxit, à quo nomẽ postea cepit. Hic non erit absurdũ fabulã inserere, quę Romę pro vera historia refertur. Tẽpore Marcelli P. M. Seditione facta inter Patricios & Plebem, nobiles à suis fontibus & puteis prohibuisse populum ne aquarẽt: sed Christiani Pontificis precib. factũ esse, vt omnes Vrbani putei redderentur putidi, & ad potũ inutiles, sicut hodie sunt, factumq; Tyberim potabilẽ, vt ex eo sine discrimine nobiles & plebeii potũ sumerent: probantq; rei veritatẽ ex eo, quod aqua Tyberina ad multos annos incorrupta seruetur suauissima, & saluberrima, quoties hauritur paulo supra Vrbem vsq; ad mare. Sed certum est hoc accidere ex mixtione Anienis cũ Tyberi: Anio enim aquas habet multo infectas nitro, quod corruptionem prohibet: & ij qui supra ostium Anienis Tyberim incolũt, vt more Romano suas aquas incorruptas diu seruent, vtriusq; fluminis vndas commiscent. Prope Tibur inter Anienis arenas legũtur amygdala, anisum, feniculũ & alia plurima petrificata, quæ circũferuntur pixidibus in cõuiuiis, vt matronæ & conuiuæ deludantur, existimantes

mantes esse ex saccharo facta tragemata, quæ vocantur passini *confette da Tiuoli.* & superioribus annis corpus hominis interfecti, & coniecti in Anienem adhæsit radicib. arboris quæ fluuii ripam ingrediebantur, factumque est longo temporis interuallo vt corpus à putrefactione conseruatum, in lapidem sit conuersum: ꝙ Titus Celsus Patricius Romanus mihi asseruit se vidisse. Ad portam Salariam demonstrantur reliquiæ templi antiqui, quod honori sacrum fuit: & domus illius siue suburbani, in quo Nero Imperator, adiuuante Sporo, cuspide sub papillam adacta sese interemit, ne in manus & potestatem Senatus veniret, qui illum poscebat ad supplicium. Regressus in Vrbem, postquam veneris ad vallem collis Hortulorum, & Quirinalis radices, occurret tibi templum S. Nicolai de Archemoriis. Nomen seruatum est antiquum fori Archemorij, quod eo loco fuit.

Inde sub Quirinalis radices progrediendum est, donec venias sub hortos Carpenses, vbi plurimæ sunt cameræ, & fornices obscuri, & longo ordine producti: hos nonnulli volunt esse officinas, in quibus conficiebatur, & elaborabatur minium: alii malunt eum locum adsignare habitaculis meretricum, quæ eo se recipiebant tempore Floralium Ludorum, qui celebrabantur in Circo Floræ fornicibus his adiacente: nihilominus tamen constat officinas minij prope hunc Circum extitisse.

Ante templum S. Apostoli, sub Quirinali in alta basi est erectus leo marmoreus artificii singularis.

In domo Liuiæ Columnæ, Martii Columnæ vxoris, prope *S.* Apostolum, simulachrũ ostenditur marmoreum cuiusdam mulieris Melissæ, vt patet ex inscriptione.

In ædibus Francisci Aragonij, prope S. Mariam in via, in hortulo vbi fons est, statua videtur Nili innitentis brachio læuo super crocodilum : & vtrinque sunt duæ statuæ togatę stantes: Ad parietes circunquaque dispositа sunt suis loculis sex capita cum suis pectoribus. In altero hortulo, in circuitu collocata sunt concinno ordine alia capita viginti quatuor, quorum nomina singulatim non enarrabimus propter incertitudinem.

Apud Hieronymũ Franiapane, ad ingressum domus super gradibus, erectus est Cupido alatus. In corte prima loculis marmoreis erecta sunt statuarum corpora 4. & Herculis, ac mulieris incognitæ, quæ caret capite. Super portis, duo sunt capita ignotorum hominũ. Pila quoque siue arca monumenti videtur ibidem, in cuius frontispicio sculptum est Paridis iudicium de forma & pulchritudine trium Dearum, Iunonis, Palladis & Veneris. Eadẽ in domo est statua mulieris laruam manu tenentis: & alia aliquot capita antiqua, suis basib. imposita, & collocata super portis. In domo Hieronymi Colotii, prope *S.* Mariam in via in corte ad dextram, nympha est insidens monstri marini dorso, hanc Doriden vocant, alii Galateam. Super porta culinæ, tabula marmorea est affixa, in qua expressi sunt duo tauri, quos duo viri violenter cornibus implicitos retinent. In cubiculo vicino statuæ sunt Victoriæ, & duarum mulierum: item tabula, in qua Iuppiter sculptus est cum apro, quem canis tenet mordicus: multæque aliæ inscriptiones, epitaphia, & marmora antiqua.

Sub Quirinali monte sunt ædes Buffalorum, paruæ quidem, si conferantur cũ maiorib. illis palatiis Cardinalium, & Principum virorum, sed quę cæteris non cedunt omni ornamento antiquitatis. In harum ingressum sub porticu statuæ sunt Veneris nudæ; Apollinisque, qui læua tenet barbitum inflexus arboris truncо: qua nihil videtur Romę excellentius; Harpocratis siue Sigalii; Bacchi cũ *S*atyro, qui sese mutuis tenent cõplexibus, & ad quorum pedes est tigris; alterius Apollinis; Veneris cũ Cupidine: Iunonis, Iouis, & aliorũ Deorũ. Præterea capita Iouis & Palladis: & duæ laruæ: & basis magna, in qua sunt pulcherrimo artificio cęlati Iuppiter, Apollo, Bacchus, Hercules, Mercurius, Mars, & Æsculapi⁹. Hortulus est cõsitus diuersis herbis rarissimis, & arboribus, Palmis, Cedris, malis Punicis, ac medicis, myrtis, & aliis. Palmæ .n. videntur Romæ multis in locis: sed nullæ gerunt dactylos præterquam eæ, quæ sũt in horto S. Mariæ *del popolo*, & S. Marię *in Trãstyberi*. Apud Buffalos in hoc horto, in inuerуallis arborũ statuæ sunt colossęæ Cerberi tricipitis, & ex opposito Tigris: vtraq; suis basib. marmoreis repositа. *S*unt ibidẽ aliquot statuæ; vt Dianæ, Pomonæ, Flaminis cuiusdam sacerdotis, Veneris vestitæ & integræ, Herculis adhuc iuuenis, *S*abinę mulieris, Serui Persæ ex lapide Mischio precioso. In cubiculo prope Hortũ, *S*eptẽ sunt capita cũ suis pectoribus, singula suis collocata basib., Marij septies Consulis, Tiberij, M. Aurelij, Cõmodi, Maximini,

Græci

Græci alicuius,& poſtrema viri incogniti:ad introitum cubiculi duo ſunt capita,Scipionis Africani,& Hadriani Imperatoris.In alio cœnaculo multa ſunt alia capita cum pectoribus, ſingula ſuis diſpoſita baſibus:inter quæ eſt Veneris,Mulieris Sabinæ,Herculis, Veſpaſiani,M.Aurelii adhuc iuuenis,Getæ Imperatoris,duo Antonini Pij,duo puerorum,viri Græci cuius collo ſcriptum eſt ΛΥΣΙΑΣ.&mulieris incognitę. Ad finem hortuli prope fontem tabula eſt marmorea,in qua tres Charites expreſſæ ſunt mutuis complexibus ſese tenẽtes.

Huic hortulo fons eſt additus,ex tophis marinis efformatus affabre in ſpeciem rupis naturalis,tantæ pulchritudinis,tantorum ſumptuum,compoſitionis tam raræ,vt nihil ſpecioſius vſquam videri poſſit:diſpoſita ſunt diuerſis in locis conchylia precioſa, quæ margaritarum referunt ſplendorem,& ingentes Cochleæ Indicæ lucidiſſimæ,colore Iridis & variarum nionum. Totaque hæc rupes artificioſa venuſtiſſime tegitur lauris,cedris,tamariſcis,& aliis arboribus,quę præbent vmbram fonti ſubiecto:ſub quibus ſimulachra ſunt trla Muſarum elegantiſſima:& Caracallę Imperatoris,qui pallio marmoris cotognitis tectus eſt:Diſpoſita ſunt vndiq; ſigna,quæ ſuis è loculis extant,vt Demetrij,Maximini,Philippi, Claudii&aliorũ.ex rupe fontis euomũtur aquæ limpidiſſimæ,per tubos & canales æneos mirando artificio. Litoſtratũ ex marmorib. compactũ eſt exquiſitiſſimis,opere teſſellato. ex Chalcedonico,Porphyro,Alabaſtro,Thaſio,Pario, Ophite,Marmaridum,& Æthiopum lapidibus: Opus ſumma admiratione dignũ:quodque,licet multo minus ſit, pulchritudine tamen,& artificũ inuentione poteſt conferri cũ fonte Iulii de Monte,Pontificis maximi,qui ad portam videtur Flaminiam:In ſumma,quicquid in domo Patricii huius ciuis ſpectatur , dignum rege & opulentiſſimo puta principe.

Hæc ſunt quæ de vrbis Romanę Topographia mihi ſcribenda putaui,quæque ſtudio & curæ peregrinorum ſatisfacere poſſunt.Reliqui autores multi ſunt,qui hanc deſcriptionem fuſius ac locupletius tractarunt:quique multa addiderunt , quæ nos heic non attigimus :ſiue quod ea non viderimus,vel quod non exiſtimauerimus digna,circa quæ peregrinus debeat diutius inhærere: cui longa mora non conceditur in Vrbe. De conclauibus multorũ Cardinaliũ,nobilium,& ciuium opulentiorum,in quibus ſeruatur infinitus numiſmatũ,aureorum,argenteorum&æneorũ numerus:toreumata excellentiũ artificum ex diuerſis metallis;Onyches,Sardonij,Cornalini,Lazulij,amethyſtæ,Topazii ,Berilli,Cyani, Pyropi,Hyacinthi,Saphyri,criſtallini lapides cælati,& ſignati capitibus Deorum, Imperatorum,virorum illuſtriũ, diuerſorum animalũ,herbarum,&arborum,variaq; Emblemata continẽtes:hæc ſilentio præterire ſatius putaui,cũ impoſſibile ſit ſingula annumerare, vel enumerata explicare:q, præterea hodie(propter fraudes multorum malorũ , qui clamculũ multa furto turpiſſimo ſubtraxerunt)paucis aditus præbetur ad huiuſmodi ſecretiora loca. Multique timent ignotis ea cõmunicare,quæ coniuncta ſunt cũ multis ſtatuis,tabulis ac picturis nudis,& laſciuis:quæ à Cardinalibus,Epiſcopis,& aliis viris Eccleſiaſticis ſeruantur, propter artificium & operis venuſtatem & excellentiam. Nonnulli autem ſunt qui malignitate deprauati ſæculi,poſt reditum in patriam proterue ſuis enumerant,& narrant,ſcriptiſque publicant quæ viderunt,vt inuidiam,dedecus,ac contumeliam concitent poſſeſſoribus,à quibus comiter & perhumaniter ſunt excepti:beneficiorum immemores,ingratitudinem pro gratia referentes. Hæc malignitas in cauſa eſt,cur hodie domib.nobilium pauci admittantur,niſi commendatione amicorum id contingat,aut longa familiaritate , & vſu communicationis quotidianæ eos,quorum fidelitatem & ingenium perſpectum habent, in muſæa ſua admittant,&amice communicent,quæ habẽt precioſa. Hinc fit vt malorũ hominum ingratitudo viris bonis ſit opprobrio,& damno inæſtimabili:impediaturque ſtudium iuuentutis,& comitas,charitaſque omnium refrigeretur, aut plane extinguatur.

ONV-

ONVPHRII PANVINII VERONENSIS DESRIPTIO QVATVORDECIM REGIONVM VRBIS ROMÆ, EX SEXTO RVFO, P. VICTORE ET ALIIS PROBATIS *auctoribus collecta.*

REGIO PRIMA

Porta Capena.

Almo fluuius Vici nouē. Vicus Camœnarum, Drusianus, Sulpici vlterioris, Sulpici citerioris. Fortunæ obsequentis, puluetarius. Honoris & Virtutis. trium ararum. Fabrici. Vicomagistri XXXVI. quatuor per singulos vicos. Curatores duo. Denunciatores duo.

Luci tres.

Cuperius Hostiliani. Egeriæ. Camœnarum.

Templa quatuor.

Isidis. Serapidis. Fortunæ viatorum. Martis extramurani.

AEdes sex.

Martis Quirini. Mineruæ. Mercurij. Tempestatis. Apollinis, Camœnarum.

AEdiculæ X.

Fortunæ obsequentis, Honoris, Virtutis, Ridiculi, Herculis. reliquæ desiderantur.

Areæ VII.

Apollinis, Spei, Thalli, siue Galli, siue Galliæ, Isidis Ælianæ, Pinaria, Carsuræ, Mercurij.

Aræ II.

Ara Mercurij: Isidis, Lapis Manalis, Circus Antonini Caracallæ cum Obelisco, Senaculum ad Portam Capenam, Mutatorium Cæsaris, Campus Ridiculi, Horti Terentiani, Tabernæ Cæditiæ, Thermæ Commodianæ. Scuerianæ.

Balineæ publica VI.

Vettii Bolani, Torquati. Mamertini, Abascantiani, Mettiani Secundiani, Antiochiani, Balineæ reliquæ priuatæ sine nomine XXCII.

Lacus Fund. XXCIII. in his

Promethei, Vespasiani, alias Vipsani, sanctus, sudans, Torquati, Publicus, Biuius, Spei, Gratiæ, Lacus Mamertini, Salutaris, Lacus reliqui sine nomine. LXXII.

Arcus IV.

Drusi Neronis, diui Traiani, diui Veri Parthici, Bifrons.

Sepulchra.

Corneliorum Scipionum, Atiliorum Calatinorum, Seruiliorum, Cæciliorum, Horatiorum &c. Horrea XIV. Pistrina XII. Domus CXXI. Insulæ M.IↃↃ. CCXXIII. Regio in ambitu continet pedes CCIↃↃ. MMM. CC. XXIII.

REGIO SECVNDA.

Cælimontium.

Mons Cælius, qui & Querquetulanus, vel Augustus, Cæliolus, Subura, Ceriolensis.

Vici XII.

* *

Vicomagistri XXXII. Curatores II. Denunciatores II. Cohortes Vigilum V. Lupariæ in Subura, Antrum Cyclopis, Caput Africæ, Arbor Sancta, Mica aurea, Spolium Samarium, Luci duo. Templa: Tulli Hostilij, Bacchi, Fauni, diui Claudij, Deæ Carneæ.

AEdiculæ VIII.

Dianæ in Cæliolo, Fortunæ Barbatæ, Mineruæ capræ, Isæum Metellianum, Mineruium, Statua equestris M. Antonini Imperatoris, Ludus Matutinus, Gallicus, Regia Tulli Hostilij, Armamentarium, Castra peregrina, Mansiones Albanæ, Campus Martialis, Fontinarum qui & Forinarū, Cælimontanus, Thermæ publicæ, Balineæ priuatæ XXC. Lacus Fund. sine nomine LXV. Macellum magnum. Horrea XXIII. Pistrina XXIII. Domus CXXXIII: in his Vectiliana vel Vitelliana, Philippi, septem Parthorum, Laterani, Cæsaris Dictatoris, Mamutræ Formiani, Tiberij Claudij Centumali, Iunii Senatoris, Stellæ Poetæ, Tib. Claudij Clypti Hymnologi, Tetricorum, Turris Mamilia, Insulæ CIↃ CIↃ CIↃ CVI. Regio in ambitu cōtinet pedes CCIↃↃ MMM CC: id est 13200.

REGIO TERTIA.

Isis & Serapis, Moneta.

Carinæ.

Vici VIII.

Albus. Fortunæ Vicinæ, Angiportus, Bassianus, Structorum, Asellus, Lanarius, Primigenius, Vicomagistri XXXII. Curatores II. Denunciatores, II. Caput Suburæ, Tribus Gratiæ aureæ vel areæ, Summum Choragium, Caput Viæ Sacræ, Prætura Præsentissima, Lucus Cuperius Scholæ Capulatorum, Templū Isidis & Serapidis Monetæ, Templum Concordiæ virilis cum delubro.

AEdiculæ VIII.

Bonæ Spei, Serapidis, Sangi Fidoni, Mineruæ, Isidis, Veneris, Æsculapii, Vulcani, Porticus Liuiæ, iuxta templum Concordiæ virilis, Claudij Martialis, Amphitheatrum Vespasiani: quod capit loca IↃↃↃ CCIↃ CCIↃↃ. IↃↃ id est 77000.

Item.

Ludus Dacicus, Mamertinus, Castra Misenatium, Misenatium vetera, Schola Quæstorum, Capulatorum, Galli, Thermæ Titi Cæsaris Augusti, Traiani Cæs. Aug. Philippi Cæs. Aug. Balineæ priuatæ LXX. Nymphæum Tib. Claudii Cæsar. August. Lacus Pastoris, Lacus sine nomine LXV. Horrea XXIX: vel XIX. Pistrina XIII. Domus CLX.

In his

In his

Aurea Neronis cum Porticu, Bruttiani, Pompeiani, Titi Cæsaris cum Atrio: in quo fuit Laocoontis statua. Insulæ M MD C C C V I I. Regio continet in ambitu pedes CCIↃↃ MM CDL. id est 12450.

REGIO QVARTA.

Via sacra, alias Templum Pacis.

Via sacra, Ad corneta.

Vici VIII.

Cyprius post Sceleratus, Eros, Veneris, Apollinis, trium viarum, Anciportus minoris, Fortunatus minor, Sandaliarius, Vicomagistri XXXII. Curatores II. Denunciatores II. Caput Carinæ, Æquimelium, Bucena aurea, Tigillum Sororium, Meta sudans, Caput Lynco, Busta Gallica.

Templa X.

Pacis: in quo inter cætera ornamenta erant templi Hierosolymorum, Remi, vrbis Romæ & Augusti. Veneris Cloacinæ, Diuæ Faustinæ cum Porticu, Telluris in Carinis, cum Armamentario, Solis, Lunæ, Concordiæ in Liuiæ Porticu, Diui Neruæ in foro Transitorio, Ædes Iani Curiatii, Iunonis sororiæ in Carinis, Salutis.

Ædiculæ VIII.

Musarum, Spei, Mercurij, Lucinæ Valerianæ, Iunonis Lucinæ, Mauortij, Iuuentutis, Isidis, Volcanale, vbi Lotos à Romulo fata, Sacriporticus, vel sacriportus, Porticus Absidata, Area Victoriæ, Volcani: in qua sanguine perbiduum pluit, Sacellum Deæ Strennuæ, Colossus Solis altus ped. CIIS. vel CXX. habens in capite radios septem, singulos ped XXIIS. Apollo Sandaliarius. Forum Transitorium, vel Palladium, vel Diui Neruæ cum Porticibus, Forum Cupedinis, Basilica Vetus L. Æmilij Paulli, Constantiniana, Secretarium Populi Romani, Balineum Daphnidis, Balineæ priuatæ LXXV. Lacus sine nomine LXXIX. Arcus Titi Cæsaris Vesp. Aug. L. Septimij Seueri. Constantini Augusti Horrea XIX.

In his

Cantharia, sive Testaria, Pistrina XXIIII. Domus CXXXVIII. Regis Anci Marcij in via Sacra. Sp. Cassij Viscellini in Carinis vbi postea fuit templum Telluris, Domus Cn. Pompeij: post Marci Antonij in Carinis, auita Ciceronum. alia C. Cæsaris in via Sacra. M. Manilii: Philippi in Carinis. D. Cæcilii Balbini Imper. Insulæ MMDCCLVIII. id est 2758. Regio continet in ambitu pedes CCIↃↃ MIↃↃ. id est 14000. vel MM CCIↃↃ CCIↃↃ id est 18000.

REGIO QVINTA.

Esquilina cum Turri & colle Viminali.

Mons Esquilinus, vel Cispius, Opius, vel Septimius, Viminalis vel Faguralis, Aggeres Tarquinii Superbi, Cliuus Vrbicus, Vico Patricius.

Figlinæ.

Puticuli, sive Puticulæ in Exquiliis, Spes Vetus.

Vici XV.

Vicus Secusanus, Vrsi pileati, Mineruæ, Vstrimus, Palloris, Seius, Siluani, Capulatorum, Tragœdus, Vnguentarius, Paullinus, Pasiores, Vaticarius, Veneris Placidæ, Iunonis, Africus antiquus in Esquiliis Vicomagistri LX. Curatores. II. Denunciatores. II. Stationes Cohort. Vigilum. VII. Tabernola, Tres Tabernæ, Lucus Poetilinus, Fageus, vel Fagutalis, Esquilinus. Querquetularius, Mephitis, Iunonis Lucinæ, Viminalis: alias Iouis Viminei, Rubiginis, Templa, Iouis Fagutalis, vel Viminei, Iunonis Lucinæ, Mineruæ Medicæ, Siluani sub Viminali cum porticu, Æsculapii, Veneris Erycinæ, ad portã Collinã, cum porticu. Pantheõ, AEdes Veneris Verticordiæ extra portã Collinã, via Salaria, Rubiginis via Nomentana extra portam Catulariam, Quietis, extra portam Collinam, Felicitatis, malæ Fortunæ.

AEdiculæ XVI.

Fortunæ Seiæ, Veneris Placidæ, Castoris, Pollucis, Siluani, Apollinis, Cloacinæ, Herculis, Mercurii, Martis, Lunæ, Serapidis, Vestæ, Cereris, Proserpinæ, Fortunæ paruæ, Sacellum Deæ Næniæ extra portam Viminalem. Querquetularium. Iouis Fagutalis, Ara Iouis Viminei, malæ Fortunæ, Hercules Siluanus, Isis Patricia, Amphitheatrum Castrense, Circus Aureliani cum obelisco, Forum Esquilinum, Basilica Sicini, Regia Seruii Tullii, Campus Esquilinus, Cãpus Viminalis sub aggere: in quo erat ædicula Fortunæ paruæ, Horti Mecœnatis cum Turri, Plantiani, vel Plantiani vel Palantiani, Torquatiani, Castra Prætoria, Viuarium, Thermæ Olympiadis, Nouati, Balineum Pauli, priuata LXXV. Nymphæum Alexandri Imp. Lauacrum Agrippinæ, Lacus Promethei II. sine nomine CLXXIX. Castellum aquarum Marciæ, Iuliæ, & Tepulæ, Arcus Gallieni, Marcellum Liuianum, Horrea XXIII. Pistrina XXII.

Domus CXXC. in his

Regis Seruij Tullii, Lutatii Catuli, M. Licinii Crassi diuitis, Aquili Iureconsulti, P. Vergilii Maronis, Propertii, Auli Persii. C. Plinii Iunioris, Licinii Imperatoris, Insulæ MMDCCCL. Regio habet in ambitu pedes CCIↃↃ IↃↃ D CCCCL. id est 15950.

REGIO SEXTA.

Alta semita.

Mons Quirinalis, qui & Agonius, Salutaris, Latiaris, & Mutialis, Campus sceleratus ad portam Collinam, Cliuus Publicus.

Vici XIII.

Bellonæ, Mamuri, Albus, Publicus, Floræ, Quirini, Flauius, Fortunarum, Paccius, Tiburtinus, Salutis, Calidianus, Maximus, Vicus Mustellarius antiquus: extra numerum, Vico magistri XLVIII. vel LII. Curatores II. Denunciatores II. Cohortes Vigilum III. Capitolium Vetus, Malum Punicum. Decem Tabernæ, Ad Gallinas albas, Pila Honoris.

Templa XV.

Salutis in colle Quirinali, Serapium, vel Serapidis, Apollinis & Clatræ, Floræ, Veneris hortorum Sallustianorum, Quirini cum Porticu, Mineruæ Flauianæ, Fortunæ Seiæ, aliud Salutis, Fidei, liberæ, statæ, reducis,

cis,publicæ,ptimigeniæ, Ædes Diui Fidij vel Sancti Fidij Semipatris.

AEdiculæ XVI.

in Ædibus Saluianis
incidebat.

ITALIA

Septentrio

Occidens

Meridies

Mare Ligusticum

MARE SARDOVM

MARE TYRRHENVM

GOLFO DI VENETIA

Golfo di Taranto

MARE IONIVM

Selauonia

Croatia

Bossena

Golfo Lodron

Miliaria Italica communia

II. PARS
ANTIQVITATVM ROMANARVM
seu
Topographia Romanæ Vrbis Iam
inde ab V. C. ad nostra vsq; tempora
maxime quando in summo flore fuit,
accuratissima: Plateæ eiusdem cum
ædificijs & magnificis structuris pu-
blicis, effigiatę & ordine digestæ,
Descriptio perspicua singulis
figuris apposita.
*à Il. Boissardo V. primum ad Theodorum de Bry missa, qui ad vivum ea in ære effic-
ta, elegantissimo artificio illustravit.*
Editio altera accuratior.
*Studio sumtibusq; Matthæi Meriani Basil.
in lucem prodiens.*
ANNO MDCXXVIII.

Iacobus Granthome. fe

TOPOGRAPHIA ANTIQVÆ VRBIS ROMÆ, EX IO. BARTHOLOMÆO MARLIANO PATRITIO Mediolanense præsenti instituto accommodata.

CAPVT I.

DE SITV VRBIS.

QVONIAM, quicquid in rerum natura existit, necesse est in certis finibus contineri, certoque determinari loco: ideo facturus operæ pretium mihi videor: si, quemadmodum solent Cosmographi, priusquam ad ædificiorum Vrbis declarationem aggrediar, pauca quædam de situ ipsius attigero. Quod haud scio cur à cæteris in hoc scribendi genere versatis sit prætermissum: nisi forte præsentibus hominibus, temporibusque tantum satisfacere cupientes, huiusmodi laborem sibi superuacuum fore sint arbitrati. Me autem, quem haud ingratum etiam futuris, exterisq; nationibus præstare oportet, summa ope niti decet, vt ab illis, quacunque ratione, omissa diligenter explere valeam, ne Luciani fabulam quandam imitatus, in aere, aranearumq; campo ædificia ipsa instauraſſe, vel potius sparsisse iudicer. Quare cum nobis, sicuti poetis, non liceat, etiam in re ardua & difficili, à Deorum immortalium inuocatione, licebit saltem ab illorum domicilio, id est à Capitolio, auspicari.

Capitolinus igitur Mons maiorem vbi ostendit latitudinem, secundum pedis Romani antiquam mensuram, octingentos non excedit pedes: longitudo vero prospiciens occasum æstiuum, mille & quingentos. habet autem vtrunque cornu in hemicycli formam, & in orbem septem ferme stadia amplexatur, à quo, secundum longitudinem, conualle eiusdem, vel paulo amplioris latitudinis disterminatur mons Palatinus: qui vno latere pedum sexcentorum huic ita imminet, vt Capitolium vtrunque vltra ipsum porrigat cornu. Secundum vero latus eiusdem in ortum æstiuum vergens, est primo pedibus centum prolixius. A tertio, ortum hyemalem, Cœliumque montem respiciente, duplici fere longitudine superatur. Quartum, cæteris omnibus maius, Circum continet Maximum: è regione vero Auentinum spectat. Constituens itaque quadrangulum qua-

quatuor laterum inæqualium, mille & ducentos passus continet Palatinus. Ad secundum latus cuius iacet planities, quæ à capite fori Romani ad extremam collis Quirinalis partem in Suburram vergentem, quingentis perficitur pedibus, interdum tamen latitudo hæc variatur. Longitudo autem comprehensa ab vtroque fronte inter Capitolium, forum Neruæ, & Cœlium montem: atque hinc ab eodem Cœlio, & Palatino: inde vero à Suburra, & Esquiliis, quod S. Marcellini ædem attingit, mille prope adimplet passus. Ad alterum autem Capitolii cornu, altera est planicies, quæ apud Marcelli theatrum vnde principium habere volumus, ab ipso monte ad Tyberim in quingentos extensa est pedes: mox vero, è regione conuallis, de qua in principio egimus, quia fluuius ipse cursum oblique flectit, Auentinusque mons à Palatino recedit, latius diffunditur, coarctatur deinde inter eosdem montes, secundum variam eorum formam, vsque ad Cœliolum, vlterius vsque ad portam Capenam, ipsa tantum via Auentinus à Cœliolo dirimitur. Longitudo à dextera Tyberim, & Auentinum: à sinistra capitolium, Palatinum, & Cælium habet, milleque passibus vix transigitur. Capitolij, Palatinique montis situ descripto, hisque campis, terminisque circumsepto, cum Cœlius tertius vrbi fuerit additus, tertio ordine iure sequi videtur. hic enim planicie Pyramidis formam ita constituente, vt basis quingentorum pedum prope amphitheatrum sit, à Palatino disiungitur. in ea autem est via Appia, quæ apud Circum Maximum sola Cœlium à Palatino disterminat, tenditque ad portam Capenam, relinquens à sinistra inter Cœlium & Cœliolum vallem pedum sexcentorum latitudine, secundum eandem viam: nam ad portam Gabiusam circa dimidiam partem angustior videtur. Longitudo à via Appia vltra eandem portam progrediens, stadia quatuor continet: succedunt deinceps mœnia ad stadium, quæ ad portam Asinariam vsque, cum Cœlio iunguntur, Cœliolus igitur hac valle, via Appia ab ortuque æstiuo, atque hiemali mœnibus Vrbis clauditur, ambit autem prope mille passus. Sed ad Cælium reuertamur. hic ab ipsa Asinaria, secundum muros Vrbis, in ortum æstiuum per quatuor fere stadia fertur: occurrunt deinde muri à fronte ad stadia duo, vsque ad portam Neuiam: à qua redeundo in occasum æstiuum via Labicana ab Esquiliis dispartitur, mox etiam à fronte apud S. Marcellinum sese offerens ad Amphitheatrum vsque progreditur: ambit autem duo mille & quingentos passus: variaturque eo modo, vt nulla certa forma ei constitui posse videatur, quemadmodum nec sequentibus. Nam Auentinus quartus in ordine duos montes complecti videtur, parsque ad Tyberim latior ad dimidium ipsius montis secundum longitudinem à Tyberi ad mœnia existentem, oualem formam constituere videtur: mox enim prope portam Hostiensem scinditur via obliqua, quæ ad angulum circi Maximi, & Cœlii montis ducens, à dextera alteram Auentini montis partem reliquit, diuisam à Cœlio via Appia vsque ad portam Capenam, à qua ad Hostiensem muri interius sensim curuati à meridie ortuque hyemali hanc includunt. Ambitum autem totius Auentini non magis ex nostra dimensione, quam ex verbis Dionys. libet ostendere, qui tertio libro fic ait: Ancus Auentinum collem modice editum, in orbem stadia ferme decem & octo complectentem muro cinxit. In decimo tamen haud minus duodecim stadiis esse tradit. Sed huius diuersitatis dubium tollit ipse dum subiungit. Non enim totus M. Valerio, & Spurio Virginio Coss. habitabatur, sed erat publicus, & syluarum plenus. Habet autem Auentinus ab occasu solis hyemali campum late patentem quadrangulum quatuor laterum inæqualium constituentem: quorum primum in meridiem vergens sex propemodum continet stadia, & quinque in occasum: Vrbisque mœnibus ambo cinguntur. secundo oppositum parum minori transigitur spatio; quatuor vero stadiis quartum Tyberim, inter hunc ipsum campum, & Transtyberinam regionem fluentem respiciens. Sequebatur recto ordine Ianiculus mons, verum cum ab Anco Martio, non inopia loci, sed ne aliquando arx hostium esset, additus sit Vrbi, commodius relinquetur ad eam partem, quæ Transtyberinam regionem percurret: ad Exquilias igitur transeamus, quas à meridie via Labicana, ab occasu vero æstiuo,

valle

valle inter Cœlium, Palatinum, & ipſas Exquilias poſita, diuiſimus. A Septentrione autem Suburra,& deinceps vicus Patricius à Viminali colle, vſq; ad thermas Diocletiani,dirimunt: vlterius enim iunctę cum eodem colle vſque ad mœnia videntur: ſecundum quæ in portã Exquilinam latius diffunduntur, ambitus autem quatuor millibus paſſ. vix perficitur, nullã certam habens formã,vallesq; interdum breueis includuntur,vt iure optimo Var. Exquilias ipſas duos eſſe mõtes dicat, in pluresq; diuidat partes. At Viminalis collis ab occaſu Quirinalem reſpicit: interiacet autem circa ſtadium Suburra,quæ plana appellatur;deinceps à Septentrione,inter eoſdem colles,vallis Quirinalis, quatuor iugerum latitudine,longitudine vero ſtadiorum duorum cum dimidio. Mox enim Viminalis, vt cum Exquiliis, ita cum Quirinali, vſque ad mœnia iungitur, vt nullo modo dirimi poſſe videatur, quod accidiſſe arbitramur, quia montes iactis fornicibus ſunt æquati, & nedum depreſſis locis ſuperimpoſiti ſunt ampliſſimi fornices, verum ipſis etiam montium viſceribus excauatis, perfoſſisq; tota penè Vrbs (vt ait Plinius)penſilis facta eſt. In orbem autem Viminalis ipſe duo millia, & quingentos continet paſſus; oblongam, ſicuti Quirinalis, habens formam, ſed latitudo variatur. Quia demonſtratum eſt quid habeat Quirinalis à dextera, conſequens eſt reliqua percurrere. A ſiniſtra enim recta à turri Militiarum ad ſtadia quatuor, planam Vrbem ad occaſum pertinentem, deſpicit; tertio verò latere, ad ſtadia ſex, collem Hortulorum, in Aquilonem conuerſum. interiacet autem vallis latitudine,vbi maior,quatuor iugerum, ad portam Salariam vſque propemodum producta. Circuit Quirinalis millia paſſuum ferè tria. Sex,ſecundum Var. Vrbis montibus, atque vna conuallibus iam oſtenſis, his collem Hortulorum,quanquam extra antiquum fuit pomerium,addere,non abſurdum opinamur; vt omnes partes Planæ Vrbis melius intelligantur, faciliorq; ſit cognitio eorum, quæ ſuis locis veniunt declaranda. Is igitur collis valli Martię inter ſeſe & Tyberim iacenti,ad ſtadia vltra tria plurimus incumbit: cuius longitudo à porta Flumentana ad Collatinam,ſecundum muros Vrbis cæteris lateribus eſt longior;nam millibus paſſibus vix perficitur; & in medio ſui ad inſtar curuati ad cubitum brachij exiſtit. quanto enim magis ad Collatinam accedit, eo ampliorem præbet campum; & in orbem ſtadia decem & octo, plus minus,amplexatur. Tempus eſt iam in Planam Vrbem deſcendere, quæ à Capitolio inchoans ad portam Flaminiam nunc terminatur, ab ortu æſtiuo, ſiue Septentrione, curriculo octo propemodum ſtadiorum, Quirinali,Hortulorumq; colle ſepta, ab occaſu verò paulo maiori ſpatio Tyberi alluitur; ideo maiori ſpatio diximus propter ripas ipſius fluminis retortas. Quod ſi ab ea parte collis Hortulorum, quæ Domitiani Naumachiæ imminet, lineam rectam deduxerimus, ſtadiis duobus peractis, ad ripam eiuſdem flum. eregione molis Hadriani perueniemus; quatuorq; laterum inæqualium, paſſuum vltra tria millia complectentem, quadrangulum conſtituemus. relinquetur autem extra vallis Martia,quanta eſt inter collem Hortulorum mœnia Vrbis,& Tyberim. cuius latitudo, quò magis accedit ad portam Flaminiam, eo magis arctatur. Reliquum erat in Tranſtyberinam regionem tranſire, ſed prius videndum eſt,quo curſu ipſam ab Vrbe Tyberis interſecet. Hic enim Vrbis ingrediens,murorumq; extremam partem,Flaminiamq; portam à ſiniſtra relinquens, quanta eſt vallis Martiæ longitudo,fluxu parum obliquo,& retorto defertur; mox verò ſenſim à Septentrione in occaſum conuerſus,hemicycli formam conſtituit, cuius conuexum Vaticanus, concauum verò Martius exiſtat campus. deinceps,infra molem Hadriani,ad priſtinum curſum redit,vſq; ad primas Auentini radices; vbi oblique in meridiem verſus defluens, haud longè à porta Portuenſi, Vrbem egreditur. At ipſius regionis ſitum aggrediamur. prius tamen ſciendum eſt Ianiculi montis partem vltra dimidiam, intra mœnia non

esse comprehensam. Ea autem pars quæ à campo Vaticano ad stadia tria in meridiem est extensa, flumini quidem adiacet; reliqua verò muris clausa, quanto magis fertur ad exitum eiusdem fluminis, latiorem relinquit campum. Muri enim Vrbis ab ipso flumine recta in occasum per stadia tria ascendunt, mox per dorsum ipsius Ianiculi, totidem fermè peractis in æqualem descendunt planiciem, inde breui spatio ad exitum Tyberis perducti cum fluuio ipso rhombi formam propemodum constituunt, cuius latior pars à porta Aurelia incipiat, desinat autem ad portam S. Mariæ nunc Ægyptiacæ. Ea autem pars Ianiculi, quæ est muris circundata, quinque continet stadia. Ambit autem tota hæc transtyberina regio cum Ianiculo millia passuum circa tria. Hæc de situ Vrbis: cui & collem & campum Vaticanum addere non inconueniens esse duximus. Dictum est enim Ianiculi partem à campo Vaticano initium sumere; supra quem campum versus occasum, collis eiusdem nominis attollitur, qui duo porrigit cornua; vnũ ad Ianiculum, alterum in Septentrionem, arcumque maximè intensum efficit, cuius conuexum mille passus complectatur. Ab ipso verò colle diffunditur ad Tyberim planicies longè, lateq; patens, à sinistra montibus cincta, qui in longitudinem stadia circa decẽ producti; cum Tyberi efficiunt latitudinem variã quam totam, quanta his collibus adiacet, Vaticanum appellant campum. In hac autem dimensione quantum laboris sumpserimus, ne quispiam magis mihi credat, (inquit Marlianus) quàm Antonio Alegreto, & Annibali Charo iuuenibus multiplici virtute ornatis, ac Ludovico Fabro Fanensi viro probo, egregieq; docto, qui eiusdem laboris participes fuere. Et si aliquis nimis seuerus rerum æstimator hanc vel illam non probet mẽsuram, tanquam certis stadiis, aut numeris rectè non sit deducta: ob eam rem desinat mirari, quòd forma Vrbis adeò est mutata, vt pristini situs vestigium vix retineat, neque Romulus ipse, si reuiuisceret, vbi suam posuisset Vrbem agnosceret, quod accidisse certum est propter ędificiorum ingentes ruinas, quibus plurimis in locis montibus valles ita sunt æquatæ, vt vbi montes ipsi incipiant, aut desinant non facilè possit dignosci. Arbitramur tamen vel sic, hanc descriptionem nõ inutilem fore iis, qui Vrbem non viderunt: & etiam iis, qui eam contemplati sunt. Quia cum multa prisca per ea, quę nunc sunt, exponantur, eaq; dominum mutent, aut corruant vetustate: cum ipsis sæpe priscorum ædificiorum cognitionem amittimus. quod accidere nequaquã poterit, si ex situs descriptione, singulis rebus proprium locum, quoad fieri poterit, assignauerimus.

CAP. II.

De primis cultoribus, & conditoribus Vrbis.

VRBEM Romam in occiduis partibus, iuxtaq; Tyberim flumen positam, atque centum & viginti stadiis à Tyrrheno mari distantem, barbari Siculi primi omnium tenuere. Antea verò neq; vt habitata sit, neq; vt deserta fuerit, quod dicamus, nihil certi habemus. Mox autem Aborigines, duce Oenotro Lycaonis filio, ex Arcadia ad inquisitionẽ agri melioris sponte huc profecti, his expulsis, locum occuparunt. Quibus deinde Pelasgi, & aliorum Græcorum quidam errabundi, profugique ex Thessalia admixti, auxilio eis ad bella cum populis finitimis, fuere. Permanserunt autem in his sedibus vsque ad bellum Troianum, priscam illam Aboriginum appellationem seruantes. Horum autem regem Saturnum fuisse memorant, qui Cretæ rex habens cum Ioue filio, de agris contentionem, bello expulsus, in Italiam venit, & cum vsus vinearum, & falcis Ianũ docuisset, ab eo in partem Imperij est admissus,

miſſus, cæterum Iano defuncto ad eum ſolum imperium forte peruenit. Annis deinde ſexaginta, ante res troianas, ferunt Arcades ex vrbe Palantio exeuntes, ſedemque duce Euandro quærentes, atque in hunc locum, vbi nunc Roma eſt, delatos à Fauno Aboriginū rege, & benignè ſuſceptos eſſe, & agri portionē accepiſſe, illosq; colle haud procul à Tyberi diſtāte electo, ſtruxiſſe caſtellū, Palantiumq;, à metropoli eorum in Arcadia, appellaſſe. Paucis verò annis interpoſitis aliam claſſem Græcam, ducente Herc. eandē tenuiſſe regionem, ex hisque quoſdā miſſionem ab eodem Herc. precatos in colle, qui tunc Satur. dicebatur, poſuiſſe ſedem. Hos Pelopōnenſes, Phanetas, & Epios, qui ex Elide, fuiſſe comperio: quib. nullum erat amplius deſyderiū reditus, euerſa eis patria ab Hercule. Hi aliquantulum tēporis rem ſuam ſeparatim adminiſtrarunt: cæterum haud ita multo poſt victum, leges, ſacra cum Aboriginū ſacris conferentes, ſicuti Arcades, & prius Pelaſgi fecerāt, ciuitatis eiuſdē participes facti ſunt. Secunda verò ætate, poſt Herculis profectionē, Lati. ex filia Fauni, authore Trogo, vel vt alij dicunt, ex Hyperboride ſtupro conceptus, Aboriginū rex fuit: quo regnante Æneas poſt Ilij direptionem, in Italiam cum appuliſſet, prælio ſtatim exceptus eſt: cumq; in aciem exercitum duxiſſet, ad colloquium vocatus, tantam admirationem ſui Latino præbuit, vt in ſocietatem imperij receptus, Lauiniaq; in matrimoniū ei data, gener aſciſceretur. Hic deinde Aborigines, Troianosq; cōmuni nomine Latinos nominauit. Poſt hæc vtriuſque bellum aduerſus Turnū Rutulorum regem, propter fraudatas Lauiniæ nuptias, fuit, in quo Turnus & Latinus interierunt. Quare Æneas, ſoceri regnum ſuſcipiens, quarto anno imperij ſui in bello aduerſus Mezentium Hetruſcorum regem, occubuit, in cuius locum Aſcanius filius ſuccedens trigeſimo anno, poſt Lauinij conſtructionem, Albam condidit. Anno deinde octauo & vigeſimo, mortuo Aſcanio, eius frater Syluius, poſt mortem Æneæ ex Lauinia natus, imperium accepit, cumque vndetriginta imperaſſet annos, Æneæ Syluio filio reliquit, hic verò poſt vnum & triginta, Latino Syluio: Latinusque poſt quinquaginta Albæ, qui vndequadraginta illud tenuit: poſt eum viginti quatuor Atys, deinceps Capys viginti octo; inde Capetus tredecim, & Tyberinus poſtea octo. Tyberino ſuccedens Agrippa, quadraginta regnauit annos: Romulus deinde vndetriginta, poſt hunc triginta, & ſeptem Auentinus, qui Procæ imperium ipſum per manus tradidit. Proca viginti & tres imperauit annos, Numitoremque & Amulium procreauit. Amulius duos & quadraginta annos regnum, q, Numitori fratri ſeniori debebatur, haud iure occupans, filiam eius Rheam, nequis vindex regni ſexus virilis ex genere Numitoris oriretur, Veſtæ ſacerdotem fecit, quæ duos pueros incerto ſtupro an ex Marte conceptos, enixa eſt, quos Amulius exponi iuſſit. Sed fortuna origini Romanæ proſpiciens, pueros lupæ alendos obtulit, quę cum ſæpius ad paruulos, veluti ad catulos, reuerteretur, rem Fauſtulus paſtor animaduertit, ſubſtractosque feræ, cum Accæ vxori, quæ meretrix erat, nutriendos dediſſet, grandiuſculos inter greges pecorum agreſti deinde vita nutriuit. Quod autem à lupa dicantur educati, fabuloſum figmentum eſt, ad cœlandam authoris Romani generis turpitudinem: nec incongrue factum eſt, nam & meretrices lupas vocamus, conſtatque hoc animal in tutela eſſe Martis, iuxta illud. *Martius à ſtabulis rapuit lupus.* Nomina autem pueris alteri Remo, alteri Romo, ſiue Romulo fuere. Adultis inter paſtores de virtute quotidiana certamina, vires, & pernicitatem auxere. Igitur cum latrones à rapina pecorum frequenter ſumouerent, Remus ab his captus regi offertur, criminique datur quaſi greges Numitoris infeſtare ſolitus eſſet. Tunc à rege in vltionem Numitori traditur, qui adoleſcentia iuuenis permotus, in ſuſpitionem expoſiti nepotis adducitur: & cum eum nunc lineamentorum filiæ ſimilitudo, nunc ætas expoſitionis anxium teneret, Fauſtulus

ſtulus cum Romulo ſuperuenit,à quo origine cognita puerorum,facta coniuratione Amulium interficiunt, Numitoriq́ue auo regnum reſtituũt. Sequenti verò anno regni Numitoris quadringenteſimo trigeſimoſecundo(vt tradit Cato) poſt Ilium captum, duodecimo Cal. Maias hora poſt ſecundam, ante tertiam, Romam, vbi expoſiti fuerant, condiderunt. Et quanquam vt de tempore,ita de conditore, mira inter ſcriptores varietas exiſtit, communis tamen opinio Romulum Martis filium vrbis authorem habet. Vnde Cicero de nat.deorum. *Principio v bis parens Romulus nõ ſolum auſpicato, ſed ipſe etiam optimus augur fuiſſe traditur.* Solinus etiam poſt nonnullorum varias de vrbis authore opiniones ſubdit. *Verius tamen putant à Romulo conditam Romam eam, quæ quadrata dicta eſt.* Ser. autem grammaticus de Vrbis origine anceps, *Conditarum*, inquit, *vrbium diſſenſio inuenitur, adeo vt ne vrbis quidem origo diligenter poſſit agnoſci.* Nam Sal.dicit. *Vrbem Romam, ſicut ego accepi condidere, atque initio habuere Troiani & cum iis Aborigines.* Alij ab Euandro, ſecundum quos Virg.

Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Alij Romulo vt,

En huius nate auſpiciis illa inclyta Roma.

Si igitur tantæ ciuitatis certa ratio non apparet,non mirum ſi in aliarum opinione dubitatur. vnde nec hiſtoricos,nec commentatores,varie dicentes,imperitiæ condemnare debemus. Nam antiquitas in multis creauit errorem:& pleriq́ue fundant, pleriq́ue augent, & ad ſe tranſierunt nomina. Nam Romam etiam Romulus feciſſe dicitur, quam ante Euander condidit. Romulum autem, non Remũ, Romanæ Vrbi, & Ciuibus nomen dediſſe ferunt: quia captatis auguriis Remus prior ſex vultures vidit, Romulus mox duodecim,quæ res, cũ vnus tempore, alter numero certaret, bellum creauit: in quo extincto Remo, à Romulo Romani ſunt denominati.

CAP. III.

De Forma, & Magnitudine Vrbis Romuli.

VRBIS nouæ figuram quadrangularem Romulum deſignaſſe author eſt Plut. & Dionyſi. Quadratam Romam appellatam tradit Solinus, eò quod æquilibra foret poſita. Sed vt de forma certa eſt opinio apud ſcriptores,ita de ambitu,quibuſve terminis finiretur incerta, & varia. Liuius enim refert Romulum Palatinum primum, in quo erat educatus, muniuiſſe: & Gellius antiquum pomerium ab Romulo inſtitutum Palatini montis radicibus terminatum. Secundum hos bene procedit, quod ait Corn. Tac. Capitolium Romanumque forum a Tatio rege Sabinorum Vrbi additum. cuius verba ſunt hæc: *Initium igitur, & quod pomerium Romulus poſuerit noſcere, haud abſurdum reor.* Igitur à foro Boario, vbi æreum tauri ſimulacrum aſpicimus,quia id genus animalium aratro ſubditur, ſulcus deſignandi oppidi cœptus, vt Magnã Herculis aram amplecteretur. Inde certis ſpatiis interiecti lapides per ima montis Palatini ad aram Conſi,mox ad Curias veteres, tum ad ſacellum Larium, forumq́ue Romanum, Capitolium non à Romulo ſed à Tito Tatio additum Vrbi creditur. Sicq́ue manifeſtum eſſet Tatium deducto muro à ſaxo carmentali in occaſum ad viam, quæ nunc haud longe abeſt à Tyberi; inde in meridiem vſque ad Circi Maximi partem extremam, conuerſoq́ue mox in ortum æſtiuum paulo vltra Amphitheatrum, hincq́ue ad forum Neruæ, & tandem ipſum murum cum altero cornu Capitolij coniungentem,Capitolinum, & Palatinum montem incluſiſſe. Sed cum conſtans ſit opinio Carmentalem portam ad radices Capitolij ſitam, in noua Vrbe à Romulo comprehenſam, Liuiusq́ue in bel-

in bello aduerſus Sabinos Capitolium Vrbis arcem fuiſſe oſtendat: cumq; in Vrbis ampliatione poſt Romuli mortem quid, quove tempore, & quibus regibus additum ſit commemorans, nullam de Capitolio, tanquam de primæ Vrbis parte, faciat mentionem, exiſtimamus vrbem à Cor. deſcriptam non magis Tatij regis, quam Romuli eſſe monimentum. nec obſtat quod Liuius dicit Romulum primum Palatinum, in quo erat educatus, muniuiſſe. in eo enim verbo primum, vim eſſe hanc opinor, vt munito prius Palatino, vrbem condiderit: Sicut eodem in bello ipſe Romulus teſtatur, dum precatur Iouem, vt ſuorũ fugam ſiſtat. Hic, inquit, in Palatio prima vrbis fundamenta ieci. Si prima, ergo alia poſtmodum iecerat fundamenta vrbis, illius dico, quam, contra eiuſdem Cor. opinionem, incipere à ſylua, quæ erat in Arca Apollinis, & ad ſupercilium ſcalarum Caci, vbi poſtea fuit porta Tergemina finire, legi apud Solinum. Quòd mox ab eodem Romulo, & Tatio aucta fuerit, nullum huius rei authorem habemus, niſi Diony. quem ita loquentem audiamus. *Romulus & Tatius vrbem ſtatim maiorem effecerunt, duos ei colles alios adiicientes, Quirinum & Cœlium. ſeparanteſq; habitationem alter ab altero in proprius locis vtrique vitam agebant. Romulus quidem Palatium occupans, & montem Cœlium Palatio propinquum: Tatius verò Capitolium, quod ab initio cæperat, & quirinalem rupem: forumq; ibi conſtituerunt, quo nunc etiam Romani vtuntur.* Quanquam Ser. ait Alios dicere Romulum ſeptem colliculos ab initio incluſiſſe, alios velle hos ipſos, qui nunc ſunt à Romulo incluſos, id eſt Palatinum, Capitolinum, Quirinalem, Auentinum, Cœlium, Viminalem, Eſquilinum, & Ianicularem, aliis tamen nominibus appellatos, quæ mutata ſunt poſtea. In quo à Liuio apertiſſime eos diſſentire inferius, vbi de vario Vrbis ambitu loquimur, apparebit. Præterea dicimus, non veriſimile eſſe, paſtores, rebus adhuc anguſtis, tantum campi, in tanta hominum paucitate, complexos eſſe: cum Plut. velit mille domos tantum fuiſſe, Dionyſiusq; cum conditoribus Vrbis non plures tribus peditum millibus, & pauciores equitibus tercentis.

CAPVT IIII.

De Portis Vrbis Romuli.

DE portis autem vrbis Romuleæ ſic habet Plinius. Vrbem tres portas habentem Romulus reliquit, aut (vt pluribus tradentibus credamus) quatuor. Harum nec nomina, nec locum ipſe ponit: communis tamen eſt opinio eorum, qui tres tantum à Romulo ferunt relictas fuiſſe, Carmentalem, Romanam, & Pandanam, Carmentalemq; à matre Euandri denominatam, à dextera ſub Capitolio inter ſaxum Tarpeium, & Tyberim: e regione ædiculæ diuæ Chaterinæ nunc dirutæ. & verſus circum Flaminium, vt inquit P. Victor: quam Blondus ad primas Auentini radices ponit, & præter hiſtoriæ fidem, Liuiiq; authoritatem ipſum collem in vrbem Romuli comprehendit: dumq; huic ſuæ vrbi portas accommodare, veriſimilemq; ſuam opinionem efficere conatur, aliò ipſas portas, quàm fuerant, traducit, & ex vno in alterũ labitur errorem. Liuius enim ipſe ſeptimo belli Pu. loquens de vico Lugario, clare docet Carmentalem portam fuiſſe ſub Capitolio, ſed apertiſſime Plut. in Camilli vita: Ad Carmentalem, inquit, portam Pontinus contendit, vt quid ageretur per ſilẽtium ſpecularetur; nam huic Capitolium maxime directo incumbit: & Solinus his verbis. *Pars infima capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, vbi & carmentale nunc fanum eſt, à qua Carmentalis portæ nomen eſt.* Eodẽ modo & Sex. Po. qui templum Iani fuiſſe extra ipſam portã apud Marcelli theatrũ tradit. Alia eſt ratio hanc portam non fuiſſe prope Auentinum. Quod Vir. inducit E-

uandrum ab ara Maxima in Palatinum progredientem monſtrare Herculi portam Carmentalem, quę nimirum, ſi ad radices Auentini, poſt fuiſſet relicta. Huic autem portæ Sceleratę poſtea nomen fuit, quòd per eam egreſſi Fabij ad Cremeram Flu. ex lacu attingente Bacchanas orientem, omnes interfecti ſint. Vnde idem Sex. Pomp. refert religioni eſſe quibuſdam porta Carmentali egredi, & in æde Iani, quæ erat extra ipſam, ſenatum haberi, quòd ea egreſſi ſex & trecenti Fabij, apud Cremeram omnes interfecti ſint, cum in æde eiuſdem Iani. S.C. factum eſſet, vt proficiſcerentur. Sed ad reliquas veniamus. Romanam in hortis ædis diuæ Mariæ nouæ haud procul ab angulo Palatini, qui amphitheatrū ſpectat, fuiſſe innuit idem author, cum ait. *Romana porta inſtituta eſt à Romulo in infimo cliuo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatus eſt.* Appellata eſt autem Romana à Sabinis prę cipue, quòd proximus aditus erat Romam. ſunt tamen qui Mugoniā, quæ & Trigonia à tribus angulis eſt denominata, ibi reſtituant, quibus ſi aſſentiri volumus, dicemus à Romulo prius Romanę, deinde ab euentu, hoc eſt à mugitu boum, vel quòd per eam boues introducerentur, Mugonię nomen ſortitam eſſe. Sequitur Pandana, dicta, quòd rebus illatis in vrbem panderetur, eidem & Liberæ, & Romanulæ nomen fuit, quam prope Velabrum fuiſſe probāt quæ ſequuntur Var. verba. Laurentalia ab Acca Laurentia; huius ſacrificium fit in Velabro, qua in Nouam viam exitur, vt aiunt quidam ad Sepulcrum Accę; qui locus extra vrbem antiquam fuit, non longe à porta Romanula. Exiſtimamus autem Romanulæ nomen adeptam, poſtquam Romana Mugonię ſumpſit cognomen. Miror autem Blondum & Fuluium, Var. authore, velle hanc fuiſſe non Romæ, ſed Saturniæ vrbis, qui dum probat Saturnium oppidum fuiſſe propè Saturnium montem, ſic ſequitur: Eius veſtigia nunc manent tria, quòd Saturni fanum in faucibus, quòd Saturnia porta, quam Iunius ſcribit, ibi, quam nunc vocāt Pandanam. quæ vltima verba innuunt, Pandanam fuiſſe à Romulo conſtitutam, eo in loco, vbi prius in Saturnio oppido, fuerat Saturnia. Qui vero volunt Romulum vrbem quatuor portarum reliquiſſe, quartam ad radices Viminalis ſtatuere; ab euentu poſtea dictam Ianualem. Nam bello Sabinorum, cum Romani eam claudere feſtinarent, quia in ipſam hoſtes irruebant, poſtquam eſt clauſa, mox ſponte patefacta eſt, cumque iterum, ac tertio idem contigiſſet, armati plurimi pro limine, quia claudere nequibant, cuſtodes ſteterunt, cumque ex alia parte acerrimo prælio certaretur, ſubitò fama pertulit fuſos à Tatio Romanos: quam ob cauſam, qui aditum tuebantur territi profugerunt, cumque Sabini per portam patentem irrupturi eſſent, fertur ex æde Iani per hanc portam magnam vim torrentium vndis ſcatentibus erupiſſe, multasque perduellium cateruas, aut exuſtas feruenti aqua, aut deuoratas rapida voragine deperiiſſe, ea re placitum, vt belli tempore, veluti ad vrbis auxiliū, fores Iani reſerarentur. Hęc autem porta opportuno loco fuerat ſita, tamen cum conſtans ſit opinio, pomerium Romuli ad radices Viminalis nō perueniſſe, nullibiq; legerimus Iani templum eo in loco ſtetiſſe, c edimus Romulum tres tantum inſtituiſſe portas; qui numerus, in vrbe adhuc parua, publico vſui ſatisfacere poſſe videbatur.

CAP. V.

De vario ambitu & mœnibus Vrbis.

CVM Romulus, Vrbe noua cōſtituta, quæ ad deorum religionem, hominumq; iura pertinere videbantur, curaret, Romā interim alia, atq; alia loca appetebant, vt Vrbs in dies amplioribus munitionibus creſceret, cum in ſpē magis futuræ multitudinis, quam ad id hominum, quod tum erat, eam munirent. Victis poſtea Sabinis, & ex duabus vna facta ciuitate, etiam

iam hominum multitudine aucta est, moxque Alba euersa, duplicatoque ex illius ruinis ciuium numero: Tullus Cœlium Vrbi addidit, Exquiliasque, authore Liuio, auxit. ex quo conijcimus, aucto numero ciuium, Romanos etiam extra muros in montibus, vallibusque adiacentibus, & foro proximioribus domos struxisse. Quæ loca cum iam essent occupata, deuictis Albanis Tullum addidisse Cœlium, Exquiliasque, nondum Vrbi adiectas, auxisse. Secundam autem Vrbis ampliationem capto Politorio, omnique multitudine Romam traducta, fecit Ancus. qui cum circa Palatium sedem veteres Romani, Sabini Capitolium, atque arcem, Cœlium Albani impleuissent, Auentinum nouæ multitudini concessit. Multis deinde milibus Latinorum in ciuitatem acceptis Ianiculum quoque Vrbi coniunxit, ponte Sublicio tunc primum in Tyberim facto, Quiritiumque fossam in planioribus Vrbis circunduxit. Hinc constat Auentinum non fuisse Vrbis Romuli partem, vt putauit Blon. minus diligenter Liuij verba considerans. qui etiam primo decadis quintæ Auentinum ipsum extra Vrbem sic collocat. Aediles extra portam Tergeminam in Auentinum porticum silice strauerunt. eodem modo & Gellius, eius verba hæc sunt. *Auentinus solus, quæ pars nõ longinqua, nec in frequens est, extra pomerium est, neque Ser. Tullus, neque Sulla, qui proferendi pomerium titulum quæsiuit, neque postea Diuus Iulius, cũ pomerium proferret, intra vrbis fines incluserunt.* Causam esse ait Messala, quòd in monte Remus vrbis condendæ gratia auspicatus, aues irritas habuerit, superatusque à Romulo in auspicio sit. Iccirco omnes, qui pomerium protulerunt, montem istum excluserunt, quasi auibus obscœnis ominosum. Authore postea. D. Claudio receptum, & intra pomerij fines obseruatum est. Tarquinio autem Prisco, qui vrbem muro cingere parauerat, mortuo, eam curam Ser. Tullius suscepit, & Viminalem, Quirinalemque quinque collibus addens, vrbis ambitum ampliauit. Muros verò ruderibus, vilibusque structuris ædificatos Tarquinius superbus primum cœpit saxis magnis formatis ad regulam extruere. Ex eo quippe tempore portæ Romuleæ paulatim, & nomen, & vsum ammisisse videntur, licet Carmentalis diutius suum retinuerit. Et constructio vrbis regum tempore vlterius, vt testis est Dion. nõ processit, non permittente numine, quanq̃ omnia circum vrbem erant habitata. Nam cum antiqui vellent vrbis mœnia, quę Collinam non excedebant portam, vsq; ad Miluium pontẽ producere, prohibuere aruspices, quia nõ licebat in vrbe comitia facere, & milites legere. hinc Cic. ad Atticũ. *Sed casu*, inquit, *sermo à Capitone de vrbe augenda à ponte Miluio ad Tyberiũ: pauci secundum montes Vaticanos, campũ Martium tum ædificari, illum autẽ campum Vaticanum fieri quasi Martium.* Quare arbitror magna parte vrbis planæ ędificijs occupata, Senatũ sæpe agitauisse de transferendo campo Martio in Vaticanum, nunquam tamen id comprobatum esse. Quod autem Blon. velit eum, quem nos collem Hortulorum dicimus, Quirinalem esse, falsum esse ostendit Appianus, cum ait Syllam vlterius progressum excercitum in campo Martio ante vrbis portas statuisse, & cum hic collis Campo Martio immineat, nimirum necesse est recepto, secundum nos, colle Hortulorum, vt etiam idem campus in vrbem, contra omnium opinionem, sit receptus. Non tamen Fuluij approbamus sententiam, qui quicquid campi inter Capitolium, & Tyberim est, Martium appellari, murosque vrbis Capitolium non excessisse, putet. Nam & si hoc verum est tempore regum, quod dubito, vltra tamen ipsum montem Consulum aut Imperatorum tempore muros processisse opinor. Plurimis enim authoribus crediderim Flumentanam portam antiquissimam esse: quod si, secundum Blond. opinionem, sortita est nomen, quod per eam aliquando Tyberis fluxerit, mœnibus montes non excedentibus, non video vbi locorum ipsa possit collocari, vt Tyberis per eam labi potuerit. Præterea non dicimus theatrum Pompei, thermas Agrippinas, Mineruę

neruæ templum, circum Flaminium in campo Martio: ſicut Ouile, villam Publicam, & multa alia. Quare arbitramur partem vrbis Planæ, priſco etiam tempore, fuiſſe intra vrbem, deducto videlicet muro à Collina ad Tyberim, eregione murorum ab Anco in Tranſtyberina regione collocatorum, Flumentanamque portam, vbi nunc eſt, longo tempore poſt tranſlatam. Nec obſtat quod iſti falsò referunt: Martium campum appellatum, quicquid inter Capitolium & Tyberim eſt; cum Liu. dicat quicquid inter vrbem & Tyberim, quod ſecundum noſtram opinionem, bene procedit, cui etiam P. Vic. ſuffragari videtur, viam Latam, forum Suarium, Pilam Tyburtinam inter montes & Tyberim iacentes in ſeptima vrbis regione ſtatuens. Plin. aũt tradit ambitũ vrbis ſuo tempore mil. paſ. xx. fuiſſe. Vopiſcus verò Aurelianum Imper. muros vrbis ſic ampliaſſe, vt l. propè milia eorum ambitus teneret. Sed Marcel. dubitationem tollit, cum inquit, Vrbs Roma eſt, quæ muro cingeretur, vt Alphenus ait. Roma eſt etiam quãtum continentia ædificia eſſent. Plin. itaque, dum. xx. mil. paſſus ſcribit, & Vopiſcum, dum quinquaginta, Romæ, & ædium continentium conſideraſſe dicimus ambitum. Sciendum autem mœnia vrbis ſæpe à barbaris aperta, & à maioribus inſtaurata ambitum varium habuiſſe. Magnam verò partem Honorium & Arcadium reſtituiſſe, vetus in marmore ſupra portam Portuenſem inciſus hic index oſtendit.

IMPP. CÆS. DD. NN. INVICTISSIMIS PRINCIPIBVS ARCADIO ET HONORIO VICTORIBVS ET TRIVMPHATORIBVS SEMPER AVGG. OB INSTAVRATOS MVROS ET TVRRES EGESTIS INMENSIS RVDERIBVS. È SVGGESTIONIBVS. V. C. ET INLVSTRIS MILITIS ET MAGISTRI VTRIVSQ. MILITIÆ AD PERPETVITATEM NOMINIS EORVM SIMVLACRA CONSTITVIT.

Ambitus autem Vrbis noſtro tempore vix paſſus mil. tredecim implet. Mœnia verò vtrum in ipſo permaneant priſco veſtigio veteris fundamẽti diu anceps fui. Non enim mihi perſuadere poteram, antiquos ita diſtortos, quemadmodũ nunc cernuntur, muros poſuiſſe. re deinde diligentius conſiderata, inueni ſitus ipſorum optimam eos habuiſſe rationem. quia ſi orbicularem, aut quadrangularem, vel quamlibet aliam certam formam Vrbis conſtituere voluiſſent, eueniebat, quod muri interdum per montium crepidines ducti, interdum vero per valles montibus extra relictis facile, perfoſſa, & excauata parte montis appoſita, ab hoſtibus euerti potuiſſent, aut valle intus exiſtente, ex montibus vicinis, ſuperioríq; loco ciues opprimi. Quare ſecundum montium circuitum, perq; ipſorum radices deduxere muros, ita vt, vbi accliuis fuiſſet locus, per mediam fere accliuitatem dirigerent, iacerentq; intro effoſam terram, donec montem ipſum æquarent, ne aqua defluens muros lædere poſſet. Si quis autem dixerit, inter Collinam, Numentanamq; portam, rurſusq; inter Aſinariam, & Gabiuſam, & alibi, etiam per valles mœnia deducta, reſpondemus, ideò factum, quia extra non erat mons, qui Vrbi immineret, breuiſſimasq; eſſe valles, quæ ſi extra relictæ fuiſſent, muris radicibus montium appoſitis, deformem, & multis in locis inutilem, Vrbem reddidiſſent. Quapropter credimus ſuper fundamentis priſcis muros nunc exiſtentes, extructos eſſe. Quid enim erat cur ij, quibus muros inſtaurandi, non ampliandi fuerat cura, noua vt iacerent fundamenta, cum priſca longe minorem impenſam, & laborem deſiderarent?

CAP.

CAP. VI.

De Pomerio Vrbis.

POMERIVM verbi vim ſolum intuentes, poſt mœnium interpretantur eſſe, eſt autē magis circa murum locus, quem in condendis vrbibus quondam Hetruſci, qua murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato cōſecrabant, vt neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, & extrinſecus puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Hoc ſpatiumque neque habitari, neque arari fas erat, non magis quòd poſt murum eſſet, quam quod murus poſt id Pomerium Romani appellarunt, Liuius. Sæpe tamen pro totius vrbis ambitu, locoque certis finibus præſcripto accipitur. Gellius enim tradit Pomerium facere finem vrbani auſpicij, ibique nōnullos commemorat, qui Romanum propagarunt Pomerium. Sed poſt Syllam ferè omnes gloriæ, honoriſque magis cupiditate, quam neceſſitate adducti, id facere, inter quos numeratur Claudius imperator. Cor. Tac. Pomerium, inquit, auxit Claudius more priſco, quo iis, qui protulere imperium, & terminos vrbis propagare datur, mox ſubdit. *Et quos tum Claudius terminos poſuerit facile cognitu, & in publicis actis perſcriptum.* Quod enim pomerium propagauerit, multa extant exempla, vt in tabula ænea in Lateranenſi baſilica ſita, cuius rei caput hoc eſt.

VTIQVE EI FINIS POMERII PROFERRE CVM EX REPVBLICA CENSEBIT ESSE LICEAT. ITA VTI LICVIT CLAVDIO CÆSARI AVG. GERMANICO.

Et in lapide tiburtino effoſſo ſuperioribus annis apud Cloacam diuæ Lucię, cuius titulus eſt huiuſmodi.

TI. CLAVDIVS DRVSI. F. CÆSAR. AVG. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XVI. COS. IIII. CENSOR. P. P. AVCTIS POPVLI ROMANI FINIBVS POMERIVM AMPLIAVIT TERMINAVITQ.

Sed tamen quos terminos pomerij poſuerit, nullibi inuenies. Vopiſcus verò ſcribit Aurelianum Imperatorem adhibito ſenatus cōſulto muros Vrbis dilatauiſſe, neque tunc quidquam addidiſſe Pomerio, ſed poſtea cum non liceret, niſi ei, qui agri barbarici aliqua parte Ro. Remp. locupletauiſſet, Pomerium propagare. At tam varia eſt de Vrbis ambitu, atque Pomerio opinio, vt nemo poſſit ſingulis quibuſque temporibus proprios fines determinare, hinc ait Dionyſi. Si quis velit Romę magnitudinem exquirere, nullum habebit ſignum certum, quo dignoſcatur quouſque ſit hæc vrbs progreſſa, aut vnde eſſe non amplius vrbs incipiat. Legimus autem ſecundum viam, quæ eſt ab Vrbe ad Otriculi pontem, omnia ædificiis fuiſſe plena. Vnde Ariſtides ipſius Vrbis incredibilem oſtendens magnitudinem, in hunc loquitur modum. Deſcendit hæc vſque ad mare, vbi Cōmune emporium, communisque omnium, quæ terra proueniunt, diſpenſatio, quacunque in parte eius Vrbis conſtiterit quis, nihil prohibet quominus ſit pariter & in medio: quidquid nunc Italiæ reſtat, completum iri vniuerſa mihi videtur: vnaque futura vrbs perpetua in Ionium mare protenſa.

CAP. VII.

De portis antiquis, quæ hodie non ſunt.

QVEMADMODVM ambitus Vrbis varios terminos conſecutus eſt, eodē modo & portæ: quarum non nullę in Pomerij ampliatione intra vrbem relictę, & vſum & portarum nomen licet amiſerint, multæ tamen tranſlatæ priſtinum retinuere, multæ etiam nouum adeptæ ſunt. Et quanquam aliqui Ser. Tulli, Auguſti, Aurealianiq; temporibus auſi ſunt, certo nu-

mero posito, proprium & nomen, & locum illis constituere: nulla tamen ratione, nullove authore, quod scripsere comprobarunt. Plin. autẽ quatuor & triginta ætate sua fuisse prodidit, eius sunt hæc verba: *Mœnia eius colligere ambitu Imperatoribus, censoribusq; Vespasianis, M. P. XIII. complexa montes VII. ipsa diuiditur in regiones XIIII. Capita singularum, CLXXV. eiusdem spatij mensura currente à capite fori Romani statuto ad singulas portas: quæ sunt hodie triginta, & quatuor, ita vt duodecim portæ semel numerentur, prætereanturq; ex veteribus septem, quæ esse desierunt.* Efficit passuum per directum XXX. M. D. LXV. Ad extrema verò tectorum cum castris prætoriis ab eodem miliario per vicos omnium viarum mensura colligit paulo amplius LXX. M. passuum. Cùm sermonem fortè haberemus de portis antiquæ Vrbis cum viro præclarissimo IOANNE GADO Ca. ap. clerico integerrimo, incidissemusq; in verba illa. Ita vt duodecim semel numerentur, prætereanturq; ex veteribus septem, quæ esse desierunt, rogauit me ille, vt est omnium bonarum artiũ studiosissimus, quid eo in loco sibi vellet Pli. Ego verò qui haudquaquam mihi asciſco eam sapientiam, vt de re dubia, & difficili ex improuiso respondeam, sententiam meam in aliud tempus distuli. Igitur aggressus hunc tractatum, quo me ære alieno eximam, eam in medium adducere non grauabor. Vnde sciendum est, ex ipsis portis aliquas esse, quę duo & plura habuere nomina, quas vult semel numerari. Veluti hæ.

Flumentana, siue Flaminia.
Quirinalis, siue Agonensis, vel Collina.
Numentana, siue Viminalis.
Ianualis, siue Sabiusa, quæ ducebat in Sabinos.
Esquilina, siue Taurina.
Neuia, siue Labicana.
Cœlimontana, siue Asinaria.
Capena, siue Appia.
Tergemina, siue Hostiensis.
Portuensis, siue Naualis.
Ratumena, siue Veientana.
Triumphalis, siue Vaticana. His semel numeratis &
Carmentalis,
Mugonia,
Pandana,
Sancualis, quas antiquissimas esse nemini dubium est, prætereantur, relinquentur sequentes.
Querquetulana,
Raduscula,
Saginalis, &
Collatina,
Interaggeres,
Tyburtina,
Gabiusa,
Latina,
Aurelia,
Tarpeia, quibus si duodecim, quas dicit semel numerandas, addiderit, ad numerum XXXIIII. portarum, tres tantum deerunt, quas nullibi inuenimus. Quinimo nec apud antiquos scriptores mentio est de tribus vltimo loco positis. Insuper non Plin. ætate, sed diuersis temporibus prædicta nomina portis imposita esse arbitramur: Pliniumque cum ait, sunt hodie portæ vrbis triginta & quatuor, non solum de portis Vrbis: verum etiam de iis, quæ erant in suburbiis intellexisse, cum appellatio Vrbis continentibus ædificiis finiatur. quanquam apud Plin. sunt qui legunt XXIIII. De porta autem Ferentina sic meminit Plut. *Romulus expiationibus ciuitates expurgauit, quas adhuc etiam Ferentinam ad portã obseruri aiunt.*
Catularia,
Laurentina,
Fontinalis,
Lauernalis,
Ferentina,
Minutia,
Salutaris,
Mutia,
Piacularis,
Prænestina,
Libitinensis,
Valeria.

Antiqua-

Antiquarum autem portarum etymologiam docet Var. & Sex. Pomp. quam hic si poneremus, cum illarum nullus vsus, neque vestigium extet, superflua certe videri posset.

CAP. VIII.

De portis antiquis, & mœnibus quæ nunc sunt.

AMBITVM Vrbis à nobis iam dimensum, mœnibus & portis, quæ nunc extant, tempus est circundare. Exordiamur autem ab occasu hyemali, Tyberiniq;, fluminis ripa: à qua muri c. xx. pas. producuntur, priusquam Flumentanam portã attingant, denominatam, vt Blon. velle diximus, quòd Tyberis per eam aliquando laberetur in vrbem. Ipsa, inquit, indicat positio, quia nulla, inter omnes vrbis portas, ita Tyberi est apposita, vt eam aliquando is fluuius potuerit influere. At ex verbis Apiani supra de Campo Martio allegatis patet hanc alibi fuisse, cum Flumentanæ ei nomen erat. Procopius in loco editiori eã ponit: Liuij etiam verba innuunt olim à Capitolio procul esse, quæ hæc sunt. Ita prædicta die in Petilinũ Lucum, extra portam Flumentanam, vnde conspectus in Capitolium non est, conciliũ populi indictum. Quod si Campum Martium extra vrbem relinquimus, non video quomodo Apiani cũ Liuij conueniant verba: At cum dictum sit mœnia, quæ Collinam portam non excedebant, deducta olim per vrbem planam, vsq; ad Tyberim, eregione scilicet murorum structorum ab Anco in Transtyberina regione, existimamus portam ipsam in ripa eiusdem fluminis, haud procul à ponte nunc Xysti, tunc positã esse: aut certè in fine viæ Latæ, & in principio Flaminiæ, Flumentanæq; sortitam nomen, quod ad fluuium pertineret, nõ autem quod per ipsam fluuius in vrbem laberetur. Cic. quidem ad Atticum scribens tanquam de porta Vrbis antiqua ita meminit. *Nescio enim cur cum portam Flumentanam Cælius occuparit, ego Puteolos non faciam meos.* Qui verò extra antiquum pomerium ipsam statuere, mœnia in quibus nunc est, à Belisario condita putant, nos verò non condita, sed super aliorum murorum fundamentis instaurata, eaq; multo tempore ante Belisarium fuisse; mœnibusq;, Collinam portam non excedentibus, ampliatis, Collatinaq; addita, Flumentanam eo, vbi nunc est, translatam, aut certè extra pomerium triumphalem arcum fuisse. Sed eo in loco, vbi nunc est, porta ne fuerit, an triumphalis arcus, in medio relinquo. Flaminiæ deinde traxit nomen à via, quam Flaminius strauit. Porta Populi nunc dicitur. ab hac mur. per collis Hortulorum radices pas. vltra mille adimplentes, Collatinæ iunguntur Portæ, cui à Collatia oppido propè Romam, in quod aliarum ciuitatum opes fuere collatæ, nomen inditum esse scribit Sex. Pomp. Liuius Collatia, inquit, & quidquid circa illam agri erat Sabinis ademptum. Seruat quoq; ætas nostra morẽ appellandi in Collatia, quidquid eregione eius portæ habet ager Romanus. Pincianam nunc vocant à proximo Pincij Senatoris olim Palatio, cuius vestigia licet extent, marmora tamen ad ornamentum posita Theodoricus Ostrogothorum Rex Rauennam misit, auth. Cassiodorus. Sita autem est in eodem Hortulorum colle, &, vt Flaminia, Aquilonem spectat. Interiectis deinde stadiis sex peruenitur ad Portam Quirinalem; priscis temporibus ita denominatam, quòd ea in collem Quirinalem iretur, siue quod proximè eam Quirini Sacellum. Agonensem etiam, quod in Quirinali esset, qui, veluti sine angulis, Agonos appellabatur, dixere portã. Quod autẽ postea à Quirinali mutatum sit nomen in Collinam, docet Var. Salariæ nouissimè, quod adhuc immutatum retinet, nomen est consecuta; quia per eam Sabini sal à mari in vrbem deferebant. ortum æstiuum prospicit, sicut Viminalis, quæ quarta in ordine stadiis quinq; distat à Collina. Viminalis autem est nuncupata, quòd ibi

viminum ſylua fuiſſe videtur, vel à Fano Iouis Viminei: cui portę (authore Liuio) Ficulenſi nomen etiam fuit, à proximo extra ipſam loco, vbi figlinæ olim fiebãt. Nunc S. Agnetis, & Numentana dicitur Porta. Hanc prope Salariam fuiſſe probat Suet. de Nerone loquens, in hunc modum. *Offerente Phaonte liberto Suburbanũ ſuum, inter Salariam, & Numentanam viam, circa quartum miliarium.* Inter Viminalem, & Eſquilinam in campo Viminali, quem hodie incolæ Viuarium appellant, media eſt Porta Interaggeres, cui Aggeres Tarquinij, inter quos erat condita, celebre ad poſteros fecere nomen. Subit Porta nunc S. Laurentij, quam Tiburtinam eſſe, & in aquæductu aquæ Marciæ conditam, diuerſamque ab Exquilina, contẽdit Ful. ea nempe ratione, q; Str. in campo Eſquilino duas Vrbis portas; alteram Exquilinã tunc clauſam, alteram Tiburtinã eſſe memoret. Inter Tiburtinã autẽ, & Næuiam ipſam collocat Exquilinã quam Li. in numero aliarũ ſtatuens, antiqui pomerij portam facit, his verbis. *Itaq; Coſ. Valerius, vt eliceret prædatores, edicit ſuis poſtero die frequentes porta Exquilina, quæ auerſiſſima ab hoſte erat, expellerent pecus: ſciturosq; id hoſtes ratus, quod in obſidione, & fame ſeruitia infida transfugerent, & ſciere perfugæ multoque plures, vt in ſpem vniuerſæ prædæ flumen traijciunt. P. Valerius inde T. Herminium cum modicis copijs ad II. lapidem Gabina via occultatum obſidere iubet: Sp. Largium cum expedita iuuentute ad portam Collinam ſtare, donec hoſtis pratereat, inde ſe obijcere hoſti, ac ſit ad flumen reditus. Conſulum alter. L. Lucretius porta Næuia cum aliquot manipulis militum egreſſus. Ipſe Valerius Cælio monte delectas cohortes educit: hique primi apparuere hoſti. Herminius, vbi tumultum ſenſit concurrit ex inſidiis, verſiſque in Lucretium Hetruſcis terga cædit, dextera, læuaque hic à porta Collina, illinc à Næuia redditus clamor.* Et quia Liuius non meminit de Tiburtina, Ful. autumat poſtea conditam fuiſſe in forma arcus, vbi nunc eſt clauſa Exquilina. Recte ne ſentiat videamus. In primis autem ſciendum, tempore quo condita eſt Tiburtina, mœnia ne ſint propagata. Si ſint, non video cur Exquilina magis non ſit translata, quam clauſa. Si vero non, quid erat cauſæ antiquiſſimam, eandemque celeberrimam claudendi portam, quo nouam excitarent? Quare haud me pœnitet eorum ſententiæ eſſe, qui volunt ſuper ipſam aquæductum deriuatum: non ipſam in forma arcus extructam: cum cõſtet vſq; ad Auguſti tempora apertam fuiſſe, de qua Cic. ſic meminit. *Cum ego Cælimontana porta introijſſe dixiſſem, reſponſione me inimica Exquilina introijſſe homo promtiſſimus laceſſuit.* Sin Tiburtinam eſſe concedimus, Exquilina inter hanc, & Numentanam, ſiue Interaggeres potius erat excitanda, quam inter Næuiam, ipſamque Tiburtinam: cum Liuius libro ſexto ſecundi bel. pu. oſtendat Collinam, Exquilinamque inuicem propè fuiſſe, commemorans Flaccum porta Capena cum exercitu Romam ingreſſum, media Vrbe per Carnias Exquilias contendiſſe, inde egreſſum inter Exquilinam, Collinamque portam poſuiſſe caſtra. Et placuiſſe Coſſ. circa portas Collinam, Exquilinamque ponere caſtra. Vnde ſi Exquilina erat, vbi ponitur à Fuluio, non oportuerat conſulẽ Capena ingreſſum in Carinas, inde per Exquilias ad portam ipſam peruenire: cum magis rectum, breuiusq; eſſet iter per Cœlium aut Labicanam viam. Quare magis inclinat animus, vt credam portam nunc S. Laurentij Exquilinam eſſe: & Tiburtinam additam inter hanc, & Numentanam, vbi Exquilinus eſt campus: & mœnia à Numentana ad portam S. Laurentij duodecim ferme implent ſtadia; vt in hoc interuallo porta Interaggeres, Tiburtinaq; commode potuerint collocari. Non enim ſequitur, Exquilina Strabonis ætate erat clauſa, ergo etiã nunc eſt clauſa. Exquilina ab Exquilijs, vbi ſita eſt, denominabatur, eadem & Taurina, à capite tauri, quod cœlatum adhuc in fronti ſpicio interiori cernitur. In portum ſolis vergit, quemadmodum Næuia; quam Varro à propinquis nemoribus nomen adeptam tradit. Sunt autem qui velint non portam, ſed triumphalem fuiſſe arcum. Quod ſi mœnia manent in priſco veteris fundamenti veſtigio, non

video

CIRCVS Ouata forma erat, Cæli instar, cum septem Planetis. Obeliscus medio loco Solis insigne habebat: Metæ tres vtrinque pro reliquis sex Planetis erant; quas currendo quadrigæ circuibant. Erat autem locus amplissimus, vbi equestres cursus, spectacula & certamina Rhomæ exhibebantur, & dicebatur Circus Maximus ad differentiam Circi Apollinaris, qui erat apud Ædem Apollinis, Circus Maximus Tarquinii temporibus institutus teste Liuio lib. 3. Dec. 1. vbi ita scribit, Tum primum Circo qui Maximus dicitur, locus designatus: Loca diuisa patribus equitibusque, vbi spectacula sibi quisque faceret, fori appellati: Diuus Hieronymus à Romulo Circos primum institutos scribit, cuius hæc sunt verba: in Romanis vrbibus iam inde seruatur à Romulo, vt propter felicem Sabinarum raptum CONSO: quasi Consiliorum DEO, quadrigæ septeno currant circuitu, & equos partis aduersæ fregisse victoria sit. Erant tres omnino Circi Romæ, 1. Armilustrum, 2. Circus Maximus, 3. Neronis. Forma Hippodromi ex Heliotropio Ouata datur: Agitatorum quatuor factiones celebrantur, Alba, Russata, Veneta, & Prassina. Certabatur in eo pernicitate equorum citra pugnæ simulacrum. Super Quadrigis leuioribus, equis quatuor perniciissimis iunctis, stabant agitatores pueri puellæve omni cura in id edocti. Quæ spectacula Romanis olim erant longe celebratissima; quorum exemplar hic luculentum expressum subiicimus.

MERIDIES

SEPTENTRIO

INSVLA TYBERINA.

SCenographia Insulæ Tyberinæ, quæ ab eo tempore esse cœpit, quo Roma Tarquinii pulsi sunt: iis enim Regiis opibus & potestate spoliatis, Romani ideo non quieuere, sed cum tum in illorum agris essent segetes demessæ, eas execrabiles duxerunt, & maxima cum indignatione proiecerunt in Tyberim, fueruntque tantæ, vt in medio eius constiterint alueo, cum aqua etiam non multa defluere t, ibiq; Insula fortuitu facta est ex illarum cum arena & aliis eiusmodi rebus congerie, quæ postea à Romanis perfecta & munita, Insula Iouis Lycaonii vocata est à templo, quod huic DEO in ea erat dicatum. Ob simulacrum deinde Æsculapii allatum ex Epidauro cum angue, & hoc loco positum, Æsculapio tota Insula consecrata est, & ob memoriam illius Manlii, quo Romam id simulacrum est deuectum, eadem Insula ex marmore & lapide Tiburtino ad modum nauis est efformata. Fuerunt in ea tria insignia Templa, vnum Iouis, alterum Iani, tertium Æsculapii, vna cum aliis ædificiis & domo Hospitali, pro his, qui infirma essent valetudine. Græca inscriptio superius posita reperta est in hac Insula eo loci, vbi nunc est Templum Diuo Bartholomæo sacrum.


HOSPITA
LE
TEMPLVM ESCVLAPII
TEMPLVM IOVIS LICAONII

LVPA ÆREA CAPITOLINA.

DE æneo Lupæ antiquiſſimo Simulacro, quod noſtram aduſq; ætatem in Capitolio, ac ipſius S. P. Q. R. ædibus viſitur, vna cum binis puerulis Romulo nempe ac Remo, lac de illius mammis ſugentibus, tum veteres, tum moderni ſcriptores conuenere. Qua de re Marlianus, teſtimonio quoque antiquorum ſuffultus libr. 2. cap. 9. cum de ſtatuis, quæ in Capitolio ſunt commemini ſſet; ſic ait: In porticu interiori prope aulam, æneum Lupæ eſt ſimulacrum, ex cuius vberibus pendent Romulus & Remus vrbis conditores. de hoc Cicero ſic inquit, *tactus eſt etiam ille qui hanc vrbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum & lactantem vberibus inhiantem fuiſſe meminiſtis.* Huius ſimulacri effigiem expreſſit Virg. & Cicero, quorum alter ſic ait, lib. 9. Æneidos: ..... *geminos huic vbera circum Ludere pendentes pueros.* Alter vero, *Romulum etiam vberibus inhiantem.* Fuerunt autem Romulus & Remus filii Rheæ Syluiæ & Martis, quos Amulius in Tyberim proiici & matrẽ viuam infodi præcepit, ſed miniſtri miſericordia moti in ripam poſuerunt, qui poſtea à Fauſtulo paſtore inuenti & ab Aca Laurentina vxore eius, quæ meretrix fuerat, ſunt nutriti, ii jam adultiores cognita cauſa Amulium interfecerunt, auoque Numitori regnum reſtituerunt, quibus dum cum eo anguſtum Albæ videretur imperium, receſſerunt, & captatis auguriis VRBEM condiderunt. Quod autem à Lupa dicuntur aliti, fabuloſum figmentum eſt, ad celandum authorum Romani generis turpitudinem, nec incongrue fictum eſt, nam & meretrices Lupas vocamus: Et conſtat hoc animal eſſe in tutela Martis. Verg.

Donec Regina ſacerdos Marte grauis geminam partu
dabit Ilia prolem.



SEPVLCRVM BACCHI.

MIRVM cur adeo in noſtram vſque ætatem hæc & ſcriptorum & vulgi opinio irrepſerit, vt Beatæ Conſtantinæ, Magni Conſtantini filiæ ſepulcrum, Bacchi ſepulcrum vocitent: Bacchus enim aut Semeles nunquam vrbem Romam videre, niſi forte ea fuerit ratio, vt à maiori ſumpſerint denominationẽ, & à Templo, quod ipſa antiquitas Baccho dicauerit, inde & ſepulcrũ ibi conſiſtens Bacchi nominaretur; vel forte etiam ab ipſa ſepulcri celatura ſic dictum fuit, totum namque vuarum racemis pampiniſq; & paruulis Bacchis circumquaq; extrinſecus inſculptum conſpicitur. Sed quid de hoc ſit apud Marlianum videamus; Is lib. 5. cap. 25. de via Nomentana, & de Templo Bacchi agens, ſcribit in hæc verba: Via eadem (Nomentana ſcilicet) ad ſecundum lapidem viſitur Bacchi Templum ſphærica forma, cum columnis geminatis, in gyrumque ita diſpoſitis, vt Templi teſtudinem ſuſtineant: vbi vermiculato opere varia ornamenta cernuntur: ibiq; prophireticum ſepulcrum vitibus & vuis inſculptis exornatum, quod vulgus Bacchi ſepulcrum appellat. Hactenus Marlianus. Sed in huius ſepulcri mentione illud non eſt prætereundum, quod Io. Baptiſta Platina, qui Vitas ſummorum Pontificum ad ſuam vſq; ætatem conſcripſit, in vita Pauli II. Veneti meminit; ait enim in hanc ſententiam, quod cum is Pontifex forma & pulcritudine illius ſepulturæ captus (plurimum enim antiquitatibus & celebrioribus monumentis delectari ſolitum fertur) iuſſiſſet illud in vrbẽ ad ſe aſportari, ad id, cum itineri iam commiſſum eſſet, ac vrbem adueheretur, quod ſibi forte ad monumentum parare ſtatuiſſet, ſtatim nocte intempeſta repente nunciatur Pontificem ab humanis deceſſiſſe; quod fuit in cauſa, vt Canonici, qui Regulares dicuntur, in S. Petri ad Vincula cœnobio degentes, quiq; SS. Agnetis & Conſtantiæ Eccleſiis præſident, eo vnde ſublatum fuerat illud reſtituerent. Hoc de celeberrimo ac vetuſtiſſimo Sepulchro B. Conſtantiæ, quod vulgo Bacchi nominant, dictũ ſatis ſit; quodque prope Eccleſiam D. Agnetis Via Nomentana ſecundo ab vrbe lapide, ac extra portam Piam, ad hanc noſtram vſq; ætatem, in Templo olim Bacchi, nunc vero S. Conſtantiæ dicato integrum videre licet.

videre licet.

ANTIQVI EX PORPHYRITE SARCOPHAGI IN BACCHI AD SECVNDVM AB VRBE VIA NOMENTANA LAPIDEM *vt rudius propter marmoris duritiem vel artificis negligentiam vel sæculi sane barbariem tum, in fronte, et a tergo tum dextro ac sinistro latere totidem, et iisdem figuris insculpti, ita sepulcri Constantiæ Constantini* MAGNI FILIÆ *fama quamquam incerta vulgo* (noti.

PRIAPVS.

PRiapus DEVS Hortorum credebatur, & Liberi patris & Nymphæ seu Veneris filius, quia vinum Venerem commouet. Cum enim Venus Bacchum amaret, cum eo concubuit, deinde in Indiam Baccho profecto concubuit cum Adonide. Postea illo ex India reuerso, coronam illi obuiam progrediens obtulit, eumque sic coronatum tanquam Sponsam sequi se iussit. ex quo cum concepisset in Lampsacum oppidum Hellesponti abiit, Iuno autem infensa illi ob Zelotypiam, manu vterum illius incantando tetigit, ex quo factum est, vt illa pareret filium, non modo præter omnes alios deformem, sed & ingenti pene præter modum dehonestatum. cuius postea cum illam puderet, reliquit in vrbe Lampsaci à se reiectum, à quo Lampsacenus dictus est. Hunc deinde cum Lampsacenis mulieribus nimium gratus esset, à ciuibus eiectum ferunt, ob quam rem, cum nescio quo malo postea premerentur, templa eidem & sacra constituerunt, factus etiam Hortorum DEVS est. Immolabant ei Asinum, quod cum olim hic DEVS in festo magnæ matris Lothidem Nympham stuprare volens, intempestiuo Asini rugitu impeditus esset, vel quod membri magnitudine ab eo victus esset. Ithiphallos sacerdotes habebat, qui ebriorum personas gestantes coronabantur, & manicas habebant floreas siue purpureas, semialbisque tunicis vtebantur, & subtili ad talos vsq; tegebantur amiculo: cum silentio autem per porticum ingressi, vbi in mediam venere saltationem, ad theatrum se conuertebant, dicentes, Recedite, DEO locum date; vult enim DEVS rectus sublimisq; per medium incedere, hæc fere Athenæus. D. Augustinus de Ciuitate DEI inquit: Quid hoc dicam? cum ibi sit & Priapus, nimirum masculus, super cuius immanissimum & turpissimum fascinum sedere noua nupta iubebatur more honestissimo, & religiosissimo matronarum. Vide quæso quo cæcitatis humanum ingenium prolabatur? cũ vera DEI cognitio, verusq; cultus numinis negligitur. Eius ergo Priapi effigiem Romæ positam nos in appositio Schemate tibi exhibemus, vt quem fœcunditatis prolisq; generandæ DEVM veteres nimia impietate coluerint.

K

ANTIQVA SACRIFICIALIA INSTRV-
MENTA, ET VASA, EX ORDINE
in figuris appoſito.

I. PRÆFERICVLVM.

PRÆFERICVLVM : à præfero dictum, vas fuit æneum ſine anſa, vt Feſtus ait, patens veluti peluis, quo ad ſacrificia vtebantur. Hactenus Feſtus. Verum vt mihi liceat ſecundum hodiernam conſuetudinem exiſtimare, hoc puto vas ad id fere fuiſſe, quod ætate noſtra thuribulum eſſe videmus: nam & in eo ignem tuliſſe veteres crediderim, ideoque præibat, ſeu præferebatur, nam ignis cæteris elementis præſtantiorem ſedem retinet, ac cunctis præire videtur; in eoque diis adoleri thura ſolitos, vti nunc thuribulis ſummo veroque Deo adoletur, ac pari modo præfertur, dum proceditur.

II. SIMPVLVM.

SIMPVLVM, ſeu Simpuuium, vtroque enim modo ſcriptum inuenimus, fuit calix fictilis, quo vinum in ſacrificiis libabatur, ita dictum à ſumendo, quod eo vinum minutatim ſumebant. de quo Plin. lib. 35. c. 12. ſic ſcribit: In ſacris quidem etiam inter has opes, non murrhinis cryſtalliniſve, ſed fictilibus prolibatur Simpuuiis. Apuleius autem catinum & Simpulum ſacrificiis adhiberi ſolita oſtendit his verbis: Paupertas Populo Romano imperium à primordio fundauit; proque eo in hodiernum diis immortalibus Simpulo & catino fictili ſacrificat. Feſtus vero ſic habet : Simpulum vas paruum non diſſimile cyatho, quo vinum in ſacrificiis libabatur. Vnde & mulieres rebus diuinis deditæ, ſimpulatrices dicuntur. Varro ſcribit vas eſſe minutatim fundens, in cuius locum ſucceſſerit epichyſis, id eſt, infundibulum. Vnde veteres res minutas nulliuſque pretii ſimpularias appellabant. Atque de Simpuuio meminit Iuuenal. Sat. 6.

aut quis
Simpuuium ridere Numæ, nigrumque (alii, priſcumque) *catinum.*

Sunt etiam qui velint ſimpullum gemino L. ſcribendum, ea forma qua ampullam diximus. In ſimpulo aliquid facere prouerbii ſpeciem habet, Cic. de leg. excitabat enim in ſimpulo, vt dicitur

Sunt etiam qui velint ſimpullum gemino L. ſcribendum, ea forma qua ampullam dicimus. In ſimpulo aliquid facere prouerbii ſpeciem habet, Cic. de leg. excitabat enim in ſimpulo, vt dicitur Gratidius quos,&c.

III. CANDELABRVM.

CANDELABRVM notæ eſt ſignificationis: eſt enim in quo candelæ figuntur. Cic. in Verr. act. 6. lectos æratos,& candelabra ænea. Varr. Candelabra à candela dicuntur, in his enim funiculi ardentes figebantur,&c. Saluator & Dominus noſter candelabri pariter meminit Matth. cap. 5. ſic dicens: neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo ſunt. Variæ etiam fuerunt candelabri formæ, vt ex antiquis marmoribus patet: nam & in arcu Titi Imperatoris prope templum pacis inſculptum eſt ἑπτάλυχνον, hoc eſt, ſeptem luminarium quod aureum Salomon Rex Iudæ in templo ſummi Dei conſtituit, vt eſt in Exodi c. 37. fecit candelabrum de auro puriſſimo,&c. quodque ipſe Titus Imperator debellatis Hieroſolymis, quæ à ditione Pop. Rom. defecerant, inter pretioſiora quæ in Salomonis templo inuenit, candelabrum & arcam fœderis quæ in eius arcu ſunt inſculpta, Romam triumphans inuexit, aliæ candelabri formæ in poſteriori parte porticus Antonini & Fauſtinæ,& alibi multis in locis viſuntur.

IV. MALLEVS.

MALLEVS ſeu ligneus, ſiue ferreus fuerit, inſtrumentum fuit ad boues ante aras Deorum olim percutiendos: ſicuti & hodie ligneo ad eundem effectum lanii vtuntur, nempe ad boues ſimiliter ſternendos, hic vna cum ſecuri à ſacrificulo ſeu ab vno ex victimariis geſtabatur: atque coronatis victimarum capitibus (teſte Plin. lib. 16. cap. 4. in his verbis: Poſtea Deorum honori ſacrificantes ſumpſere, victimis ſimul coronatis) malleo primum ante aram percutiebant: deinde ſecuri ceruix abſcindebatur: tum ad euiſcerationem, & exta rimanda, captandaq; auſpicia, procedebant. Sed hactenus de malleo.

IV. SECVRIS.

SEcvris autem à ſecando dicta videtur: hoc inſtrumento olim ad varios effectus vſi ſunt veteres; nam & ad ligna ſecanda, & etiam ad bellum; Virg. lib. 11.

——*æratam quatiens Tarpeia ſecurim.*

Vſi ſunt pariter ad ſontes puniendos, quiq; à magiſtratibus capite plectendi erant, ſecuri percutiebantur. Cic. 3. Verr. Agunt eum præcipitem pœnæ ciuium Romanorum, quos partim ſecuri percuſſit, partim in vinculis necauit. Et Virg. 6. Æneid.

Conſulis imperium hic primus ſæuasque ſecures
Accipiet.

Et Lucan. lib. 7.

Pacificas ſæuus tremuit Catilina ſecures.

Huius inſtrumenti inuentrix fuit Pentheſilea Amazon, teſte Plin. lib. 7. cap. 56. Vnde & Amazones, ſecurigeræ à Poetis dictæ ſunt. Secures item Magiſtratuum inſignia erant, virgarũ faſciculo ſoro illigatæ. Cic. 6. Verr. Quamobrem faſces Prætoribus prę feruntur, cur ſecures datæ? Secures demum, vt in noſtram ſententiam veniamus, licet grandiores, erant ad victimarum carnes ſecandas diuidendaſque prout libebat ſacrificolis, victimariis, & id genus hominibus, qui ſacrificiis antiquorum præerant. Hodie Lanii in Vrbe magno latoque cultro ad carnes diuidendas vtuntur, quem ſpatagium vocant.

V. SECESPITA.

SEcespita interprete Feſto, culter eſt ferreus oblongus manubrio eburneo, rotundo, ſolido, vincto ad capulum argento, auroque fixo, clauis æneis, ære cyprio, quo Flamines, Flaminicæ virgines, Pontificeſque ad ſacrificia vtebantur, à ſecando ſic dicta; eadem alias dicitur, qua in ſacrario vtuntur: ſacraria namq; in tẽplis reticulo æneo olim ſepiebantur, in quo turbæ relictę ſunt, per quas manibus ſacra tangere licet; eſt hoc in templo Bonæ deæ, ſed & aliis in locis, & ſunt velut

repagula

repagula quæ damna ſecespita ſit. Inter damna ſunt ces ſacrificanti ſimul, pro Secespita, plumbeum cultrum ſubiiciendum curauit. Idem alibi: Secespitam alii ſecurim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant.

repagula quædam, ita Secespitæ dicuntur duobus modis. Sueton. in Tyber. nam & inter Pontifices sacrificanti simul, pro Secespita, plumbeum cultrum subiiciendum curauit. Idem alibi: Secespitam alii securim, alii dolabram æneam, alii cultellum putant.

VI. PATERA.

PATERA fuit poculi genus latum ac patens, de quo Virg. 1. Æneid.

——*impiger hausit*
Spumantem pateram, &c.

Cic. 6. Varr. ait: Patera, qua mulieres ad res diuinas vterentur. Macrobius vero Saturnal. lib. 5. cap. 21. de poculorum generibus loquens, cum de carchesiis loquutus fuisset, sic infert de Patera: Sed Plautus insuetum nomen reliquit, aitque in fabula Amphytrione pateram datam, cum longe vtriusq; poculi figura diuersa sit. Patera enim, vt & ipsum nomen indicio est, planum ac patens est, carchesium vero procerum, & circa mediam partem compressum, ansatum mediocriter, ansis à summo ad infimum pertingentibus. & prosequitur: Asclepiades autem vir inter Græcos apprime doctus, ac diligens; carchesia à nauali re existimat dicta. Ait enim: naualis veli partem inferiorem, Pateram vocari: at circa mediam ferme partem τραχηλὸν dici, summam vero partem carchesium nominari; & inde diffundi in vtrunq; veli latus, eaque cornua vocantur, &c. Virgil. autem ostendens pateris libare Ioui solitum, sic infert:

Tum pateras libate Ioui, &c.

Sed hactenus de patera.

VII. DISCVS.

DISCVS, teste Iulio Polluce, vas latum est ad portandas carnes aptum, forte lanx, Cic. de Orat: Quorum auditores discum audire malunt, quam philosophum. hoc in sacris vtebantur veteres, seu ad exta introspicienda, siue ad colligendum sanguinem, quem vna cum vino aris infundebant, postquam diis delibassent.

Free Copy for Research Purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

VIII. ANCLAPRIS.

ANclapris teſte Feſto, fuit menſa miniſteriis diuinis apta, qui ait, Vaſa quoque ænea quibus ſacerdotes vtuntur anclabria appellari; ſubdens anclare (ſeu vt alii malunt antlare) à Græco ἀντλῶ deſcendit, (quod haurire ſignificat) Liuius: Florem anclabant liberi ex carcheſiis. Hactenus Feſt. Sunt autem, vt ſupra tetigimus, qui putent antlabra ἀπὸ τοῦ ἀντλᾶν, hoc eſt ab hauriendo, dici. nã ex vaſis quæ in ipſa anclabri imponebant, vinum inde hauriebant: hac etiam (vt opinor) menſa veteres diis dapes delibandas parare ſolitos fuiſſe crediderim, quæ ideo menſa dicta eſt teſte M. Varrone, quaſi ſit meſa, eo quod inter duos poneretur, de qua Virg. lib. 1. Æneid. ſic habet:

Pars epulis onerant menſas, &c.

Duo autem fuerunt apud Romanos pretioſiſſima menſarum genera, Citrea, & acerna, ſic dicta à genere lignorum, de quibus fiebant. Martial. lib. 14. Epigram. 5. Ouid. 11. Metamor.

Hunc pede conuulſo menſæ Pellæus acernæ
Strauit humi.

Cic. 6. Verr. menſam citream à Lutadio abſtuliſti. Horat. 1. Serm. Sat. 3.

Modo ſit menſa tripes, &c.

Quandoque ponitur pro prandio, vel cœna, Iuuenal. Sat. 1.

——*vna comedunt patrimonia menſa.*

Vnde & primæ & ſecundæ menſæ, id eſt primi & ſecundi cibi, vulgus Introitum, & exitum menſæ appellat, ſeu primos, vel ſecundos intermiſſus. Ouid. de Nuce: Poma cadunt menſis non interdicta ſecundis. intelligens de lege Licinia, quæ à P. Licinio Craſſo diuite lata eſt, cuius ſumma erat, vt Calendis, Nonis, Nundinis liceret cuiq; in dies ſingulos duntaxat tringenta aſſes edendi cauſa conſumere, cæteris vero diebus ne amplius apponeretur, quã carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum libra, & quod ex terra, vite, arboreve natum eſſet: atq; hinc habetur huius verſus Ouidiani ſenſus. Erat pariter & lex Orchia, ab Orchio Tribuno plebis de Senatus ſententia lata, qua conuiuarum numerus præſcribebatur: iubebatque vt patentibus ianuis cœnitaretur, quo obſeruatio eius videri poſſet. Cic. ad Atti. lib. 14. ſecundã menſam dixit numero ſingulari: Hæc (inquit) ad te

ad te ſcripſi appoſita ſecunda menſa. Accipitur etiam menſa pro abaco numulariorum, quemad-

ad te ſcripſi appoſita ſecunda menſa. Accipitur etiam menſa pro abaco numulariorum, quemadmodum apud Græcos; vnde & ipſi numularii à Cicerone Menſarii vocantur, quos Græci τραπεζίτας vocant (vulgus noſtri temporis bancheriolos, ſeu bancherottos, ab ipſis pariter menſis, quas banchas ſeu banchos appellant) Cic. in Piſ. ſtipendium militibus, menſis palam propoſitis, numeratum. Ponitur quandoq; pro diſco, ſiue quadra, qua vtimur in menſa ad epulas in fruſtula concidendas. Virg. 7. Æneid.

Acciſis coget dapibus conſumere menſas.

Antiqui menſam vaſorum quadratam habuerunt, vocaueruntq; Vrnarium: de quo vide Varr. Fuit & menſa vinaria rotunda nomine Cylibantum ἀπὸ τῆς κύλικος, ſic enim Græci calicem vocant. Altera erat quadrata, vna columella ſubnixa, cartibulum vocatur. Auctor idem Varr. de ling. lat. Sed vt de menſa ad ſacrificia peragenda nonnulla aſtruamus, de ea ſic Feſtus ait: Menſæ in ædibus ſacris ararum vicem obtinent, quia legibus earum omnium ſacræ quoq; menſæ ſunt, vt velut in aram, vel in puluinaris loco ſint. Priuati quoq; in primis ipſis locis habere ſolent, vbi ſacras habituri ſint, cuius modo eſt parentatio non ſacrificium. Hactenus Feſtus de ſacra menſa: ſed ſi quis plura de hac re ſcire velit, legat Scaligeri Annotationes, ſeu caſtigationes in Feſtum eod. verbo.

IX. DOLABRVM.

DOLABRVM, vt ex forma patet: (nam nullibi hoc me alias legiſſe fateor) fuit culter grandior, ſutorio perquam ſimilis, quo olim reor in ſacrificiis veteres vti fuiſſe ſolitos, ad hoſtias & victimas deglubendas, poſtquam malleo hæ percuſſæ, & iugulatæ eſſent, à quo forte nomen ſumpſerit, ſeu potius à dolando, hoc eſt ab æquandis partibus carnium, quæ aris imponebantur diis immolandarum, ſumpta metaphora à dolabra, quæ Fabri lignarii eſt inſtrumentum, quo ligna dolantur, ſeu expoliuntur, quanquam & ruſticum itidem ſit inſtrumentum, cuius Columella lib. 3. meminit his verbis: Quæ falce amputari non poſſunt, acuta dolabra abradito. Eſt & eius diminutiuum dolabella, de qua idem auctor lib. 5. ſic infert: Circa crus dolabella dimouenda eſt terra, &c. Plutarchus vero in vita Tiberii & Caii Gracchorum, de dolone, quod genus eſt gladii, ſic meminit: ille ve-

ro(Tiberium intelligit)palam gladium,quem dolonem vocant, accinctus ambulabat, &c. Quod culter huiuſmodi hoc nomine appellaretur,auctorem adhuc deſidero, quod autem hac forma vnum ex ſacrificialibus inſtrumentis fuerit,nulli dubium eſſe puto:nam paſſim multis in locis marmore antiquo inſculptum cernere licet, & præſertim in arcu marmoreo,quem aurificum nominant, prope Eccleſiam ſancti Georgii in Velabro,vbi multa, quæ ad antiqua ſacrificia ſpectant,videre eſt.

X. VAGINA

VAGINA,adeo notæ ſignificationis eſt, vt nulla prorſus alia indigeat declaratione, niſi dixerimus fuiſſe thecam gladiorum,quam(vt in Seceſpita diximus) bullis æneis auratis,aut etiam argenteis ornatam fuiſſe exiſtimandum eſt,in qua cultri omnes,nempe dolabrum, Seceſpita,& alii omnes cultelli ad varios vſus ſacrificiorum recondebantur peractis ſacrificiis,quam vnus è victimariis, ſeu ſacrificulis de zona pendentem geſtabat, vt patet in arcu inſculptum,ſuperius citato,in quo ordo ipſe pene totus ſacrificantium more antiquo;ibique ſimulacra L. Septimii Seueri Imper.ac Iuliæ Auguſtæ vxoris, Antoninique,ſeu Getæ eorum filiorum inſculpta videntur.

XI. ACERRA.

ACERRA fuit arcula ærea, ſiue argentea, qua thus in ſacris obeundis olim geſtabatur; ex eaque in præfericulo prunis immiſſis,ponebatur adolendi cauſa: de hac Feſtus in hæc habet verba: Acerra, ara, quæ ante mortuum poni ſolebat,in qua odores incendebantur. alii dicunt arculam eſſe thurariam, vbi ſcilicet thus reponebant. hactenus Feſtus. Hodie vero noſtri Nauiculam thurariam appellant,ita dicta à forma quam præſefert.conſtatque vel ex auro apud principes in locis primariis, vel argento inter mediocres; ex hac namque materia, vt plurimum hac tempeſtate conſtant,aut ſaltem ex aurichalco, aut ære argento perfecto in locis tenuioribus,hoc itidem inſtrumentum in eodem arcu aurificum ſuperius citato cernitur, vt cætera pariter quorum hic meminimus.

XII. VLLA.

VLLA quæ & olla,ſeu aula,vt antiqui dixere,fuit vaſis genus teſte Feſto,qui ſic ait: Aulas antiqui dicebant, quas nos dicimus ollas,quia nullã literam geminabant: Itaq; aulico qua exta, quæ in aulis coquebantur, dicebant, id eſt,elixa,inde Plauti Aulularia dicta eſt. ipſe Plaut. quoq; in Captiuis de hac meminit: in hac carnes putatur in ſacris coqui ſolitas,dum diis litarentur,& ideo antiqui aulas quas nos ollas, dicebant,id eſt, vaſa figlina in quibus cibaria coquũtur.Plaut.in Amphytr.infringatur aula cineris in caput,diminutiuũ eius eſt aulula, à qua Plauti comœdia Aulularia vocata,hoc eſt parua olla,à quo aliud diminutiuũ auxilla fit,& inde forte vlla per ſinereſin dicitur.hoc vas,vt dictum eſt,in ſacris iungebatur ad carnes animalium coquendas,quas poſtea diis eorum epulabantur,&c.

DE FORO

III

CANDELABRVM

II

SIMPVLVM

I

PRÆFERICVLVM

VI

PATERA

V



SECESPITA

IIII

MALLEVS, SECVRIS

IX



DOLABRVM

VIII



ANCLAPRIS

VII

DISCVS

XII

VLLA

XI

ACERRA

X



L.

VAGINA

Free copy of the Vatican Library Collections

DE FORO ROMANO, COMITIO ET CARCERE TVLLIANO.

ROMANVM forum, quod & Latium appellauit Statius, à radicibus Capitolii producebatur, ſecundum longitudinem, vſque ad eccleſiam S. Mariæ Nouæ, vt teſtatur Dionyſ. memorans Valerium in colle imminenti foro domum habuiſſe, cumque ſupra demonſtratum ſit domum hanc in Velia fuiſſe, è regione eiuſdem Eccleſiæ, fuit neceſſe forum eouſq; perueniſſe, quo ei immineret; ab origine autem Vrbis anguſtiores fines habuiſſe opinamur: Nam cum Plinius narret, Curtium ab arce decurriſſe, egiſſeque Romanos effuſos, toto, quantum forum eſt ſpacium, vſque ad portam Palatii, viſumq; ſit Romulum Iouis Statoris Templum, in radice Palatini montis, vbi exercitum firmauerat, poſuiſſe, ſatis coniicimus, forum ipſum non vltra primos radices eiuſdem montis terminos habuiſſe. Multis vero poſt annis ampliauit Auguſtus teſte Suetonio. *Comitium* vero erat foro iunctum, vel potius ipſius fori pars à prædicta porta ad eandem Diuæ Mariæ eccleſiam. At priuſquam de eo agamus, quæ in foro erant videndum eſt.

CARCER TVLLIANVS.

In radice Capitolii, qua parte mons ipſe ortum brumalem ſpectat, Carcerem ædificaſſe Ancum Martium ſic docet Liuius: Fecit carcerem media Vrbe, imminentem foro, ad terrorem creſcentis audaciæ. Partem deinde addidit Tullius, cui Tulliano nomen impoſuit, de quo Calp. Flaccus ita ſcribit: Video Carcerem publicum, ſaxis ingentibus ſtructum, anguſtis foraminibus, & oblongis lucis vmbram recipientibus. in hunc abiecti rei robur Tullianum aſpiciunt, & quoties iacentes ferrati poſtis ſtridor excitat, exanimantur, & alienum ſupplicium ſpectando ſuum diſcunt: ſonant verbera intus, recuſantibus ſpurca manus carnificis ingeritur, ſed & ianitor inexorabilis pectore, qui flente matre ſiccos tenet oculos, illuuies corpus exaſperat, manus cathenæ premunt. Deſcribitur perbelle etiam à Saluſtio hoc modo: Eſt locus in Carcere quod Tullianum appellatur. vbi paulo deſcenderis, depreſſus ad læuam circiter XX. pedes, eum muniunt vndique parietes, atque inſuper Camera lapideis fornicibus iuncta, ſed inculta tenebris & odore fœdo, atque terribilis eius facies. Vnde autem dicatur, hæc declarant Var. verba: Carcer à coercendo, quod exire prohibentur; in hoc pars, quæ ſub terra Tullianum, ideo quod additum à Tullio rege, quod Syracuſis, vbi hac de cauſa cuſtodiuntur, vocantur Lathomiæ. Lathomiæ enim eſt græcum, & maxime à Syracuſanis, qui Lathomias & appellant & habent, ad inſtar Carceris, ex quibus locis exciſi ſunt lapides, ad extruendam Vrbem, auth. Sex. Pop. Cice. ſeptima actione in Verrem; Lathomias, inquit, Syracuſanas omnes audiſtis, pleriq; noſtis, opus eſt ingens, magnificum, Regum & Tyrannorum, totum eſt è Saxo in mirandam altitudinem depreſſum & multorum operis penitus exciſum, nihil tam clauſum ad exitus, nihil tam ſeptum vndique, nihil tam tutum ad cuſtodias, nec fieri nec cogitari poteſt. Sen. Sabinum in Lathomias fuiſſe damnatum tradit: Liuius vero principes Ætolorum tres & quadraginta; inter quos Democritus & frater eius erant, Romam à Marco Attilio deductos, in Lathomiaſque coniectos. Erat autem Tullianum ſicut hodie videmus duplex, ſuperior & inferior Camera: Superiori extat adhuc foramen ſpiraculi cauſa additum, vt retulit Flaccus. Locus nunc Diuo Petro, cognomento eſt dicatus.


L·2

DE MARFORII SIMVLACRO, SIVE PANARIO IOVE, SIVE RHENI FLVMINIS SIMVLACRO.

ANte Tullianum, in foro Romano iacet marmoreum ingens ſimulacrum MARFORIVM vocitatum, quem Piſtorum Deum ſiue *Panarium Jouem*, quod tumores inſtar panum, circumquaque promineant, multi eſſe affirmant. Nam, vt author eſt Lactantius, eo tempore quo Romani obſeſſi in Capitolio erant, Iupiter per quietẽ admonuit, vt ex omni frumento, quod haberent panem facerent, in hoſtiumq; caſtra iactarent: eoq; facto, ſoluta eſt obſidio, deſperantibus Gallis inopia ſubigi poſſe Romanos, quare Ioui Piſtori non ſolum aram, verum etiam ſtatuam in perpetuam rei memoriam poſuerunt. At cum in ſcopulo ſimulacrum hoc ſit collocatum, RHENI Germiniæ fluminis eſſe tenemus; quod autem ſit *Nar* fluuius, vt vult Fuluius, non placet; nulla enim apparet ratio, cur Nar veniret à Romanis excitandus. Marforium cur vocitent, nihil eſt certi quod dicatur, niſi velimus ex eo, quod in Auguſti foro eſſet, vt quorundam eſt opinio, vbi & Martis Templum.



L 3

NOVISSIMÆ VRBIS ROMÆ PERFECTA IMAGO.

EXhibuimus hactenus quatuor Vrbis Romæ Typographias, quarum prima quatuor portarum, secunda octo, tertia sedecim, quarta triginta quatuor idq; priscis temporibus diuersisq; conditoribus restauratoribusq; extitit; addidimus & quintam eius imaginem, qualis nimirum antiqua illa Roma post tot ruinas & excidia erat, maiorum nostrorum seculo. Nunc vero SEXTAM hanc nouam & perfectam imaginem Vrbis subiicimus, quæ eam eius faciem repræsentat quam hac ætate referre conspici tur, Cuius ambitus tredecim millia passuum non excedit. Turres ipsorum murorum tercentum & sexaginta numerantur, quarum multæ sunt collapsæ, multæ ita vetustate corrosæ vt indies ruinam minentur. Quæ porro notanda veniunt, ea in Topographia Lectori abunde declarata sunt, qui & studium & curam nostram boni consulet tum hic tum per opus vniuersum.

Free copy for study purposes only. The Warburg Institute Digital Collections

Castellum

Aº. CHRI. CCCCXII. KL. APR. ALARICVS
GOTTHORVM. REX. ROMAM. OCCVPAT. ET
MAXIMAM. EIVS. PARTEM. INCENDIO. DEVAS-
TATAM DESTRVIT.



Aº CHRI ↀↃ. IↃ. XXVII. PRID. KL MAY. ROMA
A DVCE BORBONIO CAPTA PAPA CVM
CARDINALIBVS. SVIS IN EXTREMAS
ANGVSTIAS REDACTVS FVIT.

DE MOLE HADRIANI
& Pratis Quintiis.

AELIVS Hadrianus Imp. iuxta Ælium sui cognominis pontem, Molem siue Sepulcrum è regione Mausolei Augusti, excitauit, vt index in ipsa incisus ostendit huiusmodi: L. HÆLIO CÆS. DIVI HADRIANI AVG. F. CONS. II. F.

Spartianus: Fecit & sui Nominis sepulcrum iuxta Tyberim, in hoc autem ipse primus sepultus dicitur, & post omnium Antoninorum cineres conditos esse, inscriptiones & epitaphia ibidem in marmore incisa ostendunt, ex quibus satis erit hæc quæ sequũtur notauisse: IMP. CÆS. DIVI TRAIANI PARTHICI FILIO, DIVI NERVÆ ADNEPOS TRAIANO AVG. PON. MAX. TRIB. POT. XXII. IMP. II. COS. III. P. P. ET DIVÆ SABINÆ IMP. CÆS. T. ÆLIVS HADRIANVS ANTONINVS AVG. PIVS PONT. MAX. TRIB. POT. II. DESIGNATVS IV. COS. II. P. P. PARENTIBVS SVIS, item. IMP. CÆSARI L. AVRELIO VERO AVG. ARMENI AC MED. PARTHIC. PONTIF. TRIBVNIC. POT. IX. IMP. V. COS. II. P. P.

Lampridius autem refert, Commodum iussu Pertinacis, in monumentum Hadriani translatum. Iulius vero Capitolinus Seueri cadauer illatum in Hadriani sepulcrum, in quo & Cæsar pater eius naturalis sepultus fuerat. Idem docet Antoninum Pium Hadriani patris sepulchrum instauraſſe, eique Templum dedicasse. Hanc equidem molem hodie Pontifices pro præsidio habent. Est enim ampla, rotũda, solida & inexpugnabilis: olim extrinsecus marmore incrustata. Dicta est etiam arx Crescentii, à Crescentio quodam factioso duce ex oppido Nomento, qui illam in potestatem suam cum redegisset, diu tenuit; donec Theutonicorum fidei, qui illam oppugnabant se committens, ab illis est trucidatus. Describitur à Procopio hoc modo: Hadriani quondam Imp. sepulcrum extra Portam Aureliam, siue vt nobis placet, Ælium iactu lapidis impositum. Primus eius ambitus quadrati figuram habet, constat enim totus ex marmore pario, summa artificum diligentia ædificatus; in medio vero huius quadrati rotunda moles assurgit, excelsa altitudine, & tanta vt in suprema eius parte area sit, cuius diameter vix iactu lapidis transigitur. Quam molem Belisarius occupans pro arce & præsidio contra Gothos vsus est. Erant olim in summa parte, vndique magnæ statuæ hominũ, equorum, quadrigarum, miro artificio elaboratæ: has partim integras milites demoliti, partim confractas in hostes deiecerunt, visuntur adhuc in hoc monumento boum capita & quædam alia insculpta. Prata autem Quintia à Q. Cecinnato denominata in campo Vaticano fuisse, Plinius sic commemorat. Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Viator attulit Dictaturam. Locus enim nunc in pratis vulgo dicitur. Theatrum in pratis Vaticanis inter põtem Milvium & molam Hadriani ponit Fulvius, authore Procopio, ad ludos gladiatorios ædificatum; à quo autem, non meminit. Extant, inquit, hodie (vt eredunt) vestigia quædam in vinea Io. Alberini patricii Rom. At Circum, non Theatrum eum fuisse

Free copy for study purposes only. Digital Collections

credidierim, vt forma adhuc præ se ferat, nisi perperam interpres locum verterit: nam in Theatris ludi scenici fiebant; in Circis vero equorum cursus agebantur.



QVIDNAM fuerit ſtatua illa marmorea, quæ iam pridē vulgo Paſquinus dicitur, dubitarunt nonnulli: plures autem in hoc conueniunt, gladiatoris eſſe ſimulacrum, niſi volueris Martis aut militis cuiuſpiam, eo enim geſtu corporis manet, quaſi ferire volentis, ac ſubter ſe marmoreū alium mutilatum truncū ſeu fragmentum habet alterius ſimulacri, vt hoſtem eſſe pro comperto habuerimus, quo cum is dimicaret. Fuerunt nonnulli hoc eſſe ſimulacrum vnius ex duobus præcipuis Alexandri Macedonum regis, qui etiam Paſquinus nomine vocatus ſit, quod innuit author quidam, qui vetuſta Vrbis marmora & ænea ſimulacra typis excuſit. Quandiu autem abhinc ibi ſteterit ſignum id, non ſatis liquet, ſed vt coniectura credere facile eſt, ab eo, quo ædes illæ, penes quas extat, erectæ ſunt tempore, ducentis nempe abhinc annis vel circiter. Ædes vero à Franciſco de vrſinis, Vrbis Præfecto, vt in oſtij ſuperſtilio legitur, erectæ ſunt. Duo tantum impræſentiarū dicenda ſuccurrunt, de huiuſmodi termino: Primum quod famoſi libelli, ſeu Paſquilli vt vulgo dicunt, qui ab imprudentibus ac minime pijs hominibus olim confici cōſueuere, ſub hac ſtatua appenſos eſſe ferunt, eo quod in media fere Vrbe ſit, vt facilius à tranſeuntibus prolegerentur. Alterum, quod mirum quidē eſt, quod tot tantiſque elapſis annis hæc ibi perſtiterit ſtatua, in publicum ac priuatorum præiudicium, nec fuerit vnquam, qui pietatis ac religionis Chriſtianæ zelo auſus fuerit inde eam auertere, vnde amplius affigendi eiuſmodi libellos ſeu paſquillos adimeretur occaſio. Ferunt enim, cum quidam Princeps primarius eam in Tyberim eiiciendā eſſe ſtatuiſſet, ſtatim ab vno ex eius familiaribus vrbane reſponſum, caueret inde eam tolli imperaret, fore enim vt grauius ſub aqua, quam ſuper terram in Principes inueheretur, ſicque inibi, vt cernitur, ab eo vſq; tempore perſtitiſſe.

DE STATVA LAOCOONTIS, THERMIS TITI ET PHILIPPI, PALATIO VESPASIANI, Domo Balbini & Pompeii.

THERMARVM autem Titi Imp. veſtigia non longe ab Eccleſia S. Martini in montib. viſuntur, ſunt enim Ciſternæ, quæ hodie Capaces dicuntur, vulgo ſeptem, Salæ, numero Ciſternarum ſeptem adhuc exiſtentium. Magnum ambitum amplectebātur, quarum fornices quidam ſtatuunt in Hortis D. Petri in Vinculis. Has autem Titum maxima celeritate abſoluiſſe dictum eſt. Hac quidem domus Aurea Neronis prius deducta erat, vt teſtatur Mar. his carminibus.

Hic vbi miramur velocia murmura Thermas,
Abſtulerat miſeris tecta ſuperbus ager.

In his Thermis duo marmoris fruſta inuenta ſunt, in quorum altero erat flamma ſculpta cum hoc titulo, Iovi. in altero vero, VESPASIANVS AVG. PER COLLEGIVM PONTIFICVM FECIT. Hinc haut procul Anno M. D. VI. Felix Ciuis Romanus in vinea ſua Laocoontis ſtatuam reperit, ea ſpecie, qualis à Poeta deſcribitur, de qua Plinius ſic meminit: Laocoon in Titi Imperatoris domo, opus omnibus & picturæ & ſtatuariæ artis præponendum, ex vno lapide eum & liberos, draconumq; nexus de conſilii ſententia fecere ſummi artifices Ageſander & Polydorus & Anthenodorus Rhodii. Nunc autem viſitur in Vaticano. Palatium Veſpaſiani & Titi apud eaſdem thermas; poſt quas inter Ortum & Boream in ſupercilio montis apparent ingentes ruinæ Thermarum, vt volunt, Philippi Imp. Quidam putant ſupra Thermas Titianas, iuxta prædictā Eccleſiam S. Martini fuiſſe Thermas Hadriani, argumento quod ibi repertæ ſunt duæ ſtatuæ Antinoi pueri Hadriano Imp. dilectiſſimi; & quod locus hodie Hadrianelus nuncupetur. Domus Balbini, inquit Lampridius, etiam nunc Romę oſtenditur in Carinis, magna & potens, & ab eius familia huc vſque poſſeſſa. In iiſdem Pompeium Domum habuiſſe Anth. Tran. in Tib. & in libro de Grammaticis, vbi Lenæus Pompeii Libertus Grammaticam docuit, autor eſt.

LAOCHOON

THERMARVM VSVS APVD ROMANOS.

IN præsenti Schemate, amice Lector, magnificentiam Thermarum, quæ veteribus illis Romanorum potentissimis in vsu fuit, vna cum aliis rebus ad eas necessariis, instrumentis valde mirificis, ob oculos tibi ponimus: & extant quidem vestigia Thermarum eiusmodi in hodiernum adhuc diem Romæ satis luculenta: Vbi maxime hoc notandum videtur, veteres illos Romanos adeo inter se sibi diffisos fuisse, vt nec viros nec fœminas adultiores ad ministrandum sibi in Thermas admitterent, quorum opera vel in radenda cute, vel in abluendo corpore vterentur. Sed pueros solummodo impuberes ingenuiores, decem duodecimue annorum, sibi adhibebant, qui peculiaribus instrumẽtis cutem eorum raderent, inungerent, abluerent, spongiisque in id paratis abstergerent. Quodq; multo maioris diffidentiæ exemplum erat, veteres cum barbam radere vellent, ne pueros quidem sibi adesse volebant; puellas enim duntaxat tenellas simpliceſque & ad eiusmodi ministeria accurate educatas adhibebant. Quod sane maximę prouidentiæ exemplum fuit, ne scilicet incautis quid siniſtri eueniret, neue perfide adorti misere trucidarentur; quæ cautio si nostri huius seculi magnatibus esset, minus crebra crudeliaue exempla inter eos nefarie sæpe laniatos videre esset, quæ qui ignorare possit velitve, vix vspiam esse putauerim.

DE THER-



Iacobus grantlome fecit STRIGILES

BALNEVM.

DE THERMIS IN GENERE.

THermæ latinum est verbum quod neque latinum nomen, neque significationem vnica dictione recipere potest. Θερμὸν calidum tantum significat, nos vero loca, quæ calentibus aquis, aut sine ipsis solo fornice calefacto lauandi & sudandi vsibus deputata sunt, eodem nomine quo græci, thermas appellamus. Priscis namque Romanis lauandi vsum fuisse prope quotidianum satis constat, quo vel puluerem sordesq; abluerent, vel sudorem prouocarent, crudamque adiuuarent digestionem, quod tetigit Iuuenalis cum inquit:

Et crudum pauonem in balnea portat.

Sæpe tamen voluptatis tantum causa id factitarunt, propterea vel mediocriter diuites priuata balnea, siue lauacra habuisse, illud argumento est: quod Cicero Terentiam vxorem monet, vt curet labrum in balneo ne desit; certioremque facit Q. Fratrem Asiæ Procos. de balneis quas in Arpinati extrui curabat. Multa deinde balnea paulatim extructa in quibus ad libitum plebs lauaret. Primus autem omnium Sergius Orata pensilia facere instituit, sicuti Valerius Maximus commemorat. Repostea ad principum luxuriam & fastum producta, cœpere lauacra in modum, vt ait Ammiarum Prouinciarum extruere, quas Thermas appellamus, in quibus ædificandis nullum neque modum neque mensuram seruasse, ex illarum, quæ nunc extant vestigiis, facile vnusquisque potest iudicare. Varia enim, & propemodum infinita habebant loca, variis vsibus & voluptatibus deputata, quædam ad calefaciendas aquas forma circulari, ex quibus per siphones & fistulas balneis, nedum in sole expositis, verum etiam pensilibus, calidam ministrabant, quæ post lauationem inutilis per canales in inferiorem partem inde subterraneis meatibus in Cloacas mittebatur. Habebant Thermæ etiam Apodyteria in quibus balnea ingressuri vestes deponebant, vt ostendit Plinius in Epistolis. Habebant & areas amplissimas, porticibus spaciosissimis circundatas, cameratasque superbissimis fornicibus ædificia in circuitu habentes, in quibus diuersi coloris marmoreæ, ingentesque columnæ, quarum quædam stantes, nonnullæ vero iacentes adhuc cernuntur, multæ ad Templorum ornamenta translatæ. Pauimenta vero lithostrata diuersis lapidibus conspicua, parietesque marmoreis tabellis in multis incrustati. Erant etiam Xisti nemora & natatoria populi ludus, delitiisque exposita, qui propterea frequens in Thermis versabatur, Principesque ad id insaniæ venerant, vt cum eo promiscue lauarent. Spartianus de Hadriano; publice, inquit, & frequenter cum omnibus lauit; vnde cum veteranum quendam notum sibi in militia dorsum & cæteras partes corporis vidisset atterere, percontatus cur se marmorib. distringendum daret; vbi audiuit hoc idcirco fieri, quod seruum non haberet, seruis eum donauit & sumptibus: Verum cum alio die complures senes ad prouocandam principis liberalitatem hoc idem facerent, euocari eos iussit, & alium ab alio defricari. Tradunt autem M. Aurelium Antoninum lauacra mixta præbuisse. Lauandi vero tanta fuit Commodo Imp. voluptas, vt septies in die lauerit, in balneisque sæpe cœnitauerit. Iulius Capitolinus scribit Gordianum Iuniorẽ septies in æstate, hyeme bis lauisse. Qui cum sæpe mulieres pulcras & puellas, & cum iis anus deformes admitteret, se iocose id facere dicebat. Alexander sylvas in Thermis deputauit, oleumque luminibus thermarum addidit, cum ante non ante auroram paterent, & clauderentur ante Solis occasum



GENIO LAVACRORVM METELLI.

EXCEVPTVM EX LIBRO MANVSCRIPTO IVLII ROSCII.

PYramides appellantur quadratæ moles, more flammæ ſurgentes, vnde ἀπὸ τοῦ πυρὸς deductas multi volunt. Steph. autem aliam huius nominis tradit Etymologiam. Pyramides, inquit, in Ægypto ædificium, in quod feruntur, expenſas fuiſſe in cepas, allia, & caſeum talenta decem millia & quingenta. Nominatæ ſunt autem pyramides ἀπὸ τοῦ πυρὸς id eſt à tritico, quod illuc conducens Rex penuriam fecit frumenti per totam Ægyptum. Rationem excidendi atque ſtatuendi pyramides docet Plinius hoc modo: Dicantur Pyramides in eadem Ægypto regum pecuniæ ocioſa & ſtulta oſtentatio ne pecuniam ſucceſſoribus aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs eſſet ocioſa. Extat adhuc ex omnibus vna apud portam Hoſtienſem mœnibus Vrbis incluſam, quæ fuit Sepulcrum C. Ceſtii Septemuiri Epulonum, quemadmodum huiuſmodi probat index.

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO. PR. TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM.

Inferius vero literæ minores leguntur hæ:

OPVS ABSOLVTVM EX TESTAMENTO DIEBVS CCCXXX.
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLAMELÆ HÆREDIS ET PONTHI. L.

Blondus autem fuiſſe totius collegii Septemuirum epulonum ſepulcrum exiſtimauit. Epulones enim dicebantur, qui epulas aliis inſtituendi poteſtatem habebant, auth. Cic. tertio de Oratore.

HORREA POPVLI ROM.

HOrrea Pop. Rom. CXXXX, inter Teſtaceum & Tyberim fuiſſe, marmor effoſſum in vinea Marcelli de Capozucchis, tali inſcriptione oſtendit:

NVM. DOM. AVG. SACRVM FORTVNÆ CONSERVATRICI HORREORVM GALBIANORVM. M. LORINVS FORTVNATVS MAGISTER. S. P. D. D.

Apud Tyberim, in eo ambitu, fuit Hyberna lucus, de quo Ouidius ita meminit:

Adiacet antiquæ Tyberinæ lucus Hyberinæ,
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.

Capenam autem oppidulum in eodem ambitu fuiſſe, quidam tradidere.

AT PORTAM OSTIENSEM

E REGIONE MONTIS TESTACEI

ANNEXVM MOENIBVS.



QVid sit *Obeliscus* & cuius rei causa inuentus, *Marcellinus* tradidit, eius verba sunt hæc: In hac autem Vrbe inter labra ingentia, diuersasque moles figmenta Ægyptiorum numinum exprimentes, Obeliscos videmus plures, aliosque iacentes & comminutos, quos antiqui reges bello domitis gentibus, aut prosperitatibus summarum rerum elati montium venis, vel apud extremos orbis incolas perscrutantes excisos, erectos Diis superis in religione dicarunt. Est autem Obeliscus asperrimus lapis in figuram metæ cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, vtque radium imitetur gracilescens paulatim, specie quadrata, in verticem productus angustum, manu leuigatus artifici. In pleriscque visuntur literæ Hieroglyphicæ insculptæ, de quibus mentionem sic facit: Formarum autem innumeras notas Hieroglyphicas appellatas, quas ei vndique videmus incisas, initialis sapientiæ vetus insigniuit authoritas. Volucrum enim ferarumq; etiam aliena mundi genera multa sculpentes, ad æui quoque sequentes ætates Imperatorum vulgatus peruenire memoria promissa, vel soluta regum vota monstrabant. Non enim vt nunc literam numerus præstitutus & facilis exprimit quicquid humana mens concipere potest, ita prisci quoque scriptitarunt Ægyptii. Sed singulæ literæ singulis nominibus serviebant, & verbis nonnunquam significabant integros sensus, cuius rei scientia in his interim duobus habet exemplum: Per Vulturem naturæ vocabulum pandunt, quia nullos mares posse inter has alites inueniri rationes memorant Physicæ; perque speciem apis mella conficientis indicant regi moderatori cum iucunditate aculeos quoque innasci debere, his signis ostendentes & similia plura. De huiuscemodi literis meminit & Corn. Tacitus; Obeliscos ex lapide simithe esse tradit Plinius hoc modo: Trabes ex simithe fecere reges quondam certamine, Obeliscos vocantes, Solis numini consecratos: radiorum eius argumentum in effigie est, & ita significatur nomine Ægypti. Primus omnium Rex Methres Obeliscum instituit. Obeliscos autem, qui Romæ sunt, nulla Ciuium opera aut cura excisos constat; sed Thebis ex Ægyptiacisue vrbibus perductos, vt idem Plinius & Marcellinus testantur. Is qui in Schemate hic apponitur, Romæ positus, proceritate in excelsum adeo assurgit, vt suspicientium radii visui apicem eius nunquam assequi valeant, cœlo quatumuis maxime sereno: Globum autem satis ampla mole supra extantem, non nisi sole splendente discernant: Vnde non iniuria vnum ex septem mundi miraculis celebratur.

FINIS.

Free copy for study purposes - The Warburg Institute Digital Collections

is ver-
e mo-
vide-
mitis
apud
ne di-
n ſen-
eſcens
gatus
men.
pella.
utho-
lpen-
emo-
eram
repo-
omi-
us rei
voca-
s me-
odera-
ates &
cos ex
reges
orum
s om-
ſunt,
vrbi-
te hic
icien-
uis



Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

TOPOGRAPHIA VRBIS ROMÆ EX BARTH. MARLIANO LECTORI.

A principio huius operis nouem Capita, Vrbis Romæ descriptionem ex parte complectentia secundum Marlianum præmisimus, quæ nobis Parasceues loco essent. Ne vero Lector in nobis quid desiderare queat, operæ precium duximus, reliqua quoq; ex eodem autore Marliano subnectere. Subsistentes autem suprà in Nono Capite, à Decimoque hic denuo exordientes telam nostram pertexemus, & Capita ordine numerorum prosequentes opus ipsum ita perficiemus.

CAPVT X. EX MARLIANO.

De Iouis Feretrii & Opt. Max. Iunonis, & Mineruæ Templis.

CAPITOLIVM Deorum domicilium ea nempe de causa appellauit Cicero, quod in eo omnium DEORVM simulacra, templaque multa & celeberrima fuisse commemorant. Quorum Templorum primum omnium Romæ sacratum, Iouis Feretrij in bello Ceninnensium à Romulo votum esse, & post victoriam in vertice ipsius Capitolini collis extructum ferunt. Dionys. Extructo Templo in vertice Capitolini collis Ioui, quem Feretrium vocant. Cognomen autem Feretrij ea re obtinuit, quod cum Acronem Ducem inter fecisset, vt votum suum maxime Ioui gratum, ciuibusque suis iucundum efficeret, spolia ipsius ducis, fabricato ad id ferculo, gerens in Capitolium, ad quercum pastoribus sacram in trophæi formam fictam hostis arma deposuerit, designans simul cum dono, templo Iouis fines, cognomenque addens, Ioui Feretrio, à feriendo hostem, vt votis petierat. Plut. auth. Sex. vero Pomp. quod pacem ferre putaretur, cum ex eius templo sumerent sceptrum, per quod iurarent, & lapidem silicem, quo fœdus ferirent, Feretrium denominatum scribit. Huius autem templi tecta cum vetustate, & incuria prolaberentur, amonitu Pomponij Attici (vt Cor. Nepos in eius vita testatur) restituenda curauit Augustus, quod nisi tum ampliatum etiam sit, miror quid isti dicant, super illius fundamentis Aræcœli templum fuisse excitatum. Nam memoriæ tradidit Dion. ætate sua vestigia vbi maiora, denum, vbi vero minora, quinum pedum tantum extitisse: & certe, in ea rerum tenuitate, paruum, ibidem tamen fuisse credimus: licet ab Anco Martio amplificatum referat Liuius: Templum Iouis Opt. Max. vouit Tarquinius Priscus. Superbus deinde li-

brarum argenti quadraginta mil. in fundamentis impendit, verum fere perfecti consecrationem non obiit, parum enim ad absolutionem deerat, quo tempore tyrannide excidit. Quare dedicationis gloria ad Oratium Publicolæ collegam peruenit. Vt etiam probatur indice in marmore inciso existenti in æde diuæ Agathæ huiusmodi.

M. ORATIVS CONSVL EX LEGE TEMPLVM IOVIS OPTIMI MAXIMI DEDICAVIT ANNO POST REGES EXACTOS A CONSVLIBVS POSTEA AD DICTATORES, QVIA MAIVS IMPERIVM ERAT SOLENNE CLAVI FIGENDI TRANSNATVM EST.

Fuit autem celeberrimum & maximum, de quo apud eundem Dion. in hunc scriptum est modum. Extructum est autem super crepidine firmatum alta, octo iugerum in circuitu, ducentorum ferme pedum vnumquodque latus habens, eminentiam altitudine ne quindecim quidem pedibus integris, à parte quidem, qua frons meridiem spectat, comprehensum triplici columnarum ordine: ab obliquis vero partibus simplici. In eo autem tria sunt sacella æqualia, inter se communia habentia latera: medium quidem Iouis, & ab vtraque parte Iunonis & Mineruæ, sub vna aquila, vnaque velata tectura. Quidam putant hoc alterum esse à templo Iouis Capitolini, cum idem sit, vt probat Cic. his verbis. Quocirca Capitoline, quem propter beneficia Po. Rom. Optimum: propter vim, Maximum nominauit. Licet enim diuersa sint nomina, vnum tamen templum: vnus erat Deus. Habuit hoc templum fistulas, quibus aqua suppeditabatur reliquis templis, ac sedibus, vt idem pro Rabirio testatur; qui etiam contra Rullum, pro Domo sua. S. C. & orationes sæpe in eodem habiras esse docet. Eò etiam ibant cum populo noui Consules sacrificatum, qui deinde in Curiam deducebantur. Ioui autem ideo rem diuinam faciebant, quod ei, quemadmodum Iano, omne debetur initium. vnde est. Ab Ioue principium. Plin. prodidit Lauream in gremio Iouis solitam deponi, quotiens lætitiam victoria nouam attulisset, idque etiam ostendit Suet. in Domitiani vita. In huius templi fastigio Summanum in libris de diuinatione posuit Cic. Nonne, inquit, cum multa alia mirabilia, tum illud in primis, cum Summanus in fastigio Iouis Opt. Max. qui tum erat fictilis cœlo ictus esset, nec vsquam eius Simulacri caput inueniretur, aruspices in Tyberim id depulsum esse dixerunt. Templum ipsum cum ædibus, & sacellis coniunctis Vitelliano conflagrauit bello, & Titi tempore auth. Dion. & Cor. Tac. In ea Capitolii parte fuit, quæ vergens ad Occasum Solis, Tyberim despicit; vbi paucis ante annis fuerat ædes Diui Saluatoris, cognomento in Maximis. Locus ille nunc est prophanus, sed magna & dissipata fundamentorum vestigia extare adhuc cernuntur. Habuit hoc templum Cellam, quæ erat pars templi secretior, in quam non erat fas prophano ingredi, licet Val. Max. dicat Africanum non ante negotia obiisse, quam in Cella Iouis Capitolini moratus esset: sed forte tunc fuerat Dialis. In hac fuere Coronæ aureæ duæ, quarum alteram ex xx. philippeis factam secundum Gallos Pamphili legati in Curiam tulerunt, petentibusque iis, vt id donum in cella I. O. M. ponere, & sacrificare liceret, permissum. alteram tulerunt legati Carthaginensium missi Romam gratulatum ob victoriam partam aduersus Samnites. Dion. à dextra templi Iouis Mineruæ sacellum ponit, sicut & Liuius his verbis. Lex vetusta est priscis literis, verbisque scripta, vt qui Prætor maximus sit clauum pangat, fixus fuit dextero lateri ædis Ioui Opt. Max. parte, qua Mineruæ est templum. Eum clauum, quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Mineruæ templo dicatam legem, quia numerus Mineruæ inuentum est. Iunonis ergo à sinistra fuisse consequens est. De Mineruæ meminit Cic. in oratione ad Equites antequam iret in exilium, multisque aliis in locis. Meminit & Cornelius Tacitus.

CAP.

CAP. XI.

De Saturni Iouis Tonantis & Custodis Fortunæ. Veiouis. Misericordiæ. Iunonis Monetæ, & Iani templo, ac de Orestis sepulchro. Aerario. Domo Manlii, Fanoq; Carmentæ.

SATVRNI Templum condidere Herculis Comites auth. Solinus. Dion. vero antiquis temporibus Aram tantum Saturnum habuisse narrat, secundum viam, qua ex foro in Capitolium ascenditur, collocatam ab ipso Hercule. Verum si ab origine vrbis habuit templum, de eo intelligerem, quod Tatium dedicauisse memoriæ prodidit Var. Licet enim variæ sint opiniones, tamen consideratis temporibus tollitur omnis dubitatio. Duæ enim fuere Saturni sacræ ædes diuerso excitatæ tempore, vel secundum aliquos, tres. Hæc autem Capitolina in meridiem vergens fuit prope saxũ Carmentæ, & cliuum Capitolinum. Ser. ossa, inquit, Orestis ab Aritia Romam translata, & condita ante templum Saturni, quod est ante cliuum Capitolinum. Ex quibus verbis patet Blon. haud recte sentire de huius tẽpli loco: restituit enim è regione Diui Nicolai in Carcere, cui si assentiri velimus, oportet fateri etiam cliuum Capitolinum ea parte stetisse, vt secundum Ser. ante ipsum Saturni templum. Quæ opinio, præterquam quod est falsa, destruit omnia argumenta ipsius Blon. ad demonstrationem cliui Capitolini adducta. Nisi dicamus Saturnum alteram ædem in Capitolio habuisse, secundum Critolaum, qui Phanomenon libro tertio scriptum reliquit. Saturnum ab agricola quodam Latini generis hospitio susceptũ Enotriam eius filiam vitiasse, quæ Ianum, Hymnum, Festum, & Felicem peperit, quibus serendæ vitis, & rationem vini conficiendi Saturnus pater ostendit, eiusque muneris aliis authores esse concessit. Quare finitimi agricolæ cum insolitæ potionis vi graui somno pressi diu iacuissent, experrecti in supicionem dati veneni inciderunt, vnde Ianum lapidibus oppressere. Eius autem puellæ patris morte dolore laqueo gulam fregerunt. Saturnus vero in cœlum omnes transtulit. Appellantur autem προτυγήτηρες, quod vindemiam ortu suo præueniant. Insecuto tempore, cum peste Romani laborarent, Apollo respondit, non prius cessaturam, quam Saturni placarent iram, cœsisque per iniuriam manibus satisfacerent. Luctatius itaque Catalus Aedem ipsi Saturno in Tarpeio monte posuit, Ianumque statuit quadrifrontem, vel à numero puellarum, quæ patri spiritu parentauerunt, vel à quatuor anni tempestatibus; ab eiusque nomine Ianuarium mensem appellauit. Hæc vero, de qua Ser. dicimus positam esse eo in loco, vbi paucis ante annis fuerat cum turri sacellum cognomento, S. Saluatoris in Aerario, incumbens hospitali, S. Mariæ in Porticu. Turris mutilata adhuc cernitur, quæ cum sacello in vsus humanos est conuersa. Ibi autem proximis diebus effossum est marmoris frustum, quod in frontispicio eiusdem templi fuit, se arbitramur. In quo, sensu imperfecto, incisa erant hæc verba.

AVG. PON. MAX. TRIBVN
CENSOR COS VIII.
ANTONINVS PII. AVGG. FELICES RESTITVERE.

Ideo nostro tempore in ærario vocatur; quia ibi Romani primum ærarium habuere. Tradunt aliqui Val. Publicolam primum omnium exactis regibus Aedem Saturni Aerarium declarauisse. Sequitur Iouis Tonantis Templum ab Augusto prope eundem cliuum, siue, vt vult P. Victor in eodem cliuo positum, quod liberatus esset periculo cum expeditione cantabrica per nocturnum iter lecticam eius fulgur perstrinxisset, seruumq; ducentem exanimasset. vergit in meridiem, siue in ortum brumalem; quo in loco nunc noxii puniuntur. Haud procul fuit Fortunæ, vt testantur carmina sita in templo ipsius Prænestæ, quæ sunt:

TV QVÆ TARPEIO COLERIS VICINA TONANTI.
VOTORVM VINDEX SEMPER FORTVNA MEORVM.

ACCIPE, QVÆ PIETAS PONIT TIBI DONA MERENTI
EFFIGIEM NOSTRI CONSERVATVRA PARENTIS
CVIVS NE TACEAT MEMORANDVM LITERA NOMEN.
CÆSIVS HIC IDEMQ. TITVS PRIMVSQVE VOCATVR
QVI LARGE CERERIS MESSES FRVCTVSQVE RENATOS
DIRIGIT IN PRETIVM CVI CONSTAT FAMA FIDESQ.

& reliqua. Templum Veiouis inter Arcem, & Capitolium fuisse legimus, in platæa ædium nunc Conseruatorum. cuius simulacrum sagittas teneret, quæ essent videlicet paratæ ad nocendum: quapropter eum Appollinem plerique dixerunt. Veiouem enim appellauere veteres deum, cui iuuandi esset adempta facultas: est enim ve priuatiua particula. immolatur huic ritu humano capra, vt scribit Gellius. Asylum id est Misericordiæ Templum in Capitolio fuisse, his verbis testatur Dion. Lucum vmbrosum medium, Capitoliique, & arcis, quod vocatur intermontium duorum quercetorum templum, id est Asylum constituit, Quare autem Romulus constituerit, sic docet Liuius. Locus qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos Asylum appellant, eo ex finitimis populis omnis turba sine discrimine liber, an seruus esset, auida nouarum rerum perfugit: sic & Ouid.

Romulus vt saxo lucum circundedit alto:
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Ex eo enim nemo extrahebatur. Tiberius cum existimasset hunc malefaciendi causam esse, irritum fecit. Primi autem omnium Herculis nepotes Asylum statuisse dicuntur, timentes insidias illorum, quos auus, priusquam è terris migraret, afflixerat. Hinc Statius Herculeos fama est fundasse nepotes. Blon. vero sicut & Cor. Tac. ponit Asylum in campo, qui est à rupe Tarpeia, & foro Boario ad Tyberim. Quid autem de ipsorum opinione sentiam, vbi de Æquimelio erit mentio, infra aperiemus. Templum Iunonis Monetæ in arcæ domus Manlij ponitur à Liuio: cuius verba sunt hæc. Damnatum Manlium Tribuni de saxo Tarpeio deiecerunt: adiectæ mortuo notæ sunt, publica vna, quod cum domus eius fuisset vbi nunc Aedes, atque Officina Monetæ est, latum ad populum est ne quis patricius in arce, aut Capitolio habitaret. Alibi tamen ait M. Fabio Dorso, & Ser. Sulpicio Camerino Coss. Dictatorem creatum. L. Furium, Aruncanoque bello inter ipsam dimicationem templum Monetæ vouisse. Secundo vero quintæ decadis refert Aedem Monetæ votam à Cicereio prætore in Corsica. Sed forte intelligit de ea, quam in Auentino restituemus, aut certe dicendum eos libros, qui nuper in lucem editi sunt, non esse Liuij. Ouid. vero vult ædem hanc Capitolinam votam esse à Camillo: eius sunt hæc Carmina.

Arce quoque in summa Iunoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta Camille tuo.

Moneta (inquit Cicero) à monendo. Nam post cladem illam maximam à Senonibus Gallis factum, audita vox ex arce Iunonis fuit, ex quo illa appellata est moneta. Templum hoc fuit, vbi nunc ædes Senatoris. Templum Iani custodis Capitolinæ arcis Blon. scribit fuisse eo in loco, vbi nunc facinorosorum custodiæ, & carceris locus, versus ortum hyemalem, e regione fori Romani. Et cum vnum Ianum fuisse priscum velint, plures vero posteriores, crediderim Capitolinum à Romulo, vel à Tatio excitatum. Nam postquam hi in fœdera conuenerunt, Iano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Hinc Virg. Ianumque bifrontem. Dracon vero Corcyrensis scriptum reliquit, Ianum bicipitem fingi propter ingenitam, summamque eius solertiam: primus enim coronam, rates, vsum nauis inuenit, æneum quoque numum primus signauit. Dicitur autem Ianus ab eundo, quod eat, & vertat cœlum, cæteraque omnia. Quare eundem & Vertumnum esse aiunt. Templum Iouis custodis Domitianus adeptus Imperium excitauit in Capitolio, seque in sinu ipsius dei sacrauit. Quidam volunt fuisse vbi nunc Salinæ, prope Ianum.

CAP.

CAP. XII.

De Templis deorum incertam ſedem in Capitolio nunc habentibus.

MEMORANT Romanos lapidem informem, atque rudem coluiſſe Terminum appellantes; cuius Templum à Tatio rege dedicatum fuiſſe Var. eſt teſtis. Plut. vero à Numa conditum tradit, vnde conſtat antiquiſſimum eſſe: propterea libuit primo loco inter ea, quæ nunc certum non habent, collocare. Ratio autem cur Terminus in Capitolio coleretur, huiuſmodi traditur. Cum Tarquinius Superbus vellet Iouis Templum ædificare, cœpit auguriis captare, qui mons huic templo eſſet aptiſſimus, & cum in omnibus Tarpeius eſſet inuentus, in quo erant multa diuerſorum numinum ſacella; actum eſt, vt exinde ad alia templa nomina euocarentur ſacrificiis, quo poſſet libere, & ſine periculo Templum Iouis ædificare; cumque omnes dii libenter migraſſent, Terminus ſolus, hoc eſt limitum deus, abſcedere noluit, ſed illic remanſit: tunc de hoc ipſo ſacrificatum eſt, & deprehenſum, quod Terminus cum Ioue remanens, æternum Vrbi Imperium cum religione ſignificaret. propterea in Capitolio prima pars tecti patet, quæ lapidum ipſum Terminum ſpectat: Nam Termino non niſi ſub Dio ſacrificabatur &, vt ait Lactantius, publicè, quaſi cuſtodi finium Deo. Auguſtinus vero ſcribit vna cum Termino Martem quoque, & Iuuentutem regi deorum cædere noluiſſe, quod Imperium Romanum nullos haberet terminos, nec ſenectam ſentiret. Mentis & Veneris Ericinæ ſacras Ædes in monte Tarpeio ſedem obtinuiſſe narrat Liuius, his verbis. Interea duumuiri creati ſunt, Q. Fab. Max. & Attilius Craſſus ædibus dedicandis. Menti, Attilius, Fabius Veneri Ericinæ, vtraque in Capitolio eſt, canali vno diſcretæ. De templo autem Mentis Ouid. in faſt. ſic meminit:

Mens quoque numen habet, Menti delubra videmus
Vota metu belli perfide pene tui.

Idem Liuius tradit. L. Quintio. & Cn. Domitio Coſſ. Ædes duas Ioui dicatas eſſe, quarum alteram, L. Furius Purpurio Prætor Gallico bello vouerat, alteram conſul dedicauit Q. Mart. Ralla duumuir. Capitolium etiam Iunonis Reginæ Templum habuit, à Cn. Flaminio bello aduerſus Ligures votum: de quo meminit idem auth. & Cic. ad Equites antequam iret in exilium. Templum Opis vouit Tatius rex. Var. Ops, inquit, terra, quod hic omne opus ad viuendum, ideo dicitur Ops mater. quod terra mater. hæc enim terris Giganteis omneis peperit, & reſumit denuo, quæ dat, cibaria. Eandem quã Maiam, Terram, Faunam, & Bonam volunt eſſe. De Opis autem templo Cic. Ph. prima mentionem ſic facit. Pecunia vtinam ad ædem Opis maneret, & ſecunda. Sed etiam regnas, qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberaſti. Hanc Sp. Poſthumio Albino & Q. Martio Philippo Coſſ. tactam de cœlo cõmemorat Liuius. Templum Martis Vltoris ab Auguſto in colle Saturnio excitatum eſſe, quidam tradidere; Fidei vero in eodem, Cic. de nat. deorum, in hæc verba. Tum autẽ res ipſa in qua vis ineſt maior aliqua, ſic appellatur, vt ea ipſa vis nominetur deus, vt Fides, vt Mens, quas in Capitolio dicatas videmus; proxime à M. Æmilio Scauro; ante autem ab Attilio Calatino erat Fides conſecrata. Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiæ? Libertatis? Victoriæ? quarum rerum quia vis eſt tanta, vt ſine deo regi non poſſet, ipſa res deorum nomen obtinuit. Fortunæ Primigeniæ, & Obſequentis Templum ibidem condidit Ser. Tullius. Capta vero vrbe à Gallis cum Romani ex mulierum capillis tormenta feciſſent, Ædem Veneri Caluæ in honorem matronarum in eodem colle Capitolino conſtituerunt. Alteram habuit Ædem Venus inibi, de qua meminit Suet. in Caligula. Iouis autem ſponſoris Ædem poſuit Tarquinius Superbus, quam Sp. Poſthumius Coſ. nonis Iuniis dedicauit. Iouis Piſtoris Aram in eodem Capitolio quidam ſtatuere: de qua Ouid. ſic meminit:

Nomine quam precio, celebratior arce tonantis:
Diſcant piſtoris quid velit ara Iouis.

CAP. XIII.

De Statuis deorum, quæ in Capitolio fuere, vel sunt.

VERE priscis temporibus marmoreæ, argenteæ, aureæque statuæ innumerabiles in Capitolio: non solum viris præstantissimis, qui de republ. bene meriti essent, erectæ: verum etiam diis immortalibus variis ex causis consecratæ, ex quibus varia etiam sortitæ sunt cognomina. Florus enim scribit, quo tempore Pyrrhus in Siciliam traiecit, Iouis statuam in Capitolio fulmine deiectam. Plinius vero victis Samnitibus eiusdem dei Statuam à Sp. Carulio factam, inibique erectam, cuius amplitudo cernebatur à Ioue Latiario cum Statua sua ante pedes dicti Iouis posita. Idem Iouis Tonantis Statuam in eodem Capitolio posuit; Liuius autem Iouis Imperatoris Signum, à T. Quintio Prænestæ deuectum, inter cellam ipsius Iouis, & Mineruæ dicatum. Cic. septima actione in Ver. Iouem, inquit, Imperatorem quanto honori in suo templo fuisse arbitramini: hinc colligere potestis, si recordari volueritis quanta religione fuerit eadem specie, atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flaminius. Victoriæ Statuam in templo Iouis Opt. Max. statuit Plut. Idem vero Cic. tertio Offic. iuxta id templum, Fidei Simulacrum; cuius sunt hæc verba. Qui igitur iusiurandum violat, is fidem violat, quam in Capitolio vicinam Iouis Opt. Maxim. vt in Catonis oratione est, maiores nostri esse voluerunt. licet de templo intellexisse videatur. Nemesis simulachrum in eodem colle fuit; Estenim Nemesis dea quæ superbos vlciscitur, cuius latinum nomen non inuenitur: Rhamnusia etiam appellata à Rhamnunte vico Attico, in quo colebatur: Adrasteæ etiam nomen accepit ab Adrasto, à quo primum templum est consecuta. author Antimachus. Habuit Capitolium Herculis plures Statuas, quarum vna dicata, & posita fuit à P. Sulpitio Auerrione, & P. Sempronio Coss. Aliam, victis Tarentinis, Fab. Max. Romam detulit, Liuius, & Plut. Boni Euentus, & Bonæ Fortunæ Simulacra Praxitelis opera in Capitolio collocat Plin. & Apollineam diadematum, eiusdemque Colossum, xxx. cubitorum, centum & quadraginta talentis factum, ex Apollonia Ponti à Lucullo in vrbem translatum. In eodem monte Iani Simulacro dextera trecentorum, sinistra sexaginta quinque numerum tenenti, ad demonstrandam anni dimensionem, quidam locum fecere: sicuti Plinius Castoris, & Pollucis in templo Iouis Tonantis, & Tremellius Iouis Opt. Max. Statuæ aureæ decem pedum à D. Claudio dicatæ. Sed cum in hoc deorum domicilio omnium deorum simulacra fuisse dicat Ser. superfluum est pauca, ex infinitis velle recensere. Videamus ergo quæ nunc sitæ sunt statuæ. Proædibus igitur Conseruatorum duo pari forma marmorea fluuiorum Simulacra seminuda visuntur, quæ, inquit Ful. quantum ex rerum argumento deprehendi potest, Nili, ac Tygris flu. numina sunt; quorum alterum Sphinga Ægypti peculiare animal, cui cubito innititur, habet. Alterum vero Tygridem Armeniæ truculentam feram; in quorum sinistris est cornucopiæ rerum affluentiam significans. Intra limen à dextris Signum æreum auro perfusum nudi Herculis, & adhuc imberbis, dextera clauam, sinistra vero Hesperidum aurea mala tenens, conspicitur. Quod prope Scholam Græcam in ruinis aræ Maximæ, foroque Boario repertum esse scimus. Visuntur & marmorea signa parietibus inclusa L. Veri Antonini de triumpho Parthico: siue, M. Antonini de triumpho Dacico, sublata ex æde S. Martinæ.

In aula vero superiori Statua ænea Satyri pulcherrima, & quædam alia deorum Simulacra sunt sita.

CAP. XIV.

De Statuis hominum, Regum, & Imperatorum, quæ in Capitolio fuere.

NON solum immortalium deorum simulacris, verum etiam, vt diximus, præclarissimorum hominum, regum, atque Imperatorum Statuis Capitolium illustratum esse quamplurimi memoriæ prodidere: In eo enim Scipionis, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque deuicit, Statuam, non solum cum chlamide, sed etiam cum crepundiis, erectam fuisse, pro Rabirio refert Cic. Syllæ vero pedestrem in Philip. Si quis est, inquit, sensus in morte ænea statua futura, & ea pedestris magis, quam inaurata equestris: qualis L. Syllæ prima statua est. Qui ad Atticum etiam commemorat Scipionem proauum Metelli ad Opis loco excelso censoriam habuisse. Præterea Senatus Aemilij Lepidi pueri Statuam bullatam, & prætextatam, quod hostem in acie interemisset, ciuemque seruasset, in eodem erigiiussit. Quo munere dignus habitus est etiam Metellus, quod ex æde Vestæ palladium ab incendio liberauisset. Cornelia Cracchorum mater non caruit hac gloria, sicut & Trebius, quod in ædilitate sua frumentum P. Ro. assibus præstitit, Plin. auth. Plut. vero tradit Fabium Maxi. suam ipsius equestrem ex ære iuxta Herculem statuisse, priscosque Romanos Bruti illius, qui Tarquinios expulit, Statuam posuisse, mediam inter regum Statuas, cum hoc indice. VTINAM BRVTE VIVERES. Domitianum autem non nisi aureas, & argenteas, certique ponderis sibi poni permisisse, scribit Suet. & Eutropius. Quidam non contenti solis statuis, tabulis etiam famam & gloriam posteris relinquere conati sunt: quemadmodum victoriæ suæ Asiaticæ Asiaticus ille, de quo superius facta est mentio. Bocchus etiam, vt Po. Roma. deliniret, simul & Syllæ gratiam aucupatus, triumphales Imagines collocauit; inter quas inerat aureus Iugurtha ab eo Syllæ traditus. Nicomacus Proserpinæ raptum pinxit in Tabula sita in templo Iouis Opt. Max. Extat adhuc ingens æneum Caput, quod vt testatur Lampridius, demptum colosso Neronis suæ imposuit Staetuæ Commodus Imp. cuius Colossus ex marmore factus cernitur in ædibus Conseruatorum. Innumerabiles autem fuere statuæ in Capitolio, quarum maiorem partem ex prouinciis deuictis Roma. in Vrbem transtulisse Cicero de natura deorum docet his verbis. Etenim fana multa spoliata, & simulacra deorum de locis sanctissimis ablata videmus à nostris. In frontispicio autem prædictarum ædium, æneum illud Lupæ simulacrum, ex cuius vberibus pendere Vrbis conditores ait Virgil. restitutum nunc videmus. De quo in Catilinam Cic. sic meminit. Tactus est etiam ille, qui hanc vrbem condidit Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum, & lactentem vberibus inhiantem fuisse meministis. Et primo de diuinatione his Ennij carminibus.

Hic sylueſtris erat romani nominis altrix
Martia, quæ paruos mauortis ſemine natos
Huberibus grauidis, vitali rore rigabat.
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque auulſa pedum veſtigia liquit.

Visuntur in superioribus locis domus eorundem duo Simulacra ænea, iuuenili forma, alterum stans serui habitu, alterum nudum pueri sedentis, pastori haud absimilis, curuato corpore è planta suppurati pedis spinam acu euellenti.

* * *

CAP.

CAP. XV.

De Cliuo Capitolino, Tarpeia rupe, & saxo Carmentali.

CLIVVS Capitolinus, per quem publicus in arcem erat ascensus, vbi nam fuerit, permagna est inter antiquitatis diligentiores dubitatio. Blon. enim ad eam arcis partem fuisse, quæ versa in Auentinum, nunc ecclesiam S. Georgij in Velabro è regione respicit, verbis Liuij his nititur comprobare. Quum commissum prælium esset, Cos. transfugas Numidarum, qui tum in Auentino ad mille & trecentos erant, media vrbe transire Exquilias iusserunt, nullos aptiores inter conualles, tectaque hortorum, & sepulcra, vacuas vndique vias ad pugnandum futuros rati: quos quum ex arce, Capitolioque cliuo publico in equis decurrentes quidam vidissent, captum Auentinum conclamarunt. Et certe Suet. in Cæsaris vita hunc ipsum innuit locum. Gallici, inquit, triumphi die Velabrum præteruehens pene curru excussus est axe distracto, ascenditque Capitolium ad limina quadraginta elephantis dextra & sinistra lychnos gestantibus, quemadmodum & Ouidius his carminibus,

Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
Arduus in valles, & fora cliuus erat.

Et quanquam omnia hæc verisimilem Blon. rationem faciunt, non tamen certum locum ostendunt; quia, cum cliuus emineret, facile potuerunt Numidæ ex altiori loco decurrentes ex variis Capitolij partibus spectari. Ser. autem, vt visum est, scribit Saturni templum fuisse ante Cliuum Capitolii, iuxta Concordiæ templum. Quod si intelligimus de templo Saturni Capitolino, non video quomodo stet iuxta Concordiæ, quod valde distabat, erat enim prope Seueri arcum. Verum cum in vrbe, Concordiæ multæ fuerint sacræ ædes, necesse est Ser. aliam significare: aut certe dicere cliuum Capitolinum fuisse, ab eodem Seueri arcu ad Senatoris stabula, vbi fundamenta antiqua non iugiter recta, sed intro flexa adhuc cernuntur, quæ portæ locum vacuum relinquunt, sic enim procedit, quod dicit Ser. Ibi quidem fuit Saturni templum, & intra ipsum, & concordiæ Cliuus collocaretur. Et mehercle Cic. actione sexta in Ver. prope Fo. Ro. fuisse, his admonet verbis. Tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem iubent. Arcus etiam Seueri ad radices Capitolij in capite fori excitatus, sub quem triumphantes transeuntes Capitolium ascendebant, facit vt Blondi opinionem affirmare dubitem, nisi velimus diuersis temporibus vtroque in loco fuisse, quod caret ratione. Plures tamen aditus habuisse Cor. Tac. verba superius adducta, satis ostendunt. Sed de cliuo Capitolino quisque, quam probat, eam sequatur opinionem. Hunc autem silice stratum esse Liuius primo decadis quintæ sic docet. M. Æmilio Cos. Censores cliuum Capitolinum silice sternendum curauerunt, & Porticum ab æde Saturni in Capitolium ad Senatulũ, ac super id Curiam strauerunt. Hæc autem porticus videtur vna ex illis, de quibus idem Cor. sic loquitur. Eriguntaciem per aduersum collem vsque ad primas Capitolinæ arcis fores. Erant antiquitus porticus à latere cliui dexteræ subeuntibus. In eorum cliuo Domum Milonem habuisse scutis refertam commemorat Cic. dubitatur autem vtrum hæreditariam, an conductam, quia superius dicit nullum angiportum esse, in quo Miloni non esset conducta domus. Blon. in Roma triumphante scribit floralia ad cliuum Capitolinum mense Maio celebrari solita esse, vbi prope prostitutæ mulieres paucis ante annis tabernas, & casas habebant. Sed vellem huius rei authorem addidisset. Rupes Tarpeia, ex qua fontes & damnati præcipitabantur, foro Romano superstiti Dion. significare videtur, his verbis. Duci eum iussit in superstantem foro collem. est enim locus is rupes vasta, vnde eis mos est deiicere aduersarios. Meminit & Plin. Metellus, inquit, Capitolio ad Tarpeium raptus, vt præcipitaretur. Ful. vero putat Tarpeiam rupem fuisse, vbi nunc facinorosi puniuntur: quod & nobis magis placet, nec verba Diony. huic sententiæ repugnant, quia de toto colle loquuntur. Saxum Carmentæ, de quo mentio est apud Liuium ab vr. co. Tyberim despicit, e regione pontis Senatorij. Porta Stercoraria in cliuo Capitolino collocatur à Sex. Pomp. vbi sordes ex templo Vestæ sublatæ condebantur, in Tyberim mox transferendæ.

CAPVT

CAPVT XVI.

De Tabulis & Columnis æneis, argenteoq; Anſere.

TABVLAS in quibus leges, & publica acta continebantur, in Capitolio fixas, acſeruatas eſſe plures teſtantur. Cic. pro Sex. Inſpectantibus vobis toto Capitolio tabulæ figebantur. Et mox: Sed vnum egregium de rege Deiotaro Pop. Rom. amiciſſimo decretum in Capitolio fixum. & Philip. tertia: Falſas leges C. Cæſaris nomine, & falſa decreta in æs incidenda, & in Capitolio figenda curauerit. Polibius tertio ſcribit fœdera, quæ inter Romanos & Carthaginenſes icta fuerant, perſcripta in tabulis æneis in templo Iouis Capitolini diligentiſſime ab Ædilibus conſeruata: Veſpaſianumque ærearum tabularum tria millia, quæ cum Capitolio conflagrauerant, inueſtigatis exemplaribus, reſtituendi curam ſuſcepiſſe, in quibus tabulis publica monimenta continerentur; Quarum vna cernitur adhuc in Lateranenſi Eccleſia. Clodius etiam tabulas, in quibus res in tribunatu ſuo geſtæ continebantur, hic affixit; quas Cic. ab exſilio reuerſus vi deleuit, auth. Plut. Idem Cic. in Cat. commemorat æra legum in Capitolio tacta de cœlo, & liquefacta. Idem propemodum de Diu. his Ennii carminibus:

Nam pater altitonans ſtellanti nixus olympo
Ipſe ſuos quondam tumulos, ac templa petiuit,
Et Capitolinis intecit ſedibus ignes.
Tum ſpecies ex ære vetus, generataq; natæ
Concidit, lapſæq; vetuſto numine leges.

Erant & leges à Romulo inſtitutæ, quarum argumentum tale eſt.

Ne quid inaugurato faciunto.
Patres ſacra, magiſtratusq; ſoli peragunto, ineuntoq;.
Plebei agros colunto.
Sacrorum omnium poteſtas ſub regibus eſto.
Sacra patres cuſtodiunto.
Populus magiſtratus creanto.
Leges diſcunto.
Bella decernunto.
Deorum fabulas ne credunto.
Deos peregrinos, præter Faunum, ne colunto.
Nocturnas in templo vigilias ne habento.
Parricidas omnes capite puniunto.
Ne quis præſentibus fœminis obſcæna verba facito.
Quisquis demiſſam ad talos togam in Vrbe habeto.
Monſtroſos parta quisquis ſine fraude cædunto.
Ne quis, niſi per portas, Vrbem ingreditor, neue egreditor.
Mœnia ſacroſancta ſunto.
Mulier viro legitime coniuncta fortunarum, & ſacrorum ſocia illi eſto, vt domusq; ille dominus, ita hæc domina.
Filia, vt patri, ita defuncto viro hæres eſto.
Adulteri conuictam, vir, & cognati (vti volent) necanto.
Si vinum biberit domi, vt adulteram puniunto.
Parentum liberos omne ius eſto, relegandi, vendendi, & occidendi.

Erant autem apud Romanos curatores eorum locorum, in quibus tabulæ publicæ ſeruabantur, vt index hic oſtendit:

C. CALPETANVS STATIVS.
SEX. METTORIVS. M. PERPENNA LVRCO T. SARTIVS DECIANVS CVRATORES TABVLARIORVM PVBLICORVM
FAC. CVR. P Augu-

Augustus victor totius Ægypti, quam Cæsar pro parte superauit, multa de nauali certamine sustulit rostra ærea, quibus conflatis, quatuor effecit Columnas, quæ postea à Domitiano in Capitolio sunt positæ, quas hodieque, inquit, Ser. conspicimus. Nunc vero in Lateranensi ecclesia sunt sitæ: de his intellexit Vir. cum dixit,

Surgentes ære columnæ.

Legimus autem Syllam ex Iouis templo Athenis columnas ædib. Capitolinis vexisse. Cùm olim Anseris clangore arx esset seruata, in perpetuam rei memoriam Romani ejus argenteum simulacrum in eadem statuere arce, de quo Lucretius sic,

Romulidarum arcis seruator candidus anser. Et Propert.

Anseris & tutum voce fuisse Iouem.

Ob hoc, inquit Plin. institutum est, vt cibaria anserum censores in primis locent.

CAP. XVII.

De quibusdam Epitaphiis & Titulis in Capitolio existentibus.

OSSA
NERONIS CÆSARIS GERMANICI CÆSARIS. F. DIVI AVGV. PRON. FLAMIN. AVGVSTALIS QVÆSTORIS.

OSSA
AGRIPPINE. M. AGRIPPÆ DIVI AVG. NEPTIS VXORIS GERMANICI CÆSARIS MATRIS. C. CÆSARIS AVG. GERMANICI PRINCIPIS.

OSSA
TI. CÆSARIS DIVI AVG. F. AVGV. PONT. MAXIMI TRIB. POT. XXXIX. IMP. VIII. COS. V.

Vias autem vrbis magna ex parte disturbatas Vespasianus restituit, vt in marmore in porticu ædium Conseruatorum posito ostendit talis index.

IMP. CÆSARI
VESPASIANO AVG.
PONT. MAX. TR. POT. III.
IMP. IIX. PP. COS. III. DES. IIII.
S C
QVOD VIAS VRBIS
NEGLIGENTIA
SVPERIOR. TEMPOR.
CORRVPTAS IM
PENSA SVA RESTITVIT.

Sunt enim fornices in publici salis receptaculo, huiusmodi inscriptione vetustate penè consumpta, notati.

Q. LVTATIVS. Q. F. Q. CATVLVS COS. SVBSTRVCTIONEM
ET TABVLARIVM S. C. FACIVNDVM CVRAVIT.

In æde D. Mariæ de Aracœli, est ara, quatuor pulcherrimis exornata columnis, vbi legitur titulus huiusmodi.

A CVBICVLO AVGVSTORVM.

CAP. XVIII.

De quibusdam ædificiis, aliisq; rebus in genere.

CVRIAM Calabram in Capitolio Romulus culmis texerat, ad quam celebrabatur, id est, vocabatur Senatus & populus à rege Sacrificulo, vt ludorum & sacrificiorum pernosceret dies. Prope hanc ipsius Romuli Casam ponit M. Var. Metelli autem, & Constantini Porticum habuit Capitolinus mons; & Bibliothecam Maiorum pulcherrimis, marmoreisque columnis exornatam: Atriumq; publicum, quod tactum de cœlo memo-

ras

rat Liuius. Ser. ait locum ſacrum fuiſſe in Capitolio, ex quo ſumebatur verbena, qua coronabantur Feciales, & Paterpatratus fœdera facturi, vel bella indicturi: & lapidem Silicem, quem tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes. Si ſciens fallo, tum me Dieſpiter, ſalva Vrbe, arceq;, bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem. Fuiſſe, inquit Gellius, loca in Capitolio cellis, ciſterniſq; ſimilia, vbi reponebantur ea, quæ in templo vetuſtate erant facta inutilia. Seiuges in Capitolio aurati à Cn. Cornelio poſiti ſunt. M. Valerio Meſſalla, & Liuio Salinatore Coſſ. eodemque tempore duodecim clypea aureata ab ædilibus. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compreſſam condemnauerant, author eſt Livius, qui quinto belli pu. Clypeum Martis cum imagine Aſdrubalis ſtatuit in eodem colle, & ſecundo decadis quintę columnam Roſtratam, ſic: In ſuſpenſa ciuitate ad expectationem noui belli nocturna tempeſtate columna roſtrata in Capitolio bello pu. tota ad imum fulmine diſcuſſa eſt. At tertio eiuſdem decadis teſtatur. S. C. in Capitolio ſolitum haberi: Eo, inquit, facto auocatam à ſe concionem Tribunus queſtus, & in ordinem ſe coactum, ex Capitolio, vbi erat concilium, abiit. In Templo Iouis Capitolini fuit Pallium breue, purpureum, laneſtrum ad quod cum matronæ, atque Aurelianus Impe. iungeret purpureas ſuas veſtes, cineris ſpecie decoloratæ videbantur, diuini comparatione fulgoris. hoc munus rex Perſarum ab Indis interioribus ſumptum Aureliano dediſſe perhibetur. Cn. & Q. Oguinio ædilibus curulibus Limina Capitolij ænea ſunt fabrefacta: Tegulas autem æreas Q. Catulus inaurauit, auth. Plin. hinc Virg. Capitolia aurea dixit, quanquam & propter ſtatuas aureas, aliaque pretioſa ornamenta aurea dixiſſe exiſtimauerim. Numam antequam Imperium adiret, augurium in Capitolio captauiſſe ſcribit Plutarch. Solinus autem T. Tatium in arce, vbi fuit Templum Iunonis Monetæ, habitauiſſe: Quo in loco prius ſteterat Domus Manlii; de qua Cic. pro domo ſua ita meminit; M. Manlius cum ab aſcenſu Capitolij Gallorum impetum repuliſſet, non fuit contentus beneficii ſui gloria, regnum appetiſſe eſt iudicatus: ergo eius domum euerſam duobus locis conueſtitam videris. Libri Sibyllini in templo Iouis Capitolini ſub terra, in arca lapidea ab hominibus decem cuſtodiebantur, author Dion. Cæſar primo conſulatu tria millia pondo auri furatus è Capitolio, tantundem inaurati æris repoſuit. Suet.

CAP. XIX.

De laudibus Capitolij.

SI quis Capitolij pulchritudinem, diuitias, & ornamenta oratione celebrare, proq; illorum admirabili, & pene incredibili amplitudine verbis illuſtrare conetur, nullam profecto inueniet tantam dicendi elegantiam, aut copiam, quin verborum exilitate deprimat, quæ ſeſe extollere poſſe confidebat, cui Cic. nullum inueniens epitheton magis conueniens, Deorum & Iouis terreſtre domicilium appellauit. Quare in huius laudem ero contentus referre ea tantum, quæ memoriæ traduntur à Marcellino, qui loquens de Conſtante Conſtantini filio tunc primum Romam veniente, ſic ſequitur. Deinde intra ſeptem montium culmina per acclíuitates, planitiemque poſita Vrbis membra colluſtrans, & ſuburbana quidquid erat primum eminere inter alia cuncta ſpectabat, Iouis Tarpei delubra, quantum terrenis diuina præcellunt. Et infra deſcribens Ægypti mirabilia ſic habet. His accedunt altis ſuffulta faſtigiis templa, inter quæ eminet Serapeum: quod licet minuatur exilitate verborum, atriis tamen columnaribus ampliſſimis, & ſpiritantibus ſignorum figmentis, & reliqua operum multitudine ita eſt exornatum, vt poſt Capitolium, quo ſe venerabilis Roma in æternum attollit, nihil orbis terrarum ambitioſius cernat. Eandem imitatus ſententiam Caſſiodorus: Traiani, inquit, Forum vel ſub aſſiduitate videre miraculum eſt, Capitolia celſa conſcendere, hoc eſt humana ingenia ſuperata videre. Nunc verò penè nudus eſt relictus.

CAP. XX.

De Concordiæ & Iouis Statoris Templo, & quid ſit Curia.

IN ſitus Vrbis deſcriptione ſecundo loco vallem inter Capitolium, Palatinumque montem iacentem poſuimus, eamque, ſecundum longitudinem, non vltra Palatini latus terminauimus; cuius ædificia & loca par eſt tandem, vt in antiquam ſpeciem, & ſplendorem, quoad fieri poterit, reſtituamus. Et quia nihil eſt quod magis res augeat, & conſeruet quàm Concordia, ab ipſa ritè principium facturi videmur. Concordiæ igitur Templum vouit Camillus, ſi plebem patribus reconciliaſſet: quod in foro, vt tradit Plut. vt autem Var. inter Capitolium, & forum deinde exſtruxit. hunc autem ſecutus Sex. Pomp. Senatula, inquit, Romæ tria, vnum, vbi nunc eſt ædes Concordiæ, inter Capitolium & forum, Valer. autem Max. ait Sempronium Aſellionem pro æde Concordiæ ſacrificium facientem ab ipſis altaribus fugere extra forum creditores coegiſſe. Sed cum non vnum fuerit Concordiæ templum, videndum ne Plut. de eo intelligat, quod erat ſupra Comitium, ad forum vſque productum. Huius autem porticus extant adhuc ad radices Capitolii octo ingentes columnæ cum inſcriptione hac:

SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS INCENDIO CONSVMPTVM RESTITVIT.

Quo autem tempore reſtitutum ſit à Senatu incertum eſt. Extat tamen in Lateranenſi baſilica de reſtitutione memoria huiuſmodi.

D. N. CONSTANTINO PIO FELICI AC TRIVMPHATORI SEMPER AVGVSTO OB AMPLIFICATAM TOTO ORBE REMPVBLICAM FACTIS CONSILIISQ.

S. P. Q. R.

ÆDEM CONCORDIÆ VETVSTATE COLLAPSAM IN MELIOREM FACIEM OPERE, ET CVLTV SPLENDIDIORE RESTITVERVNT.

Hinc autem centum gradibus ad Monetæ Iunonis templum aſcendebatur. Cic. Ph. ſeptima. Occulta enim fuit eorum voluntas, iudiciumque de M. Antonio, qui frequentiſſimi in gradibus Concordiæ ſteterunt. Ouid.

Candida te niueo poſuit lux proxima templo,
Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.
Furius antiquum populi ſuperator hetruſci
Vouerat, & voti ſoluerat ille fidem.
Cauſa, quòd à patribus ſumptis ſeceſſerat armis
Vulgus & ipſa ſuas Roma timebat opes.

In Concordiæ Senatus frequenter habebatur, & conciones. Idem Cicero in Ph. pro Sextio & domo ſua. Lampridius: cum Senatus, inquit, frequens in curiam, hoc eſt in ædem Concordiæ Templum auguratum conueniſſet. In eodem templo fuit Statua Apollinis, Iunonis, & Latonæ Apollinem & Dianam infantes ſuſtinentis: Æſculapiique, & Hygiæ à Nycerato fabrefacta. Sthenis autem, Cererem Iouem, & Mineruam, flenteſque matronas, & adorantes, ſacrificanteſque fecit, quæ erat in æde eiuſdem Concordiæ. Martem verò, & Mercurium Piſicrates. Zeuſis manu in Concordiæ delubro erat Marſias religatus; Erat & Liber pater Caſſandraque à Theodoro picta. In prono Templi fuit Victoria, quæ M. Marcello Claudio, & M. Valerio Coſſ. icta eſt fulmine. Habuit Concordiæ templum Cellam de qua Cicer. ph. tertia ſic meminit. Armatos in Cella Concordiæ cum Senatum haberet incluſerit, & quinta: in Cella Concordiæ collocari armatos, latrones, ſicarios è templo carcerem fieri. Concordia dicta, inquit Var. à corde congruente. Eregione autẽ huius, ad radices tamẽ Palatini montis, Templum Iouis Statoris, à Romulo votum fuiſſe, teſtis eſt Liuius, apud quẽ ita loquitur Romulus: Iupiter tuis auibus

bus iussus hic, in Palatio, prima Vrbi fundamenta iecí, arcem iam scelere emptam Sabini habent, inde huc armati superata valle media tendunt, at tu pater deum hominumque hinc saltem arce hostes, deme terrorem Romanis fugamque fœdam siste. hic ego tibi Templum Statori Ioui, quod monimentum sit posteris, tua præsenti ope seruatam Vrbem esse, voueo. & Cicer. Priusquam enim iret in exilium his Iouem precatus est verbis: Teque Iupiter Stator, quem vere huius Imperij Statorem maiores nostri nominauerunt, cuius in templo hostilem impetum Catilinæ reppuli à muris, cuius Templum à Romulo victis Sabinis in Palatij radice cum victoria est collocatum, oro, atque obsecro, ferte opem pariter reip. cunctæque ciuitati, meisque fortunis. Ouid. etiam in Fast. in radice Palatini sic colleat:

Tempus idem Statoris erit, quod Romulus olim
Ante Palatini condidit oraiugi.

Quo in loco nunc sunt spondæ murorum altissimæ ad boream pertinentes. In hoc conciones haberi, Senatusque solebat. Idem in Cat. pro lege agraria, & alibi sæpe. Nam S. C. iure fieri non poterat, nisi in loco per augures constituto, quod templum appellaretur. non enim omnes ædes sacræ templa erant. Curia in qua habebatur Senatus templum erat, auth. Gellius, & Var. Vnde inter Aedes sacras, & templa illud interest, quod in his S. C. poterat haberi, in illis vero nequaquam. Ego tamen causa euitandi crebras eiusdem verbi repetitiones, & quo per nomen templi facilius inueniatur, quod quisque cupit, hanc differentiam non plane seruaui. Hoc autem templum incendio Neronis exustum fuisse docet Cor. Tac. Liuius vero votum bis, bello videlicet Samnitico, & in pugna ad Luceriam. Miror autem quid est cur quidam Iouis Statoris templum ad radices Capitolij posuerint, ad eam inquam partem, quæ in planam Vrbem vergit, vbi nunc est ædes Diui Andreæ in Statera, decepti solo cognomento; qui si Ciceronis & Ouid. verba obseruassent, & Romuli dicentis apud Liuium in Palatio, non tam fœde in hunc lapsi essent errorem.

CAP. XXI.

De Templo Vestæ, & Romuli, ac de Luco eiusdem Vestæ.

TEMPLVM autem Vestæ inter Capitolinum, & Palatinum montem, vbi Diuæ Mariæ Gratiarum ædes nunc est sita, collocari à Diony. videtur. Quod autem non fuerit sub Palatio, vt putat Ful. probant, quæ sequuntur Plut. verba: Restitere Romani quo nunc loco Iouis Statoris situm est templum, ta confertissimo agmine Sabinos adorti fundunt, fugantque, & vsque ad locum, Regiam nunc dictum, ac templum Vestæ palantes agunt. Nam si Romani restitere ad radices Palatij, quomodo sequitur, fundunt fugantque Sabinos ad templum Vestæ, quod secundum Ful. fuisset, vbi restitere Romani, non autem quo fugati sunt Sabini, contra opinionem Plutar. Diony. & Liuij, qui de hoc templo ita meminit. M. Cœditius de plebe nunciauit tribunis se in Noua via, vbi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ & reliqua. Erat enim prope forum Romanum. Hinc Appianus ait, Asellium prætorem forte sacra Castori, & Polluci in foro facientem, cum quidam lapide fialam excussisset, ad templum Vestæ cucurrisse. Cor. Tac. de Pisone loquens: ex foro, inquit, fugit in ædem Vestæ. Condita autem fuit à Romulo, vt infra demonstrabimus ex verbis Diony. qui etiam memoriæ prodidit, Castora, & Pollucem in pugna aduersus Thusculanos duce Posthumio dictatore visos pugnantes pro Romanis, eodemque tempore in foro equos abluisse ad scaturiginem manantem iuxta templum Vestæ. Fuit eiusdem deæ Lucus, qui à Palatij radice in Nouam viam deuexus erat, ex quo, ante Vrbem captam exaudita vox est, vt muri & portæ reficerentur: futurum esse, nisi prouisum esset, vt Roma caperetur. auth. Cicer. de Diu. Atrium, siue Regia Numæ

propè Veſtæ ſacellum Plut. fuiſſe exiſtimat, non autem, vt Ser. ædes Veſtæ Atrium Numæ. Videamus autem obiter, quid ſibi velit Vir. cum inquit.

Cana Fides, & Veſta, Remo cum fratre Quirinus
Iura dabunt.

Per fidem enim Fidei templum intelligit, antiquiſſimum, vtpote ab Ænea, vel (vt alii volunt) à Numa in Palatio extructum, quo cogebatur Senatus cum de rebus ad ſtatum reip. ſicut in Atrium Veſtæ cum Pon. max. cum de rebus ad religionem pertinentibus eſſet deliberaturus. Apianus his ita ſe habentibus Senatus in Fidei templum contulit per Remum autem & Quirinum Fo. Ro. in quo erant ſimulacra conditorum Vrbis lambentium vbera lupæ. Liuius ædiles ad ſiſcum ruminalem (erat enim in comitio) ſimulacra infantium conditorum Vrbis ſub vberibus lupæ poſuerunt. Et cum in foro cauſæ agerentur, vt idem author de Virginia loquens oſtendit, ſic interpretamur. Romanos leges, & ciuiles, & pontificias ad religionem pertinentes vniuerſo orbi daturos, omniumque terrarum Imperium, quemadmodum Iuppiter pollicebatur, habituros. Templum Romuli ſteterat ad radices Palatini, in medio eius lateris, quod Capitolium reſpicit, vbi nunc eſt ædes Diuo Theodoro dicata, de quo videtur intellexiſſe Dion. cum de Lupercali loquitur in hunc modum. Oſtenditur ſecundum viam, qua itur ad Circum, templumque ei proximum, in quo eſt lupa præbens pueris duobus vbera, antiquæ operæ ſimulacra ærea.

CAP. XXII.

De Lupercali, & ficu Ruminali.

LVPERCAL autem fuit quædam ſpelunca ſub monte Palatini in qua de Capro luebatur, id eſt ſacrificabatur : vnde & Lupercal dictum putant. Alij vero dicunt quod illic lupa Romulum & Remum nutrierit, Alij, quod eſt veriſimilius lucum hunc eſſe ſacratum Pani deo Arcadiæ, cui etiam mons Lycæus in Arcadia eſt conſecratus, dictus quod λύκους id eſt lupos non ſinat in oues ſæuire. Ideo Euander ſacrauit locum, Lupercalque nominauit, de quo Dionyſius ſic ſcriptum reliquit : Arcades in colle ipſo firmati, cum ædificia alia more patrio exornaſſent, templa quoque conſtruxerunt, atque primum quidem Pani Lycæo admonente eos Carmenta. eſt enim apud Arcades Pan vetuſtiſſimus, plurimum in honore habitus. Nunc tamen, circunſepto ædificiis templo, priſcam loci naturam comprehendere nequit coniectura. Erat enim antiquitus, vt dicitur, antrum magnum ſub colle arbuſto contectum, & fontes ſub petris profundi, adhærensque rupibus ſaltus & quidem opacus, vbi Ara deo conſtructa ſacrificia patria perficiebant. Idem tradit apud Lupercal Romulum, & Remum expoſitos fuiſſe, quem in locum lupa vadens ſeſe condiderat. Aliorum autem fama eſt Lupercalium morem à Romulo & Remo originem traxiſſe, tunc cum lætitia exultantes, quod iis auus Numitor eo loco, vbi educati erant, Vrbem condere permiſerat. Facto enim ſacrificio, cæſiſque capris epularum hilaritate, ac vino largiore prouecti, cuncti ouinis pellibus immolatarum hoſtiarum iocantes, geſtierunt. Verum vt de nominis etymologia, & origine, ita de loco varia eſt opinio. Pom. Letus ita ſcribit. Sub Capitolio Tyberis inferebat ſinum, qui pertingebat radices Palatii, vbi nunc eſt ædis S. Theodori, vbi expoſitus Romulus, & Remus in alueolo, ibique fuit ficus Ruminalis : ſupra in Capitolio eregione iſtorum locorum Lupercal, hoc eſt manſio lupæ. Erat autem Lupercal prope tres columnas. Vt autem (ſecundum aliquos) accipimus, quæ de ficu Ruminali eius eſt ſententia, ita, quæ de Lupercali, prorſus reiicimus; de vtroque verò quæ eſt Seruii, qui in circo Maximo ponit Lupercal; eius ſunt hæc verba : Rumon Tyberis dictus eſt, vnde ficus Ruminalis, ad quam eiecti ſunt Romulus & Remus, quæ fuit vbi nunc eſt Lupercal in circo, hac enim labebatur Tyberis antequam Vertumnus factis ſacris auerteretur. Et vbi Virg. inducit Æneam ex Tyberii muros

Palan-

Palanteos ſpectantem, inquit: Nec ſitum præſentem conſiderare debemus: tunc enim nullis obſtantibus ædificij per Lupercal Tyberi fluente facile mons poterat videri Palatinus. Quod autem Tyberis ſinum inferret ad radices Palatini bene procedit; verum quod per Circum laberetur caret ratione; quia Auen. ad alteram fluminis ripam eſſet relictus, nec ſequeretur, quod refert Liuius; Herculem traieciſſe Tyberim, &, dum feſſus procubuiſſet, Cacum boues furatum eos in ſpeluncam traxiſſe; fuerat enim neceſſe per Tyberim quod eſt dictu abſurdum, niſi dicamus per Circum lapſum ante Herculis aduentum in Italiam. Præterea idem Ser. eodem in loco vtrunque reſtituit, ſicut & P. Victor, cum Lupercal fuerit, vbi nunc eccleſia S. Theodori, quemadmodum ſuperiori capite, vbi de templo Romuli ſumus locuti, tetigit Diony. Ficus vero Ruminalis in Comitio eregione ædis Diui Coſmæ & Damiani, & ad latus Palatini Circo oppoſitum Maximo, quod Cor. Tac. ſic probat. Eo anno quo certatum eſt inter Harmum duros, & Cattos, Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſupra octingentos & quadraginta annos Remi Romulique infantiam texerat, mortis ramalibus, & areſcente trunco diminutam, prodigij loco habitum, donec in nouos fœtus reuiuiſceret. Si autem volumus, quod ait Liuius, pueros in proxima alluuie, vbi ficus Ruminalis, expoſitos ſecundum Tacitum dicemus, Tyberi forum Romanum alluiſſe, ferentesque pueros deſcendiſſe ex Palatio in Comitium, ibique expoſuiſſe infantes, nulla enim eſt ratio alia, vt Liuij cum Taciti conueniant verba. veriſimilius eſt, ſecundum Diony. apud Lupercal expoſitos eſſe, nutritos vero apud ficum Ruminalem, vt innuit idem Tacitus, cum inquit, texit infantiam Romuli & Remi: aut fluitante ſcapha in Comitium delatos. Nam Var. ait infantes non expoſitos, ſed delatos ad ficum Ruminalem, & L. Florus repertos ad arborem, quæ non fuiſſe (vt vult Ser.) vbi Lupercal oſtendit etiam Plut. his verbis. Locum Cremonum vocant, ſed pridem Germano nomen fuerat quod germanos fratres vocemus, nec porro longius ficus Ruminalis. Non deſunt autem qui Lupercal eregione Septizonij Seueri fuiſſe putent, quos ſecutus eſt Blon. in Roma triumphante, at hoc ſtultum eſt credere. Quomodo enim Euander à Tyberi in Vrbem rediens, potuit oſtendere gelidum, vt ait Vir. Lupercal ab altero latere montis auerſo exiſtens, meridiemque ſiue ortum æſtiuum reſpiciens, cum ad boream pertineret? vnde recte Poeta, gelidum appellauiſſe videtur. Quis autem Lupercalia inſtituerit, vbi, & quo modo fierent, ſcribit Val. Max. Ser. & Plut. in Antonij vita. Ruminalem autem ficum ſunt qui volunt à Romulo, quaſi romularem denominatam. Alij à lacte infantib. dato. nam pars gutturis ruma dicitur. Huius autem arboris etiam Auguſti tempore veſtigia extitiſſe docet Ouid. his carminibus,

Arbor erat, remanent veſtigia, quæq; vocatur
Romula nunc ficus, rumina ficus erat.

CAP. XXIII.

De via Noua, vico Iugario, & Thuſco.

VIAM Nouam fuiſſe eregione templi Iouis Statoris, perque vallem inter Capitolium, & Palatium productam, ſignificant hæc Liuij verba: Exſuperiore parte ædium per feneſtras in Nouam viam verſus (habitabat enim rex ad Iouis Statoris ædem) populum Tanaquil alloquitur. Idem. Templum in Noua via ſupra ædem Veſtæ Aio exſtructum. Quanquam Cic. de diuinatione non templum dicit, ſed Aram. De via hac meminit & Ouidius, eius ſunt hæc carmina,

Forte reuertabar feſtis veſtalibus illac,
Qua noua Romano nunc via iuncta foro eſt.

Credi-

Crediderim hanc viam antiquissimam, diuersamque ab ea, quæ instaurata à Caracalla sub thermis ipsius fuit. Vicus Iugarius qui, auth. P. Vic. & Thurarius dicebatur, per radices Capitolij à porta Carmentali ad forum Romanum aditum præbuit. Liuius; ab æde, inquit, Apollinis boues fœminæ duæ albæ porta Carmentali in Vrbem ductæ: post eas duo signa cupressea Iunonis Reginæ portabantur: tum septem & viginti virgines longam indutæ vestem carmen in Iunonem Reginam canentes ibant, illa tempestate forsitan laudabile rudibus ingeniis, nunc abhorrens, & inconditum si referatur. Virginum ordinem sequebantur decem viri coronati laurea, prætestatique à porta Iugario vico in forum venere. Blon. vero ait, nihil aliud habere quam quod idem author dicit saxum ingens à Capitolio in ipsum vicum procidisse; quæ verba certum locum non designant, sicuti, quæ nos allegauimus. Fuluius autem ponit vicum Iugarium inter Romanum, Boariumque forum, quod falsum esse prædicta Liu. verba ostendunt. In hoc vico fuit Domus L. Amerimni Equitis Ro. vt ex filij epith. legitur. Iugarij autem nomen obtinuit, quod ibi fuerat Ara Iunonis Iugæ quam matrimo. iungere putabant. auth. Sex. Pom. Quemadmodum autem vico Iugario per radices Capitolij á porta Carmentali in forum Romanum, ita vico Thusco per radices Palat. montis ab eodem foro in Velabrum patebat accessus; sicuti eiusdem Liuij verba, quæ sequuntur, ostendunt. In foro pompa constitit, per manus reste data virgines sonum vocis plausu pedum modulantes incesserunt, inde vico Thusco, Velabroque per Boarium forum in Cliuum Publicum, atque in ædem Iunonis Reginæ perrectum. Pater ergo virgines ingressas porta Carmentali, Iugario vico per radices Capitolij producto in forum: postea vico Thusco, ad Palatij radices iacenti, per Velabrum, forumque Boarium in Auentinum; peruenisse. Nescio autem quo auth. Fuluius venit id campi, quod est inter Capitolium, Palatium montem Auentinum, & Tyberim, vicum Thuscum appellatum: si ita esset, satis fuerat Liuio dixisse. Inde vico Thusco in cliuum publicum, atque in ædem Iunonis Reginæ perrectum: sed Velabrum à vico Thusco diuidens, ostendit ibi finem fuisse vici Thusci, vbi velabrum incipiebat, quod cum foro Boario, in eo campo fuisse, demonstrabitur. Ab eodem autem Liuio huiusce vici etymologia est petenda. Narrat enim in bello aduersus Aricinos cæsis Hetruscis, partem exiguam ipsorum Romam profugisse, ibique benigne exceptos, diuisosque in hospitia: deinde curatis vulneribus, alios domum profectos, multos autem Romæ hospitium, vrbisque charitatem tenuisse, locumque ijs ad habitandum datum, quem deinde vicum Thuscum vocauere. Diony. Dedit, inquit, eis Senatus regionem vrbis, inter Palatium & Capitolium, quatuor ferme extensam stadia conuallem, quæ ad ætatem vsque meam vicus Thuscus appellatur, per quem quidem transitus est à foro ad Circum Maximum. Propertius his consensisse videtur, his versibus.

At tu Roma meis tribuisti præmia Thuscis,
Vnde hodie Thuscus nomina vicus habet.

Alij aliter referunt historiam. Videlicet vicum ipsum Thuscum appellatum à Cœlio Vibieno Thusco, qui cum sua manu Romulo contra Latinum in auxilium venerit, & post Cœlij obitum, quod nimis munita loca tenerent, neque sine suspicione essent, deductos in planum, & ab eis vicum Thuscum denominationem accepisse. In hoc vico lenones habitauisse ostendit Plautus in Cistel. hinc Horatius. Ac Thusci turba impia vici.

CAP. XXIIII.

De Arcubus Romuli. Senatulo, & Ouidij Domo.

ARCVS veteres, quos Romulus lateritios posuit, & florentes postea opibus Romani nunquam passi sunt in marmoreos mutari, ne conditoris vrbis suæ memoria deperiret, Blon. scribit ætate sua collapsos, vbi nunc sunt ecclesiæ S. Mariæ de gratia, & de inferno. eam, inquit, viam ad portam Appiam expeditissimam videmus. Alij vero volunt de his arcubus intellexisse Iuu. cum dicit.

Sub-

Subſtitit ad veteres arcus, madidamq; Capenam.

Quod ſi accipimus, Blondi repugnabimus opinioni, niſi velimus bis ſubſtitiſſe. Sed neſcio qua ratione velint Romulum arcus poſuiſſe, cum ea tempeſtate non eſſet adhuc excitandi triumphales arcus conſuetudo. Senatulum, in quo ſenatores conſultandi cauſa conſiſtebant, fuit inter Capitolium & Forum, vbi ædes Concordiæ, vt viſum eſt ſupra. Ouidius autem domum ſuam ſub Capitolio his carminibus poſuiſſe patet.

Hanc ego ſuſpiciens, & ab hac Capitolia cernens,
Quæ noſtro fruſtra iuncta fuere lari.

Quidam volunt fuiſſe prope ædem diuæ Mariæ de conſolatione, Secunda autem parte ſitus Vrbis expedita, Palatinum montem aſcendamus.

CAPVT XXV.

De varia Palatij etymologia.

QVANQVAM Palatinus mons multis iam annis ante Vrbem conditam ædificiis eſſet conueſtitus, ab Roma Itali filia Valentia, ab Euandro deinde arce conſtituta, Vrbeque orta, Reges & Imperatores ſedem inibi habuerunt, vt nihil ſit apud hiſtoricos, aut poetas magis celebratum, attamen eius etymologia tam varia traditur, vt ex multis authoribus, quem ſequaris, habeas neminem. Var. quartæ, inquit, regionis Palatium, quod Palantes, qui cum Euandro venere, qui etiam Palatini, & Aborigines ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi conſederunt. Aliqui vero à Palante proauo Euandri Palatino nomen manſiſſe referunt, ſecundum quos Virgil. ait.

Arcades has oras genus à Palante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus vrbem,
Palantis proaui de nomine palanteum.

Liuius montem hunc à Palateo vrbe Arcadiæ Palantium, deindę Palatium appellatum tradit. Alii à Palatia Latini vxore. Alij quòd Palanto Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum ſuſcepit, hunc incoluerit. Alij à Palantia Euandri filia, ab Hercule vitiata, & illic ſepulta. Alij à Palante, qui & ipſe inibi ſepulcrum eſſet conſecutus. Eundem hunc locum à pecore dictum putant multi, quod paſcens ibi balare conſueuerit. Tibullus:

Sed tunc paſcebant herboſa palatia vaccæ,
Et ſtabant humiles in Iouis arce caſæ.

Vnde Næuius Balantium nominauit. vel quòd palare, id eſt, errare ſolerent armenta. Cephalon autem Gergitius memoriæ prodidit, hominem quendam comitem Æneæ occupato monte, qui nunc Palatinus dicitur, vrbem condidiſſe, Romamque denominaſſe. Tremellius vero Palatinum Romuleum montem vocat, cum inquit: Fuit eius ſtatua in pede montis Romulei ante Sacram viam, inter templum Fauſtinæ, ad arcum Fabianum. Is mons hodie Palatium Maius vocitatur.

CAP. XXVI.

De Victoriæ, Cereris, Junonis Sospitæ, Matris deum, & Libertatis Templo, & eiuſdem Porticu, ac de domo Caſſii.

CVM Romani plurimis victoriis partis, imperij fines propagaſſent, Victoriæ deæ gratiam referentes & quo in futurum proſperos ſucceſſus daret, ei Templum in Palatio conſecrauere, in ea inquam parte, quæ videt hortos diuæ Mariæ nouæ. in infimo cliuo cuius ſupra indicauimus Romulum Romam portam inſtituiſſe. Vbi autem Victoria prius (vt prodidit Antias) Val. Max. inter alios honores domus publice ædificata fuerat.

Licet L. Iginius dicat P. Val. Voleti filio Publicolæ domum, quæ sub Veliserat, vbi postea fuit ædes Victoriæ, ex lege, quam ipse tulerat populum concessisse. De Victoriæ æde meminit & Liuius, L. Posthumius inquit, Cos. ædem Victoriæ, quam Ædilis curulis ex multatitia pecunia faciendam curauerat, dedicauit. Diony. vero scribit in vertice Palatini montis ab Arcadibus, qui cum Euandro venerant, Victoriæ Templum erectum esse, cui deæ anniuersaria fierent sacrificia, ab eisdemque Cereris Ædem, cuius sacra à solis mulieribus celebrarentur. Sed de alia Victoriæ æde intellexisse Diony. & locus, & tempus satis ostendunt. Prope hanc, Ædiculam Victoriæ Virginis posuit Portius Cato, quam biennio ante vouerat. iuxta quam fuit & Iunonis Sospitæ. In Victoriæ templum Matrem Deum Pessinunte oppido Phrygiæ aduectam perlatam fuisse memorant; ibique mansisse donec illi Ædem statuis, columnisque pretiosis cum pauimentis diuersorum lapidum exornatam struxere Romani. Vnde Liuius: ædes Magnæ Matris Ideæ dedicata est; quam deam P. Cor. aduectam ex Asia in Palatium à mari detulerat. Locauerant ædem faciendam M. Liuius C. Claudius Censores. Dedicauit Iunius Brutus. Ludique ob dedicationem eius facti, Megalesia appellati. de quibus Cicer. ita meminit: Nam quid ego de illis ludis loquar, quos in Palatio nostri maiores ante templum in ipso Magnæ matris conspectu Megalensibus fieri, celebrarique voluerunt, qui sunt more, institutisque maxime casti, solennes, religiosi? Aduecta est autem Mater deorum carmine in libris Sibyllinis inuento. Pelli Italia alienigenam hostem posse, si deportata esset Romam. Erat enim lapis, quem incolæ hoc appellabant nomine. Libertatis autem & Templum, & Porticum struxit P. Clodius in parte domus Ciceronis, prope Iouis Statoris templum.

CAP. XXVII.

De Fano, & Ara Febris, Aede Larum, Deæ viriplacæ Sacello, ac de Templo Fidei, & Iouis Victoris Aede.

FANVM febris in Palatio fuisse Val. Max. sic docet: Febrem ad minus nocendum templis colebant, quorum adhuc vnum in Palatio, alterum in ara Marianorum, tertium in summa parte vici Longi in eaque remedia, quæ corporibus ægrotorum annexa fuerant, deferebantur. Docet & Cic. his verbis: Illud profecto confiteamini, longe aliter rem se habere, atque hominum opinio sit, eos enim, qui dij appellantur, rerum naturas esse, non figuras deorum. Qui tantus error fuit, vt pernitiosis etiam rebus non nomen deorum tribueretur, sed etiam sacra constituerentur? Febris enim Fanum in Palatio videmus. Et secundo de lege Ara, inquit, vetus stat in Palatio Febris. Hoc autem notandum secundum Stoicos, vnum esse deum, cui nomina variantur pro actibus, & officijs: vnde etiam duplicis sexus nomina esse dicuntur, vt cum in actu sint, mares sint, fœminæ cum patiendi habent naturam. Aedem Larum idem Cicer. Palatinam facit: sicuti Val. Max. deæ Viriplacæ sacellum: in quo viri & vxores contentione animorum deposita, concordes domum reuertebantur. Agathocles, Diony. ceterique Græci scribunt, Æneam cum Ascanio, & eius filia Rhoma in Italiam venisse, condidisseque in Palatio Templum Fidei, à puellæ nomine dicatum, sub hoc titulo TEMPLVM FIDEI. Orta deinde multis post annis inter Romulum & Remum contentione de nomine vrbis appellandæ. S. P. Q. R. placuisse vrbem Romam à puella nominare, cuius eulogium in templi frontispicio ex inscriptione legissent. Sext. Pomp. refert Romam Æneæ neptem hoc templum posuisse; Numam vero Dion. & Liuius longis post seculis vetustate lapsum Augustus instaurauit. Templum Iouis Victoris à Q. Fabio bello Sabino votum, in eodem Palatino monte fuisse volunt, dedicatumque Idibus Aprilis Ouid. sic:

Occupat Aprilis idus cognomine victor
Iupiter, hoc illo sunt data festa die.

CAP.

CAP. XXVIII.

De Heliogabali, Apollinis, & Penatium Templo, ac de Aede Orci, locoq; Palladii.

ANTONINVS Heliogabalus, Heliogabalum deum in Palatino monte consecrauit, eiq; Templum fecit, eo in loco, vbi prius Orci ædis fuerat, studioseque curauit Matris deum Typum, & Vestæ ignem, Palladium Ancylia, & omnia Romanis veneranda, religionem Iudæorum, & Christianorum deuotionem in illud transferre contendit, agens ne quis deus, nisi Heliogabalus colerctur, auth. Lampridius. Quo in loco cyphum, non typum legendum puto, propter ea, quæ infra sequuntur, videlicet. Et adeo debacchatus est vt cyphum eriperet. Templum Apollinis in ea parte Palatinæ domus Augustus excitauit, quã fulmine ictam desideratit à Deo aruspices pronunciarant, eisq; Porticum auth. Suet. addidit, quam laudat Propertius, & fores templi eburneas facit: super fastigium autem currum solis ex auro splendentem, quatuorq; boues, id est pretidas æneas à Myrione factas in ara, ponit: Ouid. vero in Apollinis Belides, cum ait.

Ducor ad intonsi candida templa dei,
Signa peregrinis vbi sunt alterna columnis
Belides, & stricto stat ferus ense pater.

In hoc Templo Augustus iam senior, sæpe Senatum & decurias iudicum recognouit. In eodem pendebant Lychni instar arboris mala ferentis, vbi probati poetæ scripta sua reponebant, hinc Horatius in arte Poetica.

Scripta Palatini quæcunque reponit Apollo.

Huius autem templi vestigia extare videntur supra circum Maximum propè vineã Fedræ, in qua Tiberiana fuerat Domus.

De Apollinis etymologia plura Plato in Cra. de Apollinaribus vero ludis Mac. in Sat. Ædis deorum Penatium in ea parte Palatini montis fuit, quæ boream spectans, Velia dicebatur. Liuius quinto quintæ dec. De prodigiis deinde nunciatis Senatus est consultus, Ædes deorum Penatium in Velia de cœlo tacta erat. Dion. Templum, inquit, Romæ ostenditur haud procul à foro, in quo sunt deorum Troianorum imagines inscriptionem habentes, D. PENATES. Sunt enim adolescentes duo sedentes, pilam tenentes, veteris artis opera. Timæus autem historicus ferreos & æneos lituos, atq; Troianum vas quoddam fictile esse, scriptum reliquit, Labeo vero Apollinem & Neptunum. Exhausta incendio æde Vestæ, in Veliam translatum fuit Palladium, à quo ecclesia S. Andreæ inibi sita cognomen deinde accepit, in Pallaria enim vocatur. Memorant quidam Liuiam, D. Augusto templum in Palatio erexisse.

CAP. XXIX.

De domibus Palatinis, & Saliorum Curia.

CVM Romulus & Remus vitam pastoralem agerent, sæpe ex lignis, & harundinibus tabernas struxere, quarũ vnam scribit Dion. ætate sua fuisse in angulo ex Palatio in circumducente, Casam Romuli dictam, per multasque ætates mansisse, & si quid vetustate, aut alio quouis casu corruisset, custodes loci nihil magnificentius addentes, verum omnia prioribus restituentes, reficere consueuisse. Quo in loco hunc Virgilii de mantaco ciuis Rom. domuncula visitur. Tullus autem Hostilius, priusquam Curiam condidisset, in Velia domum habuit, vbi postea fuit ædes prædicta deorum Penatium, auth. Solinus: Catilinæ vero haud procul hinc, in ea parte Palatii, quæ videt forum Romanum, & inde ad M. Scauri breuis transitus. de qua Asc. sic inquit: Demõstrasse vobis memini hanc domum in ea parte Palatii esse, quæ cum ab Sacra via discesseris, & per proximum vicum,

qui est ab sinistra parte, prodieris, posita est. Domum Ciceronis emptam vicies sextertio à L. Crasso volunt fuisse supra ædem Iouis Statoris: Et certe in celeberrima Palatini montis parte erat, propeque Palatium sita. vt pro domo sua ipse Cic. his verbis testatur: Domus ardebat in Palatio, non fortuito, sed oblato incendio, & infra: In conspectu totius Vrbis domus est mea. Admonendi autem estis eo in loco, vbi dicit: Ardebat in Palatio, non accipi secundum nunc vulgi opinionem pro monte Palatino, cum iis temporibus Palatium exiguam eius partem occuparet: neque etiam significare domum Ciceronis intra Palatium ipsum comprehensam, sed inuidiose additum esse in Palatio, ac si diceret Orator: Catilina in comburendo domum meam adeo ira erat accensus, & furore amens, vt nullam prorsus rationem haberet locorum publicorum, & ipsius Palatij, cui eadem domus mea fuerat iuncta. Iuxta quam ponit domum M. Flacci: qua euersa Q. Catulus de manubriis Cimbricis Porticum extruxit. Crassi oratoris, & Viturbij Domos in Palatio euersas fuisse L. Æmilio Mamerco, & C. Plantio Coss. Plin. est auth. Vani ducis domum in Palatio statuit Liuius. Sicut Augustanam Tiberianamque Cor. Tac. de quibus superiori capite memini. Augustanam autem ab Augusto, qui vt scribit Sueton. natus est in regione Palatij ad capita Bubula, vbi nunc inquit, Sacrarium habet, aliquanto postquam excessit constitutum. Et alibi refert primo iuxta forum Romanum, supra scalas Annularias in domo, quæ Calui Oratoris fuerat, habitauisse, postea in Palatio, nihilominus ædibus modicis Hortensianis. De Tiberiana idem Cor. mentionem sic facit: Otho ex æde Apollinis discedens per Tiberianam domum ad Miliarium aureum peregit. Curia Saliorum in Palatio, quæ cum flagrasset inuentus est Lituus Romuli illæsus, auth. Cic. Plut. vt L. Iginius, tradit Publicolam domam habuisse Subueliam nuncupatam, foroque imminentem. Tarquinij vero Prisci domus ad Iouis Statoris templum fuit. Liuius: Quum clamor, impetusque multitudinis vix sustineri posset, ex superiore parte ædium per fenestras in viam Nouam versus (habitabat enim rex ad Iouis Statoris ædem) populum Tanaquil alloquitur. Ser. ait Augustum, post Actiacum bellum, Palatium ex suo præcepto ædificatum, quum esset domus priuata, reipub. donauisse.

CAP. XXX.

De Summa Velia, statuis Palatinis, aliisq; rebus in genere.

VELIAM Summam ad eam Palatij partem, quæ celsior versa est in ortum æstiuum, diuæque Mariæ Nouæ ædem fuisse, diximus; cui, vt vult Var. ex eo inditum est nomen, quod ibi pastores Palatini, ante tonsuram inuentam, vellere lanam consueuerint. Augustus in Palatio iuxta Fidei Templum Bibliothecam exstruxit latinam, græcamque cum Porticu, quæ Palatina dicebatur, in qua Senatus statuam Numeriano Imper. posuit, cum inscriptione:

DIVO NVMERIANO ORATORI POTENTISSIMO.

Statua M. Var. viuentis adhuc eandem porticum exornauit, teste Pollione: Bibliothecam v. Apollinis, Colossus Thuscanicus L. pedū à pollice ære nobilior, an pulchritudine, dubium. Fuit in Palatio Auguratorium, id est locus vbi auguria captabantur: & Apollo cognomento Palatinus, opus Scopæ, Latonaque in palatij delubro, vt ait Plin. Suet. commemorat Titum Imp. statuam auream Britannico in palatio posuisse. Arbor fuit in eodem Palatino nata ex hasta Romuli, qui captato augurio hastam ipsam de Auentino monte in Palatinum iecit, quæ fixa fronduit, & arborem fecit: Laurusque nata eo die, quo Augustus: vnde triumphantes coronari consueuerunt, Balneæ quoque, quas Cicero pro Roscio palatinas appellat, cuius vestigia exstant supra circum Maximum, haud procul à vinea Fedræ. Iulius Capitolinus refert locum fuisse in eodem monte, qui Sicilia dicebatur: & alterum, qui Iouis Cenatio: & Lampridius Plateas pulcherrimas saxis Lacedæmoniis, ac por-

ac porphyreticis ſtratas, quas Antonianas vocauit. Quæ ſaxa, inquit, vſq; ad noſtram memoriam manſerunt, ſed nuper eruta & execta ſunt. Fuit in colle Palatino Vicus Padi, & Fortunæ reſpicientis, inibiq; feriæ celebrabantur, in quibus ſacrificium, quod fiebat, Palatual dicebatur, auth. Antiſtius Labeo.

CAP. XXXI.

De Palatio nunc Maiori, Atrio, & veteri Porta ipſius Palatii.

QVALIS autem & quanta fuerit Palatii moles, & pulchritudo indicant ruinæ ingentes, quæ ibi conſpiciuntur, indicant & picturæ, ſtatuæque præclariſſimæ, precioſæque columnæ in eo repertæ. Quis autem tanta ædificia auxerit, nullus, inquit, Blon. ſcribit, quod nulla alia ratione factum crediderim, quam quod vnuſquiſque, nulla inſigni conſtructione facta, particulas reddidit, quas ſcriptores, vt parum dignas, mandare literis omiſerunt. Nos autem diximus Auguſtum ſuam priuatam domum reip. donauiſſe, quæ iuncta fuerat Palatio. Præterea Plin. prodidit Caligulam partem Palatii ad forum vſque promouiſſe, ſeque bis vidiſſe Vrbem totam cingi duabus domibus duorum principum, ſcilicet Caligulæ & Neronis. Caligula autem in eo promouendo effecit, vt ædes Caſtoris & Pollucis, quæ erat in medio foro, eregione veſtibuli ſuarum ædium eſſet. Sed quod ſcribit Blon. de Palatio Maiori, id quoque de Palatio Vaticano nunc dicere poſſemus. Atrium autem Palatium habuit augurato conditum, in quo conſulebatur Senatus, arieteſque immolabantur. Palati vetus porta ad quam bello Sabino fuſos eſſe Romanos commemorat Liuius, fuit prope Roſtra, & ſi quis ad illius verba diligenter attenderit, nullibi, quam eregione ædis Diui Laurentii in Miranda exiſtimabit. Quidam hanc Romuli portam appellant. Palatinus autem collis præter vnam atque alteram domunculam & ædem, S. Andreæ prædictam, nullum nunc habet ædificium: totus enim vinetis plenus, aut paſcuus ager, non ouibus magis, quam caballis & capris eſt relictus, vt vere Balantium poſſit nominari.

CAP. XXXII.

De Templo Jani, Auguſti & Fauſtinæ.

PARTEM quartam ſitus Vrbis aggredientes, à rebus diuinis, diiſque immortalibus principium facturi rite videmur, in primiſque ab eo, qui omnium rerum ianua habetur, hoc eſt, à Iano, cuius templum præter Capitolinum, aliud in foro Tranſitorio fuiſſe, ſic probat Ser. Captis Faliſcis, ciuitate Thuſciæ, inuentum eſt ſimulacrum Iani cum frontibus quatuor, (fuerat enim bifrons apud theatrum Marcelli) vnde quod Numa inſtituerat tranſlatum eſt ad forum Tranſitorium, & quatuor portarum vnum templum inſtitutum: In qua autem parte fori, parum liquet; ſed crediderim in ea, quæ in fo. Rom. eſt verſa, propè Baſilicam Pauli, vt ſequatur quod ait Mar.

Et fora tot numeras Iane, quot ora geris.

Procopius tradit ætate ſua iam templum fuiſſe in medio foro ex aduerſo Capitolii, paulo ſupra eum locum, quem tunc Romani, tres Parcas appellabant. Erat, inquit, ſacellum totum ex ære conſtitutum, quadrata quadam dimenſione, tantæq; amplitudinis: quãta integri Iani ſtatua poterat æne- quinquepedalis capi, capite dumtaxat bifrons; portæ vtrinque æneæ, quæ pacis tempore claudebantur; inſtante autem bello aperiebantur,

vocabaturq; Ianus Geminus. Verum alterum erat ab eo, de quo Ser. quia, vt diximus, plures fuere Iani. De quadrifronte autem intellexit Mar. cum dixit,

Et lingua pariter locutus omni.

Nam omnes de duobus non dicitur. Templum Augusti in fo. Rom. positum erat, quod Tyberio imperante imperfectum Caligula absoluit, ponteque super ipsum transmisso Capitolium Palatio coniunxit. vnde ex tribus columnis eius pontis propè Palatinum montem, & totidem ad radices Capitolii adhuc erectis, facilè possumus coniicere, vbi nam esset Augusti templum, super quod pontem transmiserit Caligula. Vestigia Templi Faustinæ, quam Antoninus maritus permisit diuinis honoribus à senatu coli delatis Circensibus, Flaminibusque, multa, insigniaq; extare videmus, post hunc ecclesiam S. Laurentii in Miranda. De quo Spartianus sic meminit. Inter deos relatus est, habet templum, habet Salios, habet sodales Antonianos, qui Faustinæ templum, quod ei sub tauri radicibus fundauerat maritus; in quo postea filius huius Heliogabalus Antoninus sibi, vel Ioui Syrio, vel Soli incertum, id est, templum fecit.

CAP. XXXIII.

De Castoris & Pollucis templo.

CAstoris & Pollucis templum in fo. Rom. ab omnibus scriptoribus collocatur. Lucretio Oteliæ consulatum petenti Sylla impedimento erat: ille autem solicitatus à multis in forum venerat, quem missus ab eo centurio iugulauit; ipse in Castoris æde sedens cædem è suggesto superne spectabat, Plut. Martius de Hernicis triumphans in Vrbem rediit, statuaque equestris in foro decreta est, quæ ante templum Castoris posita est; Liuius: Nonne ab A. Posthumio ædem Castori, & Polluci in foro dicatam vides? Cicero. In qua autem parte fori permagna est dubitatio, & inter antiquæ Vrbis scriptores varia opinio. Volateranus vbi Diui Cosmæ & Damiani est ecclesia, ponit. Pomponius verò Lætus, certum non signans locum, in fine fori. Quidam in via Sacra, Fuluius sub Palatio iuxta Iuturnæ fontem, vbi nos Iouis Statoris templum; cui videntur adstipulari Diony. verba quæ sequuntur: Huius autem inopinatæ, adeo mirabilisque apparitionis cum signa adhuc Romæ multa, tum verò est ædes Pollucis, & Castoris, quam supra foro exstruxit ciuitas, vbi visa sunt illorum simulacra; & rursus: Specie pugilum, equosq; madidos sudore ad scaturiginem, iuxta ædem Vestæ manantem, abluisse ait: Ouidius locum tetigit his carminibus,

Fratribus illa dies, fratres de gente deorum,
Iuxta Iuturnæ composuere lacus.

Vnde cum Diony. dicit ædem ipsam structam vbi illorum visa fuerant simulacra, & subiungit, iuxta ædem Vestæ, cum Ful. vt diximus, videtur conuenire, à Blon. verò discrepare. Var. namque, inquit Blon. cum dixisset, Tullum Hostilium curiam Hostiliam ædificauisse, sic sequitur: Ante hanc Rostra, sub dextera huius Comitio locus substructus, vbi nationum subsisterent Legati; qui ad Senatum essent missi, hinc Græcostasis à parte, vt multa: Senaculum supra Græcostasim, vbi ædes Concordiæ, & Basilica Opima. Qui ergo descriptum supra à nobis forum Romanum cognoscit, & Var. verba considerat, facile intelliget Rostra templum ad radices Palatii fuisse, vbi nunc est parua S. Mariæ de Inferno ecclesia. Si igitur & Castoris templum ad radices Palatii, vbi Ful. ponimus: non video quomodo habebit Rostra eregione, quemadmodum vult Plin. cuius verba hæc sunt. Ex his Romuli sine tunica, sicut & Camilli in Rostris, ante ædem Castorum fuit. Cic. in Ver. locutus de Castoris templo, eiusq; columnis subdit: Qui ædem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris, quam Pop. Rom. quotidie, iudices etiam tum, cum de te sententiam ferrent, viderent. Et cum sententiæ in Rostris ferre solerent, patet quod Plin. etiam testatur, Castoris ædem ante Rostra, videlicet apud Faustinæ templum, nunc S. Laurentii in Miranda,

Miranda, fuisse. Quo in loco paucis diebus ante Vrbis direptionem à barbaris factam, vidimus marmora mira arte sculpta, columnasque pulcherrimas effodi, vt existimem eas esse columnas, eaque esse ornamenta, de quibus memini Cic. multa loqui. Quod nisi velimus ibi Castoris ædem, vt par est, collocare; necesse est, secundum Ful. alibi, quam in radice Palatii, Rostra statuere; non enim procedit, quod vtrumque sit ad radices Palatini montis, & Rostra ante ædem Castorum. Si autem eandem ædem apud Vestæ libet ponere: dicendum duas fuisse apud forum, quarum alteram A. Posthumius dictator bello Latino vouit, eiusq; filius duumuir creatus dicauit. Alteram L. Metellus Dalmaticus de manubiis posuit; quanquam Asc. dicit Metellum instauraſſe, non posuisse. Non desunt autem qui ædem Diuo Cosmæ & Damiano nunc sacram, Castori & Polluci attribuant: quorum templum cum maximum, nobilissimumque, ac multis columnis exornatum fuisse in Verrem, vt dixi, ostendat Cicero, horum opinionem refutamus: Cosmæ enim & Damiani talium columnarum nullum præ se fert vestigium, aut signum. Huius ædis gradus reuulsos à Clodio memorat idem author pro domo sua, & pro Sex. Qui alibi etiam S. C. concionesque in eadem sæpe habitas esse docet. Fuit autem statuis & nobili pictura à Cæcilio Metello perbelle exornatum, qui, vt refert Plu. Floræ simulacrum pulchritudine insigne in eodem posuit. Inerat & tabula monimentum ciuitatis equitibus campanis datæ.

CAP. XXXIV.

De Cæsaris & Veneris Genetricis Templo, eiusdemq; Veneris Atrio.

DIVVS autem Cæsar Templum prope forum suum habuisse dicitur, de quo Cor. Tac. sic meminit. Ante ædem Diui Iulii iacuit primo ictu: loquitur enim de Galba ad lacum Curtium interfecto. Plin. narrat Augustum in Templo Cæsaris patris Castores, ac Victoriam posuisse. In eodem foro Veneris Genetricis Templum statuit Appianus: Post victoriam, inquit, contra Pompeium Cæsar Atrium templo Veneris circumduxit, quod Hadrianus longo tempore post instauravit. Nam, vt scribit Dion. Apollodoro architecto descriptionem, & formam templi Veneris misit, significans sine illius opera, & ministerio etiã ingentia ædificia exstrui posse. Quærebat itaq; an ædificium illud recte & commode se haberet. Rescripsit de templo, sublime illud, & concauum fieri oportere, vt ex loco superiori in Sacram vsque viam insignior prospectus esset, & magis conspicuum concauum ad excipiendas ludorum machinas, quæ in eo loco latenter compingi, & item ex occulto in theatrum duci possent. Quod si aliud fuit ab eo, quod posuit Cæsar votum bello Pharsalico, fuit omnino prope viam Sacram, sicut & Cæsaris, videlicet post Faustinæ templum, nunc S. Laurentii in Miranda. Augustus Ædem Martis Vltoris bello Philippensi votam in suo excitauit foro, de qua Suet. ita meminit: Publica opera plurima exstruxit, è quibus præcipua forum cum æde Martis Vltoris meminit & Ouidius his carminibus,

Vltor ad ipse suos cælo descendit honores,
Templaque in Augusto conspicienda foro.

Plin. autem dicit se vidisse Scyphos è ferro dicatos in eodem templo, antequeipsum duas Statuas, Alexandri Magni tabernaculum sustinentes. Cor. vero Tac. Senatores decreuisse vt Germanicus, atq; Drusus ouantes Vrbem introirent, circumq; latera eiusdem templi structos esse arcus cum effigie Cæsarum. Arbitramur autem Martis Diuæ Martinæ cessisse templo, aut certe prope fuisse.

CAP.

CAP. XXXV.

De Volcani, Concordiæ, Pacis, Romuli, ac Veneris Cloacinæ Templo.

VOLCANI Templum supra Comitium locauit Sex. Pomp. eius sunt hæc verba. Statua Ludienis, qui quondam fulmine ictus in circo, sepultus est in Ianiculo, cuius ossa postea ex prodigiis, oraculorumque responsis Senatus decreto intra Vrbem relata, in Volcanali, quod est supra Comitium, obruta sunt. Et cum Comitium, vt videbimus, sit intra Palatinum montem, Romuli & Remi, atque Pacis templum dicimus Volcani ad radices Palatini eregione ferme eiusdem Pacis fuisse. Dionys. de Tatio & Romulo loquens. Tractantes, inquit, in Volcani templo negotia, quod superstat Foro. Hinc constat Volcani ædem in Vrbe Romulum posuisse, contra Blondi opinionem, qui scribit Romulum existimauisse Volcanum quidem colendum; sed, ne Vrbs incendiis esset exposita, Vrbe excludendum. cui suffragari Vitruuii hæc verba videntur: Extra murum Veneris, Volcani, Martis phana ideo collocari, vti non assuescat in Vrbe venerea libido, Volcaniq; vis è mœnibus, religionibus & sacrificiis euocata, à timore incendiorum videantur liberari. Quod si consideremus tempora, inueniemus Vitruuium quidem cum Pompeio & Dion. optimè conuenire, Blondum verò non rectè sensisse: Nam Romuli ætate cum mille, vt ait Plut. domus tantum essent, admodum in eo ambitu raræ, non erat metu incendii Volcanus Vrbe excludendus, sicuti, vt hominum, ita ædificiorum Vrbe aucta; Verùm si Blon. in locorum descriptione rationem temporis habuisset, quia aliter, vt ipse vult, in primis conditæ Vrbis, & nascentis reip. temporibus: aliter nata, & aucta rerum opulentia ædificatum sit, non tam facilè in hunc incidisset errorem. Volcani templum dedicauit Tatius vt Solis & Lunæ, Saturni, Rheæ, Vestæ, Dianæ, Quirini. Idem Diony. tradit, sicut & Plut. Romulum secundum triumphum ducentem currum æreum templo Volcani obtulisse, eumq; prope effigiem sui ipsius collocasse, Coclitisque Statuam in eo positam esse, & conciones solitas haberi. In huius autem area Concordiæ Templum statuit Sex. Pomp. & Plin. Sic intelligit de eo, quod Fuluius ille, libertino patre natus, vouit, si populo reconciliasset ordinem Senatorum, & equestrem, structum annis CCCIII. post Capitolinum, summa inuidia nobilium, ex multaticia pecunia fœneratoribus condemnatis, in radice Palatini montis fuisse opinamur: non autem in Palatio, vt putat Blon. sequeretur enim, secundum ipsum, in eodem monte fuisse, & Volcani, quod adduci ad suspicanda nullo modo possum, cum in Concordiæ area à dictis auth. collocatum sit. Insecuto verò tempore Graccho, & Fuluio trucidatis, templum hoc instauratum fuit ab Opimio Cos. summo populi dolore; Vnde noctu inscriptum fuit. OPVS VECORDIÆ TEMPLVM CONCORDIÆ FECIT. Appianus ait iussu Senatus erectum esse. In huius autem area Liuius refert C. Bebio Pamphilo, & L. Æmilio Coss. per biduum sanguine pluisse. Concordiæ templum erexit & Liuia Drusilla, ob viri cum ea concordiam, quod Tiberius dedicauit, Suet. meminit, & Ouid. ita:

Templaque fecisti, quam colis ipse, deæ,
Hæc tua constituit genetrix, & rebus, & ara.

Quod in porticu Liuiæ his carminibus collocasse ostendit.

Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Liuia, quam charo præstitit illa viro.

Quo in loco deinde Vespasianus mira celeritate Templum Pacis, à Claudio prius inchoatum, post bella ciuilia ædificauit. cuius templi pars propè diuæ Mariæ ædem adhuc exstare videmus. Fecit inquit Suetoni. noua opera templum Pacis foro proximum, & Iosephus; Post triumphum, & Romani Imperii firmissimum statum Paci templum ædificauit. Fuit autem hoc templum maximum longitudine, & latitudine, quadrata forma, maximis, pulcherrimisque exornatum columnis, quarum vna ibidem adhuc est erecta tantæ crassi-

crassitudinis, vt tribus vlnis vix amplectatur. In eodem templo, vasa, & ornamenta templi Hierosolymi triumpho Titi aduecta reposuit Vespasianus; & vniuersa donaria in eo consecrauit, auth. diuus Hierony. Veneremque dedicauit. Incendio autem exhaustum esse tempore Commodi Imp. scibit Herodianus in hæc verba. Nam cum neque imbres, neque nubes, tantumque exiguus terræ motus antecessit, seu nocturni casu fulminis, seu igni aliquo in ipso terrarum motu veluti extrito totum de improuiso Pacis templum consumptum incendio est, quod vnum scilicet opus cunctorum tota vrbe maximum fuit, atque pulcherrimum: idem templorum omnium opulentissimum, egregieque munitum, multoque ornatum auro, & argento. Quippe vniuersi ferme illuc diuitias, quasi in thesaurum, congerebant. In Pacis Ganimedis Statuam fuisse ostendit Iuu. cum inquit.

Et Ganimedem Pacis, & aduectæ secreta palatia matris.

Aram autem Pacis primus excitauit Augustus; auxit deinde Agrippa. Ouid.

Ipsum nos carmen deduxit pacis ad aram,
Hæc erit à mensis fine secunda dies.

Quo autem in loco parum liquet. Intra Pacis, & Faustinæ exstat antiquissimum Templum, & eius porticus duę columnæ, nunc diuis Cosmæ, Damianoq; dicatum, quod. P. Vic. Remi fuisse significat: Petrus vero Lateran. bibliothecarius, & alij, Romuli, siue Quirini & Remi. idque à Caruilio Cos. victis Samnitibus dedicatum est, atque spoliis hostium exornatum: quorum tanta fuit copia, vt non modo templum hoc, & forum, sed etiam sociis ad templorum publicorumque locorum ornatum diuiderentur, author Liuius. Var. vero vult Tatium regem Quirini dedicauisse templum: sed de eo intellexisse arbitror, cui ad radices Palatini montis, locum dedimus. Hoc autem habet primam partem in ipso ingressu circularem cum testudine, & foramine, sicut Pantheon, æneas quoque valuas, quæ prius signis æreisque ornamentis erant conspicuæ. Sed quæ olim ad ornatum erant maxime, nunc tantum ad claudendum factæ esse videntur. Veneris Cloacinæ Ædem prope sacram viam statuit Ouid. in fast. Cloacinæ autem Simulacrum in Cloaca maxima repertum consecrauit Tatius rex. & quia cuius esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit.

CAP. XXXVI.

De Telluris, Salutis, Victoriæ, Solis & Lunæ templo, de domo Cassij; & de Armamentario.

TEMPLVM Telluris, quod in quarta regione antiquæ vrbis constituit P. Victor, Palatio propius, quam Exquilijs fuisse putat Ful. Aliqui vero in Suburra, vbi nunc Ecclesia S. Saluatoris in Tellure, eregione diui Petri in vinculis. At Ser. super eo hemistichio: Lautis mugire carinis, contra Fuluij opinionem, videtur prope Exquilias collocasse, dicens Carinas intra templum Telluris esse. Quare ego crediderim fuisse prope cliuum, qui ducit ad prædictam diui Petri ædem. vbi nunc ecclesia diui Pantaleonis: cui opinioni adstipulantur quæ sequuntur Dionysi. verba. Post Cassii mortem domus eius euersa fuit, & hucusque sub dialis dimittitur. is locus extra ædem Telluris, quã postea exstruxit ciuitas in parte quadam eius, secundum eam viam, qua itur ad Carinas. Patet ergo Fuluium, & reliquos antiquitatis authores locum ignorasse. Sempronium autem hoc templum vouisse probat L. Florus sic: Domiti hinc Picentes. Sed caput gentis Asculum Sempronio duce, Qui trementę inter prælium campo, Tellurem deam promissa æde placauit. Val. autem Max. ait S. P. Q. R. hanc ipsam ædem designauisse in area ædium Cassij regnum affectantis, in qua patres frequenti senatu de rebus dubiis consultare solerent. quod Cic. pluribus in locis testatur, sed in ph. sic. Te autem M. Antoni appello vnum illum diem, quo in ædem Telluris senatus fuit. Ad Q. Fratrem autem inquit. De Telluris æde, & porticu Q. Catuli me admones, fit vtrunque diligenter; ad Telluris quidem etiam tuam Statuam locaui:

caui:& pro domo ſua, Sp. Caſſij domus ob eandem cauſam euerſa eſt , atque in eodem loco ædes poſita Telluris. Alibi vero ad Telluris Armamentarium fuiſſe ſic memorat. Putant enim nonnulli ad me pertinere Armamentarium Telluris aperire. In hoc ambitu fuit Salutis Ædes, vota bello Samnitico à C. Iunio Bibaculo Coſ. ab eodemque Cenſore locata, & Dictatore dicata. Liuius author. Habuit hæc pars ſitus Vrbis Victoriæ Ædem, quam prope forum L. Volumnius Ædilis ex multatitia pecunia faciendam curauit. Habuit & Apollinis Aram, de qua meminit Solinus, & Liuius. Pomp. Lætus vult Concordiæ, & Æſculapij templum fuiſſe in hortis diuæ Mariæ Nouæ, verſus Amphiteatrum: Iſidis autem & Serapidis autumat Fuluius, quod P. Victor ſcribit tertiæ Vrbis regionem fuiſſe Iſidis, & Serapidis, in qua ea ſunt templa. & quod Vitruuius ita dicit: Templa diis ſic diſtribuenda, Mercurio in foro, Iſidis & Serapidis in emporio: quodque Var. innuit emporium ibi fuiſſe ſic; huiuſce, inquam, pomarij ſumma Sacra via. Ego vero Solis, & Lunæ crediderim, cum ex duabus teſtudinibus duorum templorum videamus alteram ortum ſolis: alteram vero occaſum ſpectare, Varroque tradat Tatium regem Solis, Lunæ, & Volcani ædes dedicauiſſe, quæ inuicem prope erant.

CAP. XXXVII.

De Foro Traiani, & de ijs quæ in eo fuere, vel ſunt.

INSTAVRATIS maxime locis ſacris, ac renouatis, quæ ad hominum memoriam , & laudem ſpectant, breuiter reſtituamus , ab optimoque illo Traiano auſpicemur. Traiani igitur Forum fuit inter Neruæ, Capitolium, & collem Quirinalem, cuius architectum Appollodorum fuiſſe, his verbis oſtendit Dionyſi. Hadrianus Appollodorum architectum , qui Traiani forum Metodeum, & Gymnaſium, illo iubente, fabricauerat, primum Vrbe expulit: poſtea interfecit. Huius autem fori tectum æneum fuiſſe, ſcribit Pauſ. Gellius, in foro, inquit, Traiani ſimulacra ſunt ſita circumundique inaurata equorum , atque ſignorum militarium, ſubſcriptumque eſt, ex manubijs. Quæ ſimulacra ob aliquod in remp. meritum ſumptu publico locari conſueuiſſe , oſtendit titulus exciſus in marmore, in eodem foro reperto, qui eſt talis.

ANNIO PAVLINO IVN. PROCOS. ASIÆ ET HELLESPONTI COS. ORDINARIO PRÆFEC. VRBI VICE SACRA IVDICANTI OB MERITVM NOBILITATIS ELOQVII IVSTICIÆ ATQVE CENSVRÆ QVI PRIVATIM ET PVBLICE CLARVS EST PETITV PO. ROM. TESTIMONIO SENATVS IVDICIO D. D. N. N. TRIVMPHATORVM AVGG. CÆSARVMQ. STATVAM SECVNDAM AVRO PERFVSAM LOCARI SVMPTV PVBLICO PLACVIT.

Huius autem Porticus cum ampliſſimis, excelſisque columnis, magnisque epiſtyliis tantam afferebat intuentibus admirationem , vt non hominum, ſed Gigantum manu omnia facta crederentur, in qua ſummorum virorum ſtatuas pulchertimas vndique ab Alexandro Seuero translatas fuiſſe admonet Lampridius. Ad quem nempe locum cum Cõſtans Conſtantini filius peruenisſet , ſingularem ſtructuram primum attonitus cernens, perque giganteos contextus circunferens mentem , omniſpe talia conficiendi amota, Traiani equum ſolum locatum in atrij medio imitari ſe velle dicebat: cui regalis Ormiſda reſpondit. Stabulum prius tale condas. Huius autem equi imaginem in eius numiſmatibus vidimus, cum hoc indice.

S. P. Q. R.
OPTIMO PRINCIPI

Ex columnis vero, quas diximus, duæ miræ magnitudinis ſub tellure adhuc iacẽt prope eccleſiam S. Mariæ cognomento Loreti. Forum autem exornauit etiam Arcus triumphalis

phalis eiuſdem principis, de quo Diony. ſic loquitur. Triumphalis tunc arcus, præter alia multa, quæ in honorem eius, & decreta & facta fuerant, in illius foro ſubſtructus eſt. Traianus quidem inibi Palatium etiam variis marmoribus, intus vero picturis, ſtatuiſq; exornatum habuiſſe dicitur: Vopiſcus vero ſcribit Aurelianum Imperat. iuſſiſſe tabulas publicas ad priuatorum ſeueritatē in Traiani foro exuri. In cuius medio ſtat adhuc Cochlidis eius Columna, in qua circumquaque rerum geſtarum Simulacra ipſius mira arte cælata viſuntur: & in primis Dacicum bellum. Intus vero gradus centum octuaginta quinq; in eius faſtigium præbent aſcenſum, habet autem feneſtellas quadraginta quinque: altitudinem vero pedum centum viginti octo, vel, vt ſcribit Eutropius, centum quadraginta: in ſummo Traiani oſſa aurea pila condita fuere: quanquam Diony. ait Hadrianum in Columna oſſa Traiani condidiſſe, cuius ſunt hæc verba: Ingentem Columnam in Foro ſtatuit, ſiue vt ea pro ſepulcro eſſet, ſiue in oſtentationem eius operis, quod ille circa Forum egit. Cliuus ſurgebat, quem effoſſa quoquo verſus terra ita complanauit, vt vndique Columna conſpiceretur, forumque deinde in areæ modum æquatum manſit. Hanc autem Columnam Traiano bellum gerenti apud Parthos Senatum dedicauiſſe, ipſumque principem eam non vidiſſe ferunt. nam è Perſis rediens apud Seleuciam Syriæ Vrbem fluxu ſanguinis deceſſit. Hunc vero ſolum omnium Imperatorum in Vrbe ſepultum eſſe tradit Eutropius. Quod autem in Columna ratio eſt. quia apud maiores, principes, nobileſque ſub montibus ſepeliebantur. Hinc Virgil.

Monte ſub aerio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur.

Et cum in omnibus locis, vbi erant ſepulcra excitanda, non eſſent montes, natum eſt vt ſuper cadauera, aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur Columnæ, quæ licet propriè ſint, quæ culmen ſuſtinent, tamen & ad magnificentiam erectæ hoc nomine appellantur; qualis hæc, in cuius baſi talia leguntur.

S. P. Q. R. IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ NERVÆ TRAIANO AVG. GERM. DACICO PONTIF. MAXIMO. TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P. AD DECLARANDVM QVANTÆ ALTITVDINIS MONS ET LOCVS TANTIS OPERIBVS SIT EGESTVS.

CAP. XXXVIII.

De Foro, Palatio, & Porticu Neruæ.

NERVÆ autem Forum occurrit poſt ædem nunc S. Hadriani in tribus foris, in medio cuius columna ænea ingentis magnitudinis exiſtens, tectum ex liminis aurichalci extructum, ſuſtinebat, intrinſecus vero lumen erat ambiguum, auth. Pauſ. Hoc forum iam antea inchoauerat Domitianus. Suet. Nouam, inquit, excitauit ædem in Capitolio Ioui cuſtodi, & forum, quod nunc Neruæ vocatur. Fuiſſe autem variis columnis, & ſtatuis exornatum teſtatur Spartianus de Alexandro Seuero loquens, his verbis: Statuas iocoſas vel pedeſtres nudas, vel equeſtres Diuis Imperatoribus in foro Neruæ, quod nunc Tranſitorium dicitur, locabat. omnibus cum titulis & columnis æreis, quæ geſtorum ordinem continerent. Tranſitorii inde traxit nomen, quod ab eo in Auguſti Cæſaris, & Romanum forum tranſiretur. Exſtare enim adhuc videtur pars Porticus ipſius fori incendio abſumpta, cum quibuſdam columnis excelſis & pulcherrimis, vbi literæ leguntur titulos Neruæ præ ſe ferentes, quæ ſunt huiuſmodi. IMP. NERVA CÆSAR. TRIB. POTEST. II. IMP. II. collapſis epiſtyliis deſunt nonnulla. is locus corrupto vocabulo pro arcu Neruæ, Arca Noei dicitur. Eiuſdem Neruæ Palatii pars ex lapidib. quadratis, ingenteſque columnæ cernuntur adhuc inter Comitium, & Militiæ turrim, cum Eccleſia S. Baſilii incluſa.

CAP. XXXIX.

De Secretario Populi Romani, Arcu Septimij, Templo Saturni, ac de Ærario, & Officina cudendi pecuniam.

POST autem Marforij ſimulacrum, eregione arcus Septimij, ſequitur ædes Diuæ Martinæ nunc ſacra vbi olim Secretarium populi Romani fuiſſe in marmore inciſus index probat huiuſmodi.

SALVIS. DD. NN. HONORIO ET THEODOSIO VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS. SECRETARIVM AMPLISSIMI SENATVS QVOD VIR INLVSTRIS FLAVIANVS ANNIVS INSTITVERAT: ET FATALIS IGNIS ABSVMPSIT: FLAVIVS ANNIVS EVGARIVS EPIFANIVS. VC. PRÆF. VRB. VICE SACRA IVD. REPARAVIT. ET AD PRISTINAM FACIEM REDVXIT.

Eregione huiuſce ædis ad radices rupis Tarpeiæ ſtat adhuc Arcus, vt diximus L. Septimij, omnium pulcherrimus, & parum mutilatus: in vtroque frontiſpicio cuius inciſæ ſunt alatæ victoriæ cum Trophæis, & terreſtris, naualisque belli ſimulacra, cum hac inſcriptione.

IMP. CÆS. LVCIO SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PERTINACI AVG. PATRIPATRIÆ. PARTHICO. ARABICO. ET PARTHICO ADIABENICO PONTIF. MAXIMO TRIBVNIC. POTEST. XI IMP. XI. COS. III. PROCOS. ET IMPER. CÆSA. M. AVRELI. L. LIL. ANTONINO AVG. PIO FELICI TRIBVNIC. POTEST. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS FORTISSIMISQVE PRINCIPIBVS. OB REMPVBLICAM RESTITVTAM IMPERIVMQVE POPVLI ROMANI PROPAGATVM INSIGNIBVS VIRTVTIBVS EORVM DOMI FORISQVE.

S. P. Q. R.

Habet hic arcus à latere marmoreos gradus, per quos ego multoties euaſi ad faſtigium. Illud autem ſciendum Seuerum triumphum reſpuiſſe, ne de ciuili victoria videretur triumphare, tum etiam quod morbo articulari in curru haud facile conſiſtere poterat. Sequitur ſtatim recta nunc Diui Hadriani, olim Saturni Templum à Numatio Planco conditum, auth. Suet. vel inſtauratum, quia conſtat antiquiſſimum eſſe. Et quidam dicunt inſcriptionem locationis accepiſſe T. Largium. Var. autem L. Tarquinium regem. ipſum Largium dedicauiſſe. Liuius vero A. Sempronio & M. Minutio Coſſ. ait eſſe dedicatum, & à Planco reſtitutum. In quod ex Capitolino ærarium Po. Ro. translatum ferunt, vt etiam Aſc. ſignificare videtur his verbis: Dum teſtes examinarentur (agebatur enim cauſa pro Roſtris) Pompeius ad Ærarium ſedens tumultu Clodianæ multitudinis perturbatur, & mox: Euntibus ad tabellam ferendam poſtero die iudicibus, clauſæ fuere tota vrbe tabernæ. præſidia in foro & circa omnes fori aditus Pompeius diſpoſuit; ipſe pro ærario, vt pridie, conſedit. Ærarium in Saturni templo ideo reponit Sex. Pom. & Macrobius, quod ſub illo nullum furtum fuerit commiſſum, aut quia nihil erat cuiuſquam priuatum. Plut. in prob. quærens cauſam cur ærarium fuerit in æde Saturni: an, inquit, ex eo quod fama obtinuit, Saturni tempore, nec auaritiam, nec improbitatem vſquam in hominibus fuiſſe, ſed iuſtitiam & fidem. Cyp. autem refert Saturnum in Italia primum inſtituiſſe nummos ſignare; & propterea Saturni ærarium vocari. In ærario promulgata ſeruabantur Cic. tertio de le. Qui agent auſpicia ſeruanto: Auguri publico parento: Promulgata propoſita in æratio cognita agunto. Seruabantur & libri elephantini, in quibus XXXV. eſſent conſcriptæ tribus, omnesque publicarum rationum libri. Sue. in Cæſaris rebus geſtis: Tabulas veteres ærarij, & debitorum vel præcipuam calumniandi materiam, exuſſit. Seruabantur & ſigna militaria, Liuius: Signa inquit, eo die à Quæſtoribus ex ærario prompta; quorum duo communia erant, roſeum pro peditibus, cum titulo. S. P. Q. R. & ceruleum pro equitibus, color enim ceruleus eſt maris, à deo cuius inuentum equum fabulantur.

lantur. Asc. dicit veterum diligentiam fuisse, vt quod quisque de subiugata prouincia per triumphum apportauisset, perscriptum in tabulis in ærarium reponendis conseruaretur, idque etiam Cicer. tertia actione in Ver. hinc L. Florus ait Catonem Cyprias opes Liburnis per Tyberinum hostium inuexisse, quæ latius ærarium Pop. Rom. quam vllus triumphus impleuere. & Liuius primo decadis quintæ Ap. Claudium Centonem ex Celtiberis ouantem milia pondo argenti, & quinque milia auri in ærarium tulisse. Censores in Saturni iusiurandum subire cogebantur. Inter hanc diui Hadriani, & Castoris Pollucisque olim templum cudendi pecuniam priscis temporibus stabat Officina, argumento quod eo loco vidimus effodi ingentem numorum copiam, eius pretii, vt coniectura assequebamur, cuius nunc est quadrans, cæterum igne corrupti.

CAP. XL.

De Miliario Aureo, Ponte Caligulæ, & de Rostris ac Curia.

MILIARIVM autem aureum in capite fori Romani collocatur à Plinio: à Cornel. vero Tacit. iuxta Saturni ædem, narrante cohortem ad aureum Miliarium sub æde Saturni perrexisse, vterque recte. Erat autem Miliarium aureum columna prope arcum Septimii, in qua incisæ omnes Italiæ viæ finirent, & à qua ad singulas portas mensuræ regionum currerent. Meminit Suet. his verbis: Ergo destinata die præmonitis conscriis, vt se in foro, sub æde Saturni, ad Miliarium aureum opperirentur, mane Galbam salutauit. Caligula per forum Romanum à colle palatino ad Capitolinum pontem Marmoreum duxit; quo nihil ambitiosius tota vrbe: sustentabatur enim octuaginta ingentibus columnis candidissimi marmoris, quarum tres ad huius, totidemque ad illius montis radices adhuc stantes cernuntur, prope quas paucis ante annis effossa fuere marmora cum circulari huiusmodi inscriptione. VICENALIA IMPERATORIVM. Altera autem pars habuit sacerdotes taurum sacrificantes. Secus ipsum pontem, in medio foro, atque e regione ædis diui Hadriani exstat ingens marmorea columna, quam existimo vnam ex illis esse, quæ equum æneum inauratum Domitiani sustinebant, de quo quidem equo Papinius mentionem sic facit.

Quæ super imposito moles gemmata colosso
Stat Latium complexa forum.

Ad pedes cuius procubuit Rheni flum. Germaniæ simulacrum, de qua prouincia triumphum egisse Domitianum diximus, & idem author tetigit, cum inquit.

Ænea captiui crinem tegit vngula Rheni.

Cui simulacro Marforium nunc dicunt nomen. Ex rostris nauium Antiatium suggestum in foro, quod Rostra denominauere Romani, fabricatum esse, Liuius sic commemorat. Naues Antiatium partim in naualia Romæ subductæ, partim incensæ, Rostrisq; carũ suggestum in foro extructum adornari placuit, Rostraque id templum appellatum. Romanum forum vbi nunc Rostra sunt, ait Ser. Fuere autem Rostra ad radices Palatii, vbi nunc diuæ Mariæ liberatricis est sacellum, in medio foro. Vnde Appianus loquens de capite Marii iunioris abscisso, narrat Syllam fori in medio, ante Rostra, illud appendisse. Quod autem M. Var. dicit fuisse ante curiam Hostiliam, sic accipimus, inquit Blondus, vt partim curia Hostilia à Cœlio monte, in quo eam fuisse certissimum est, pro sui magnitudine Rostra versus, partim Rostra à Palatino monte in illam protenderentur. Hanc profecto rationem, si quis locorum situm consideret, plane absurdam, & ineptam iudicabit, nimirum viam expeditissimam, quæ deinde Appia est denominata, omnesque Palatii ferme aditus occupassent. præterea non fit verisimile in ea rerum frugalitate tam amplam, tamq; magnificam curiam Tullum ædificauisse. Quare dicimus fuisse Rostra Noua ad radices Palatini montis, & Vetera apud Curiam. De nouis quidem paulò ante Ser. meminit,

minit,de veteribus vero Suet.in funere Augusti,his verbis: Bifariam laudatus est, pro æde diui Iulij à Tiberio, & pro Rostris veteribus à Druso Tiberij filio,ac Senatorum humeris delatus in Campum, crematusque. Asc.scribit Clodij corpus,vt vulnera videri possent,delatum in foro,& pro Rostris positum,populumque deinde in Curiam tulisse atque cremauisse, eoque igne Curiam, Portiamque basilicam ei coniunctam conflagrasse subdit longe post:Erant enim Rostra, non eo loco, quo nunc;sed ad Comitium prope iuncta Curiæ. Si ergo Rostra in Comitio ante Curiam, vt vult Var. dicimus fuisse, intelligendum est duas extitisse Curias Hostilias,vnam prope forum, vbi nunc templum Pacis, in cuius ruinis inuentum est marmor cum indice huiusmodi. IN CVRIA HOSTILIA. aut certe iuxta ipsum, vt possit Rostra ante se habere. alteram vero in Cœlio monte, de qua infra videbimus. In Rostris agebantur causæ, quemadmodum apud Liuium legitur de Virginia,vtrum serua,an libera esset.ferebantur leges auth. Cicer.pro Rab.habebantur cõciones, idem in Pis. Cæsar Iuliam amitam, vxoremque Corneliam defunctas pro Rostris laudauit. Sueto.& Plut.auth. Plinius,concionaturi,inquit,Rostra ascendebant. In eisdem clarissimorum virorum statuæ erigi solebant. hinc Cicer. in ph. Cn. Octauij clari & magni viri, qui primus in eam familiam, quæ postea viris fortissimis floruit, attulit consulatum,Statuam videmus in Rostris. Asc. pro M. Scauro Camilli togatam, sine tunicis in his collocat.ante hæc vero Appianus Syllę equestrem ex auro conflatam,cum hac inscriptione. COR. SYLLÆ IMPERATORI FORTVNATO. In præclaro fori Romani loco, pro Rostris,super leonem lapideum impositum fuisse corpus Faustuli,qui ibi cecidit,dum certamen Romuli,& Remi dirimere vellet,tradit Diony. M. autem Var. post Rostra Romuli sepulcro locum fecit. Fuit pro Rostris Herculis statua tunicati, habitu æneo,facie torua: subscripta.

L. LVCVLLVS IMPERATOR DE MANVBIIS HOSTIVM DEDICAVIT.

Plin. Sibyllæ,inquit,tres iuxta Rostra in foro sunt,vna,quam Pacuuius Taurus ædilis Pli.instituit,duæ,quas M. Messalla. Inter antiquissimas fuere Tullij Cœlij L. Roscii, & Sp. Matici Fulcinij à Fidenatibus, & Cn. Octauij apud Antiochum in legatione interfectorum. Propterea L. Florus ait Romæ capita cæsorum proponere in Rostris vsitatum esse.

CAP. XLI.

De Lacu Curtio, Cloaca Maxima, & Doliola,

MVar. refert in foro Romano Lacum Curtium fuisse, priusquam cloacæ essent, per quod innuit Cloacam per ipsum lacum sequenti tempore deriuatam, quam alta tellure opertam vidimus nuper in radicibus Palatini montis, per forum Romanum fluentem,perque eiusdem montis radices in Velabrum, & inde cadentem in Tyberim. Quare patet lacum Curtium,sicut & Cloaca Maxima,in medio foro extitisse,haud procul ab equo Domitiani,hinc Papinius.

Ipse laci custos,cuius sacrata vorago,
Famosusq; lacus nomen memorabile seruat.

Cum igitur dictum sit equum Domitiani stetisse in medio foro, vbi nunc vnica erecta cernitur columna, præter alias rationes, ex his Statij carminibus iudicamus lacũ Curtium fuisse in hortis dictæ columnæ adiacentibus. Diony. Est,inquit, hic locus repletus, vocaturque ab illo casu lacus Curtius in medio maxime Romani fori. Liuius: Eodem anno seu motu terræ, seu qua vi alia,forum medium ferme specu vasto collapsum in immensam altitudinem dicitur, nec eam voraginem coniectu terræ,quum pro se quisque gereret,expleri potuisse, priusquam deum monitu quæri cœptum, quo plurimum Populus Romanus posset, id enim illi loco dicandum vates canebant,si remp. Rom. perpetuam esse

esse vellent, tum M. Curtium iuuenem bello egregium castigasse ferunt dubitãtes, an vlum magis Romanum bonum, quam arma virtusque esset? silentioque facto templa deorum immortalium, quæ foro imminent, Capitoliumque intuentem, & manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus ad deos manes porrigentem, se deuouisse, equo deinde quam poterat maxime exornato, insidentem armatum se in specum immisisse, donaque ac fruges super eum à multitudine virorum ac mulierum congestas, lacumque Curtium, non ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, sed ab hoc appellatum. At de hac re cum triplex sit historia, hanc sequitur Val. Max. & Porcilius. Piso vero in annalibus bello Sabino, quod fuit Romulo & Tatio, virum fortissimum Metium Curtium Sabinum Romulo cum suis ex superiore parte impressionem faciente, in locum palustrẽ, qui tum fuit in foro, antequam cloacæ essent factæ secessisse, atque ad suos in Capitolium illæsum peruenisse, ab eoque lacum inuenisse nomen memoriæ prodidit. Cornelius vero & Luceius cum locum esse fulguratum, & ex S. C. à Curtio Cos. septum, & ab eo lacum Curtium appellatum, apud quem Galbam interfectum, & morientem sanguine lacum ipsum infecisse ait Cor. Tac. & Suet. Sequitur Cloaca Maxima, de qua ita scribit Liuius. Tarquinius foros in circo faciendos curauit, cloacamque Maximam receptaculum omnium purgamentorum Vrbis sub terram agendam, quibus duobus operibus vix noua hæc magnificentia quicquam adæquare potuit. Eundem fere sensum Plinii hæc habent verba. Cloacam operum omnium dictu maximum suffossis montibus, Vrbe Pensili, subtus nauigata fecit. Hæc autem ad Iouis Statoris ædem in tres ductus diuiditur, quorum duo nunc clausi, tertius limpidissima fluens aqua in Velabro ostenditur, deinde canali è saxis quadratis extructo in Tyberim, vt dictum est, dimittitur. Plures fuisse Vrbis Cloacas sic ostendit idem Liuius: Post incensam Vrbem à Gallis, dum instauraretur, festinatio curam exemit vicos dirigendi, dum omisso sui, alienique discrimine in vacuo ædificant, ea est causa, vt veteres Cloacæ primo per publicum ductæ, nunc priuata passim subeant tecta, formaque Vrbis sit occupatæ magis, quam diuisæ similis. Quod si tunc difficile, difficillimum certe nunc videri potest, vt quis Vrbis regiones diuidere possit, cum locorum & viarum vestigia vix exstent, & ea quidem per pauca & incerta. Quare nos non more prisco regiones diuisimus, verum eo ordine, quo omnia faciliora, & magis perspicua videri possunt. Sed ad rem redeamus. Cloacarum autẽ curatores fuisse inscriptio in marmore apud pontem Aurelium inuento, huiusmodi.

IMP. CÆSARIS DIVI TRAIANI PARTHICI. F. DIVI NERVÆ NEPOTIS TRAIANI ET ADRIANI AVG. PON. MAXI. TRIB. POT. XXII. IMP. II. CONS. III. TIRR. RVSTICVS CVRATOR ALVEI ET RIPARVM TYBERIS ET CLOACARVM.

Rursus in alio marmore.

EX AVTORITATE IMP. CÆSARIS DIVI NERVÆ. F. NERVÆ TRAIANI AVG. GER. DACI. PONT. MAX. TRI. POT. VII. IMP. IIII. COS. V. PP. IVLIVS FEROX CVRATOR ALVEI ET RIPARVM TYBERIS. ET CLOACARVM VRBIS TERMINAVIT RIPAM. R. R. PROX. CIPP. PER. CXV. A. FABIO. A. F.

Cloaca, inquit Pompeius, à cloacando, id est inquinando, vel à colando, id est fluendo. Iuxta Cloacam erat locus, qui vocabatur Doliola, à Doliolis sub terra, vbi non licebat spuere. vetustior autem memoria est eo in loco mystica quædam Numæ condita esse, sunt qui putant Gallorum Senonum cineres.

CAP.

CAP. XLII.

De Comitio, Templo Veneris Genetricis, Statuis & simulacris, quæ in eo & Foro Romano fuere, ac de Cæsaris Columna.

COMITIVM Fori Romani partem esse superius dictum est, incipiens à porta Palatij, terminansque apud ædem Diuæ Mariæ Nouæ : ita appellatum, quod fœderis conditiones ibi inter Tatium & Romulum firmatæ, sanctæque sint, vnde à coeundo Comitio nomen mansit, auth. Plut. Asc. ait Comitium esse locum propter Senatulum, quo coire equitibus & populo Romano liceret. Blondus vero quo coibant Comitiis centuriatis, & litium causa, neque ibi Consules, Prætores, Ædiles, Censores & Tribunos, sed in Campo Martio, fuisse delectos. Subdit deinde. Locus autem ita euanuit, vt post diruta iam pridem, quæ solo supereminebant ædificia, effodiendis fundamentorum lapidibus in calcem coquendis, intra sanctorum Hadriani & Laurentii in Miranda basilicas, interque fora Magnum & Neruæ transitorium, multo sudore decimo tandem anno inspexerimus, hæc in triumphanti Roma. In instaurata vero, inter turrim, quæ Pallara appellatur, & lacum Curtii, collisque Palatini radices, & Faustinæ monumenta fuisse commemorat, in qua quidem re sibi contradicit. Etenim attendere diligenter si velimus, quæ supra ex Corn. Tac. de ficu Ruminali adducuntur, illa explosa, hanc comprobabimus sententiam. Satis enim constat ficum Ruminalem, quam in Comitio statuit, in Palatii radicibus fuisse, consequens ergo est & ibi Comitium, de quo meminit Cicer. pro Sex. Is locus diu caruit tecto. eo autem anno, quo primum Annibal in Italiam venit, tectus fuit, vt docet Liuius septimo bell. pun. qui tamen trigesimo aliter sentire videtur, cum dicit Comitia indicta perfici tempestates sæpe prohibuisse. Longo autem tempore post Cæsar locum instaurauit, authore Tranquillo. & Asc. Ludi sæpe in eo celebrati sunt, inibique libri Sibyllini P. Cornelio, & M. Bebio Coss. cremati, vt in Numæ vita scribit Plut. In Comitio fuit Coclitis Statua, quæ cum de cœlo tacta esset, ex aruspicis responsis in area Vulcani, loco altiori, posita est, ex qua re bene Pop. Roman. succesſit: Liuius. In cornibus vero eiusdem Comitii fuit statua Pithagoræ & Alcibiadis, in gradibus vero ad læuā Curiæ Actii, Plin. author, cuius Actii cotem, & nouaculam ibidem defossam, superque impositum Puteal ait Cicero, idemq; Liuius. Statæ matris Simulacrum in foro colebatur, postquam id colluſtrauit, ne lapides igni corrumperentur : qui plurimis ibi fiebat nocturno tempore, magna pars populi in suos quisq; vicos retulerunt eius deæ cultum, vt refert Sex. Pompe. In foro, ante Veneris Genetricis ædem, fuit Cæsaris statua, equestris, & Q. Marcii ante Castoris, equestris & ipsa, ac Tremellii togata, æream. M. Attio velatam in eodem foro posuit Tarquinius: Plinius vero Cæsaris Simulacrum cometam in capite habens. At hoc in loco si statuas præclaris viris in Foro Romano, sicut in Rostris erectas recensere vellem, finem profecto non inueniret oratio. Illud autem satis erit admonuisse, hoc munere dignos habitos esse eos omnes, qui, vt diximus, aliquod egregium facinus obiissent pro republic. aut mori non dubitassent, quod probant Cicer. hæc verba: Ac si tunc P. Sextius Iud. in templo Castoris, animam, quam vix retinuit, edidisset, non dubito quin, si modo esset in republ. Senatus, si maiestas Pop. Roman. reuixisset, aliquando statua huic ob rempubl. interfecto in foro statueretur. Nec vero illorum quisquam quos à maioribus nostris morte obita positos in illo loco, atque in rostris collocatos videtis, esset P. Sextio præponendus. Populus autem Romanus in Cæsaris gratiam Columnam marmoream lapidis numidiæ XX. pedum, cum Titulo hoc. PATRI PATRIÆ. in foro statuit, de qua Lactantius meminit, & idem Cicer. in hæc verba. Talis animaduersio fuit Dolabellæ cum in audaces, sceleratosq; seruos, tum in impuros, & nefarios liberos, taliſq; euersio illius execratæ Columnæ, vt mirum mihi videatur tam valde reliquum tempus ab illo vno die dissensisse.

CAP.

CAP. XLIII.

De Columna Mœnia, Pila Horatia, De Cæsaris Constantini, Domitianiq; Equo, ac de Templo, & Ara eiusdem Cæsaris.

COLVMNAM habuit Forum Mœniam denominatam, à qua Labeo iure consultus Mœniana deduxit, cum inquit. Inter immissum & proiectum hoc interesse putant, quod proiectum esset id, quod ita proueheretur, vt nusquam requiesceret, qualis Mœniana, & subgrunda essent. Immissum, quod in aliquo loco requiesceret, veluti tigna, trabes, quæ immitterentur. In quæ verba cum ANTONIVS Triuultius, & SCARAMVTIA eius frater nobilissimi adulescentes, & in iuris ciuilis scientia supra ætatem egregie docti, incidissent, rogarunt me, vnde dicerentur Mœniana, quibus ita responsum est: Mœnius cum domum suam venderet Catoni, & Flacco Cens. vt ibi Basilica ædificaretur, exceperat ius sibi vnius columnæ, super quam tectum proiiceret, & prouolantibus tabulatis inde ipse, & posteri eius spectare munus gladiatorũ possent, quod etiam tum in foro dabatur: ex illo igitur Colũna Mœnia vocitata est, hinc Mœniana. Mœniana, inquit Sex. Pomp. à Mœnio censore, qui primus in foro vltra columnas tigna proiecit, quo ampliarentur superiora spectacula. De Columna meminit Asc. & Cic. de Diu. ac pro Sex. in hæc verba. Venit, vt scitis, ad Columnam Mœniam, tantum est ex omnibus spectaculis vsque à Capitolio, tantus ex fori cancellis plausus excitatus, vt nunquam maior consensio. Fuit enim in ea parte fori, vbi Basilica Portia, de qua infra erit mentio. In foro, inquit Diony. erat petra angularis, super qua posita fuerant spolia Tergeminorum Albanorum, Pila Horatia dicta; sed arma collapsa sunt vetustate. Decorauit autem forum Romanum equus Cæsaris, & Constantini, sicut Domitiani, Atrium Mineruæ, & Tabernæ Nouæ, ac Veteres, de quibus sic loquitur Liuius: Eodem tempore septem Tabernæ, quæ postea quinque, & argentariæ, quæ nunc Nouæ appellantur, arsere. De his intellexit Iuuenalis cum dixit, sed quinque tabernæ quadraginta parant. In foro magistratus Imperium Romani deponere consueuere, auth. Herodianus. Appianus memoriæ prodidit cadauer Cæsaris in forum relatum, eoque in loco Aram, mox Templum illi erectum esse.

CAPVT XLIV.

De Foro Cæsaris, Basilica, & Bibliotheca Pauli.

EXPOSITIS iis, quæ ad Fo. Ro. pertinere videbantur, redeamus ad Templum Saturni, vnde digressi sumus de ærario locuti; videamusque quid post ipsum ad latus eiusdem fori in ortum æstiuum vergens fuerit, aut sit. sed in primis de Foro Cæsaris, quod (vt quorundam est opinio) fuit in eo loco, qui post Faustinæ Templum valde depressus cernitur, de quo sic loquitur Appianus. Post victoriam contra Pompeium, Cæsar Atrium Templo Veneris circumduxit, quod Romanum forum esse voluit, non rerum quidem venalium, sed eorum quæ ad iura conuenirent. In hoc statuas pulcherrimas collocauit, inter quas loricatam sibi dicari passus est. Breui quidem, ait Plin. spatio forum, sed inter Vrbis ornamenta perspicuum Area supra sextertium millies constitit, Pauli Basilicam Cic. in medio foro statuit, verba ipsius ex lib. quarto ad Atticũ hæc sunt: Paulus in medio foro Basilicam iam pene texuit, iisdem antiquis columnis; Illam autẽ quam locauit fecit magnificentissimã: Hanc Plin. inter Vrbis magnifica enumerat, columnis ex phrygibus mirabilẽ. Papinius autẽ Domitiani equum describens à sinistra Pauli regiam posuit his carminibus.

Ad laterum passus hinc Iulia templa tuentur.
Illinc belligeri sublimis regia Pauli,
Cæsar pater, blandoq; videt Concordia vultu.

Cæsar, inquit Plut. Paulum Æmilium collegam Caij Marcelli in consulatu mille & quingentis talentis sibi amicum, defensoremque parauit, ex qua mox pecunia nobilissimam ille in foro Basilicam exstruxit, quæ Pauli Basilica dicebatur; Quam publicam constituisse refert Appianus. Fuit autem prope Castoris & Pollucis Templum, quo in loco vidimus effodi multa frusta earum columnarum, quibus mirabilem fuisse dicit Plin. In hac ad Ianum stabant fœneratores: Vnde Hor. Hæc Ianus summus ab imo perdocet. Et in Sermonibus, Postquam res mea Ianum ad medium fracta est. Cic. Ita ne? Ianus medius in L. Antonii clientela sit? quis vnquam in illo Iano inuentus est? qui L. Antonio mille nummum ferret expensum. Eiusdem Pauli Bibliothecam Basilicæ iunctam fuisse, quibusdam authoribus crediderim.

CAP. XLV.

De Foro Augusti, Porticu Antonini, Faustinæ & Liuiæ, ac de Cæsaris domo.

FORVM Romanum, Cæsaris, & Augusti inuicem prope fuisse innuit Papinius in sylus cum dicit:

Nec saltem tua dicta continentem,
Quæ trino iuuenis foro tonabas.

Et Mart. his carminibus.

Causas, inquit, agam Cicerone disertius ipso,
Atq; erit in triplici par mihi nemo foro.

Augusti autem forum licet apud Martorij simulacrum quidam ponant, nonnulli tamen post Faustinæ templum, sed prior opinio magis probatur. Breue quidem, sicut etiam Cæsaris, fuit, quia ipse princeps non est ausus proximas domos possessorib. extorquere, erat tamen multis statuis ornatissimum. Inerat enim Castoris & Pollucis cum victoria Alexandri Magni. Coruini & in eius casside pugnacis corui simulacrum. Apollinis eburnea, de qua Hor. Sic me seruauit Apollo: & Iuu. Iurisque peritus Apollo. Fori autem extruendi causa fuit hominum, & iudiciorum multitudo; quæ videbatur, non sufficientibus duobus, etiam tertio indigere, itaque festinantius, necdum perfecta Martis æde, publicatum est, cautumque vt separatim in eo publica iudicia, & sortitiones iudicum fierent, sanxitq; vt de bellis & triumphis hic consuleretur Senatus. Prouincias cum imperio potituri hinc deducerentur; quique victores rediissent huc insignia triumphorum inferrent. Quod forum instaurauit postea Hadrianus, auth. Spart. Idem Sueto. docet, forum ipsum duas Porticus habuisse, in quibus statuas omnium triumphali effigie dedicauit Augustus. Blon. autem in Roma triumphanti hoc forum, & Martis Templum in Campo Martio his restituit verbis. Campi Martij proprium locum fuisse ostendimus, cui columna Antonina fuit apposita, eoque continebatur Campo Augusti forum, templo Martis contiguum. Sed quum Suet. dicit breue forum struxisse, quia non est ausus proximas domos possessoribus extorquere, & extruendi causam hominum, & iudiciorum multitudinem fuisse: satis ostendit, sicut & P. Victor, in celeberrima Vrbis parte stetisse: cum Campus Martius extra Vrbem; neque priuatorum domibus occupatus, latissimum, cuicunque foro, præberet campum. Quare Blondi opinio prorsus reiicienda. Porticus Antonini & Faustinæ pulcherrimæ, variisque marmoribus exornatæ exstant apud Diui Laurentij in Miranda Columnæ ingentes cum huiusmodi indice.

DIVO ANTONINO ET DIVÆ FAVSTINÆ EX S. C.

Fuit autem in via Sacra, in qua via publica domo, sita vbi templum Pacis, Cæsarem habitauisse scribit Suet. quam domum Augustus à Liuia nepte nimis sumptuose ornatam, solo æquari iussit; in cuius area excitata est deinde Porticus Liuiæ. Plin tradit Cæsarem Dictatorem totum forum, viamque Sacram à domo sua ad cliuum Capitolinum, in mu-

in munere gladiatorio linteis operuisse. De domo & porticu Ouid. in fast. sic meminit.

Discе tamen veniens ætas, vbi Liuia nunc est
Porticus, immensæ tecta fuere domus.

At de porticu etiam primo de arte ita.

Nec tibi vitetur, quæ priscis sparsa tabellis
Porticus, authoris Liuia nomen habet.

Dion refert Neruam in Augusti foro, nunc in porticu Liuiæ pro tribunali litigantes audiuisse. Claudiam etiam porticum appellatam accepimus. Mar.

Claudia diffusas vbi porticus explicat vmbras,
Vltima pars aulæ deficientis erat.

A Nerone autem euersam sub nomine prisco Domitianus restituit; cuius pars vmbraculis vnius vitis erat operta. Plin. Vna, inquit, vitis Romæ in Liuiæ porticibus subdiales ambulationes vmbrosis operculis opacat, eademque duodenis musti amphoris fœcunda.

CAP. XLVI.

De Sororio Tigillo, Vico Cyprio, & Scelerato, atq; M. Antonij domo.

SORORIVM Tigillum locus erat sacer causa expiationis ab Horatio, ob sororem à se interfectam, in honorem Iunonis constitutus, quem locum prope Carinas statuit Dion. Libro enim tertio ait, locum, in quo Horatium purgarunt, in angiportu ferente à Carinis deorsum esse, iis qui ad Cyprium peragerent angiportum, vbi aræ manerent tunc erectæ, & tigillum, duobus inter se contrariis parietibus fultum super eas extenderetur. Quibus verbis significat Vicum Cyprium prope cliuum, qui ad templum Diui Petri in Vinculis nunc ducit. Sequenti vero libro Vicum Cyprium prius, deinde Sceleratum ex facinore Tulliæ vocitatum tradit. Var. tamen Vicum Cyprium (sic enim apud ipsum legitur,) prope Sceleratum: non autem eundem esse ostendit, his verbis: Vicus Cyprus à Cypro, quod ibi Sabini ciues additi considerunt, qui á bono omine id appellarunt, prope hunc Vicus Sceleratus. Miror autem qua ratione Blon. Sceleratum vicum esse velit viam, quæ nunc ducit ad Triuij fontem contra Diony. opinionem, & præter historiæ fidem. Solinus enim tradit Ser. Tullium in Exquilijs supra cliuum Virbium habitauisse; quem vico Patricio supereminere probat Sex. Pom. quum dicit, Vicum Patricium appellatum, quod ibi iubente Ser. Tullio patricij habitauerunt, vt si quid aduersus ipsum molirentur, ex locis superioribus opprimi possent. Vnde postquam Tullia interfecto patre properans à Curia, foroque Romano in paternam possessionem ad vicum Cyprium peruenit, auriga, vt inquit Liuius dextera in Virbium cliuum carpentum flexit, vt in collem Exquiliarum exueheretur, quocirca stultum erat per viam Triuij fuerat enim necesse, secundum nos, per Quirinalem, Viminalemque collem transire; quod absurdum esse videtur, cum breuior & expeditior esset per eum, quem diximus cliuum, qui haud procul à Virbio erat, cui iam propinquum interfectum esse regem fugientem innuit Dionysi. Alia est ratio contra Blon. quod constat inter omnes viam Triuij extra Vrbem tunc fuisse. Haud procul à templo diui nunc Pantaleonis, olim Telluris, M. Antonium domum habuisse testatur Appianus his verbis. Iis peractis decretum noctu perlectum est; Antonium sequenti die in templo Telluris haud longe ab ipsius domo, Senatum habiturum.

CAP. XLVII.

De Bustis Gallicis.

BVSTA Gallica locus vbi Galli, à Camillo interfecti, sepulti fuere. Liuius vero commemorat Gallos morbo interemptos bustorum Gallorum nomine locum, vbi fuere sepulti, insignem feciſſe. Is autem locus fuit vbi nunc ecclesia S. Andreæ ad busta Gallica, quæ corrupto nomine Portugallo vocatur, abest haud multum ab Amphitheatro, quod in media vrbe à Tranquil. in Tib. collocatur, sicut à Liuio busta Gallica, cuius sunt hæc verba: Quum esset satis altum Ianiculum, vbi sedens prospectaret hostem, descendit in equum, atq; illo ipso die media Vrbe, qua nunc busta Gallorum sunt; Et alibi refert Flaccum porta Capena ingressum, media Vrbe per Carinas, Exquiliasque contendisse, recta ergo ad Amphitheatrum. Var. autem cõtra Liuii opinionem, vt infra demonstrabitur, Busta Gallica prope Æquimelium statuisse videtur. Æquimelium inquit, quod æquata Melii domus publice quod regnum occupare voluit. Is locus ad busta Gallica, quod Roma recuperata Gallorum ossa, qui possederunt Vrbem, ibi coaceruata, ac consepta, locus qui vocatur Doliola ad Cloacam Maximam. Si vero ita libet distinguere vt verba hæc: Is locus ad Busta Gallica, iungantur cum subsequentibus, optime Var. conueniet cum Liuio, cæterum ordinem & sensum vix elicies. Quare videndum ne aliquis error hos authores discordes efficiat. Quidam prope Marforium Busta Gallica fuisse perperam putarunt.

CAPVT XLVIII.

De via Sacra, Arcu Fabiano & Vespasiani.

VIAM Sacram principium habuisse à Curia Veteri in angulo Palatii, iuxta Arcum Constantini, vulgaris est opinio. Var. autem à Carinis. Carinæ, inquit, Cerionia, quod hinc oritur caput Sacræ viæ, ab Sterniæ Sacello. Quibus verbis adducor in maximum dubium, ne hæc via aliquando per hortos diuæ Mariæ Nouæ, secus templum Pacis, & forum Cæsaris recta ad arcem Capitolii esset producta, præsertim quod in eisdẽ hortis secundum eum, quem dicimus cursum, vidimus viam ex lapide quadrato stratam. Si quis dixerit arcum Vespasiani signare nobis fuisse secundum radices Palatini montis, respondebimus. ampliata curia Veteri, erectisque basilicis partem ipsius eo translatam. Sacræ quidem obtinuit nomen, quod per eã augures ex arce profecti solerent inaugurare, sacraq; quotquot mensibus in arcem ferre, secundum Var. Sex. autem Pomp. Sacram ideo vocat, quod in ea fœdus ictum sit inter Romulum & Tatium. In summa huius habitauit Ancus Martius, prope ædem Larum, de qua in Vrbis Romuli descriptione facta est mentio. Quo in loco si quis considerauerit quæ dicuntur à Cor. Tac. de spatio eiusdem Vrbis, non improbabit forte quæ de via Sacra diximus. Sacra in hac via Cœliæ Statuam ponit Plut. In summa vero parte fuit Mutii. In eadem fructus venundatos esse Ouid. de arte sic docet.

Rure suburbano poteris tibi dicere missa
Illa, vel in sacra sint licet empta via.

Var. de re rustica, huiusce inquã pomarii summa Sacra via, vbi poma veneunt. Arcus Fabianus in hac via stetit, iuxta regiam à Fabio censore, qui deuicit Allobroges excitatus, vt scribit Asc. in quo sculpta fuerant eius scuta, & signa victoriæ. In oratione pro Cn. Plancio Cic. de eo hæc habet verba: Equidem si quando, vt sit, iactor in turba, non illum accuso, qui est in summa Sacra via, cum ego ad Fabianum fornicem impellor. fuit apud basilicam Pauli, ad quem arcum Scribonius Libo sedem, & Prætoris tribunal, Puteal dictum, posuit, de quo Horat. meminit, cum inquit:

Putealque Libonis mandabo siccis. Et Ouid. hoc carmine.
Qui Puteal, Ianumq; timent, celeresq; Calendas.

Fœne-

Fœneratores enim ſtabant ad Ianum , & apud Fornicem Fabianum ius dicebatur. CATELANVS autem Triuultius Epiſcopus Placen. & Coſ. ſummi ingenij nobiliſſimus adoleſcens, & probe doctus, qui orationem quandam, qua Bocc. Pinum Florentinum patria eiectum conſolatur, felici ſtylo ex vulgari in latinum conuertit ſermonem , oſtendit mihi numiſma argenteum eius pretij, quo denarius, in altera parte cuius viſitur caput Libonis cum hac inſcriptione, LIBO BONEVENT. in altera vero tribunal cum indice, PVTEAL SCRIBONI. In eadem via Sacra ſtat adhuc Arcus marmoreus Veſpaſiani Imperatoris, omnium antiquiſſimus nunc exiſtentium: ſed mutilatus: in quo legitur titulus talis. SENATVS POPVLVSQVE ROMANVS. DIVO TITO DIVI VESPASIANI F. VESPASIANO AVGVSTO.

Exſtructus autem fuit deuictis Hieroſolymis, in quo ſculptæ ſunt victoriæ cum arca fœderis præcedentibus duodecim faſcibus conſularibus , ab altero fronte ſpectantur triumphi ſpolia, aureum candelabrum, ſeptem habens ramos, in quibus erant ſeptem Lucernæ, erraticas ſignificantes ſtellas, duæque tabellæ legis Moſaycæ. Vaſa templi, menſa aurea ponderis talentis magni. de qua plura Ioſephus. Licet ipſe arcus melius, quam Ioſephi deſcriptio, nobis ea omnia declaret. Huius autem victoriæ mentio habetur etiam ex marmore in circo Maximo effoſſo, quæ eſt hæc

S. P. Q. R.

IMP. TITO CÆS. DIVI VESPASIANI FILIO VESPASIANO AVG. PONT. MAX. TR. POT. X. IMP. XVII. COS. XIII. P. P. PRINCIPI SVO QVI PRÆCEPTIS PATRIÆ CONSILIISQVE ET AVSPICIIS GENTEM IVDÆORVM DOMVIT ET VRBEM HIEROSOLYMAM OMNIBVS ANTE SE DVCIBVS REGIBVS GENTIBVS AVT FRVSTRA PETITAM AVT OMNINO INTENTATAM DELEVIT.

CAP. XLIX.

De Grægoſtaſi, Curia, Baſilica Opimij. & Portia.

GRÆGOSTASIS locus ad dexteram Roſtrorum è Comitio, vbi nationum ſubſiſterent legati, qui ad Senatum miſſi eſſent. Var. At animaduertẽdum Var. de veteribus Roſtris intelligere. Idem prope Grægoſtaſim Opimij Baſilicam ſic ſtatuit. Senaculum ſupra Grægoſtaſim, vbi ædis Concordiæ, & baſilica Opimij. Senaculum vocatum, vbi Senatus, aut vbi ſeniores conſisterent. dictum γερουσία, apud Græcos. Liuius primo ab vr. con. ait Curiam in Comitio, ſed idem quod Senaculum eſſe innuunt Var. verba. Plin. memoriæ prodidit Cæſarem in Curia, quam in Comitio conſecrauit, duas tabulas impreſſiſſe. cui Curiæ Plut. iuxta forum locum fecit. Curia locus vbi publicas curas gerebant: duplex tamen, vbi ſacerdotes res diuinas, & vbi Senatus humanas curabat. Curia vbi dabatur Senatus templum erat, vt diximus. Var. in libris ad Opianicum ait, S. C. non poſſe fieri , niſi in loco per augurium conſtituto, quod templum appellaretur, propterea & in Curia Hoſtilia, & in Pōpeia, & poſt in Iulia, cū prophana ea loca fuiſſent, templa eſſe per augurium conſtituta, vt in iis S. C. more maiorū iuxta fieri poſſent. In Curia Aram Victoriæ fuiſſe Herodiani hæc docent verba: Cæteris ante fores præſtolantibus , duo , tresue ad ſummum curioſiores audiendi Curiam ingreſſi ſic, vt vltra Arā quoq; Victoriæ, penetrarent. Ferunt quidam huius deæ Signum ex auro puro in gradibus Curiæ fuiſſe: Neſcio autẽ quo authore iuxta forum à Fuluio Curia Calabra collocetur, quā nos, ex Ser. opinione, in Capitolio poſuimus. Plutarc. commemorat Catonẽ Baſilicam , ex ære publico vicinam foro ſub Curia à ſe ædificatam, Portiam appellauiſſe. Erat, inquit, baſilica quædam Portia , quā Magnus Cato in cẽſura ediderat, eius baſilicæ trib. pleb. quoniam in illa ius dicere conſueuerant, columnam, quæ ſellas eorum impedire videbatur , decreuerant tollere. Aſc. etiam baſilicā hanc iunctam Curiæ fuiſſe tradit. Palatium Romuli apud ædem diuæ Mariæ Nouæ nonnulli reſtituunt.

tuunt. Illud autem sciendum, hæc omnia inuicem prope fuisse, totumq; id spatium occupauisse, quod est à Comitio eundo versus Pacis. diuæ Mariæ Nouæ templum, & hortos, penè ad Exquiliarum radices; nisi quod interiacebant templa quædam, quibus superius à nobis sedes est assignata.

CAP. L.

De Templo Jani, & Pietatis, ac de Carcere Pleb. Rom.

QVATVOR Vrbis partibus iam descriptis, recte videmur quintam, à dextera Tyberim, Auentinique partem, à sinistra vero rupem Tarpeiam & Palatium, vallemque inter ipsos montes comprehensam habentem, à theatro Marcelli auspicati, quibuscunque certis sedibus, quoad fieri poterit, locatis, aggredi. Nam cum multa memoratu digna contineat, nisi ordine quodam perspicuo fuerimus progressi, maiorem partem illorum, & locum incertum sortiri, & obscura fieri, erit necesse. Quare relicto Marcelli theatro ad eam partem, quæ planam Vrbem complectitur, quæ ab ipso ad extremam Circi partem fuere, hodieve sunt, singulatim percurramus. Et quia Ianus omnium rerum principium habetur, ab eo exordiri conueniens erit. Numam regem Iani Templum circa imum Argilætum, iuxta theatrum Marcelli in duobus breuissimis templis feciisse, scribit Ser. cuius portæ duæ, quas legitimum erat aperire cum bellum esset: in pace vero claudi, vt apertis in armis esse ciuitatem, clausis vero pacatos circa omnes populos significarent. Clausum esse ferunt Ianum semel ab ipso, à quo conditum; iterum à T. Manlio Cos. Tertio ab Augusto post bellum Actiacum. Orosius scribit Augustum ter Iani templum clausisse. Claudendi autem vel aperiendi ratio, varia est. Alii, vt diximus, volunt Romulo contra Sabinos pugnante, quum eo esset vt vinceretur, calidam aquam ex eo loco, vbi templum Iani, erupisse, quæ exercitum Sabinorum fugauit, hincque tractum morem, vt pugnaturi aperirent templum, quod in eo fuerat constitutum, quasi ad speciem pristini auxilii. Alii vero, quod Tatius & Romulus facto fœdere hoc templum constituerint, vnde & Ianus ipse duas facies habet quasi vt ostendat duorum regum coitionem. Huius quidem templi postes is Cos. aperiebat, qui prior creatus esset. Virg.

Insignis aperit stridentia limina consul.

Cor. autem Tac. refert Cn. Duilium Iani templum ædificasse, eius sunt hæc verba: Eodem in loco à L. M. Publiciis Iano templum, quod apud forum holitorium Cn. Duilius struxerat, Speique Ædes à Germanico sacratur. hanc Attilius vouerat eodem bello. Idem alibi, narrant Tiberium Cæsarem Iani templum dedicauisse apud forum holitorium, votum à Duilio bello maritimo aduersus Pœnos prospere peracto. Quod in platea nunc Montanaria statuit, diuersumque ab illo Numæ putat Ful. Sed cum Xenon primo Italicarum velit Ianum omnium primum diis templa fecisse, & ritus instituisse sacrorum, ob idque in sacrificiis præfectionem meruisse perpetuam, figurarique cum clauo & virga, quasi portarum custos, & rector viarum, censemus Numam ei templum instituisse apud portam Carmentalem, post sacellum S. Catharinæ, nunc solo æquatum, vt sit, ad imum Argilætum, iuxta theatrum Marcelli, vt Ser. placet, & vt Liuio & Ouid. à dextera Fabiis exeuntibus ad bellum, ac extra portam Carmentalem, quod ait Sex. Pom. Si vero, vt quibusdam placet, legimus apud Var. secundum Tyberim ad Ianum forum Piscarium, de eo intelligere opinamur, quod posuit Duilius. Dictum est enim apud priscos vnum fuisse Ianum, plures vero apud posteriores, vt mirum videri minime possit, hæc duo templa prope inuicem stetisse, sicut & fora. Vnde Ouid. inquit,

Cum tot sint Iani, cur stas sacratus in vno,
Hic, vbi iuncta foris templa duobus habes?

Neque

Neque Ouidius (vt Blon. est opinio) de Boario, sed Holitorio & Piscario intelligit foro, aitque ex multis in hoc solo sacratum, propter eius simulacrum ab Augusto ex Ægypto, vt auth. est Plin. aduectum, & in eodem Iani templo collocatum. Templum Pietatis in foro holitorio, apud nunc ecclesiam S. Nicolai cognomento in carcere, vel certe eo ipso in loco, quod à M. Attilio Glabrione dedicatum tradit Liuius. Plin. autem locum his verbis patefacit: Humilis in plebe, & ideo ignobilis puerpera, supplicii causa carcere inclusam matrem, cum impetrasset aditum à ianitore, semper excussa ne quid inferret cibi, deprensa est vberibus suis alens: quo miraculo matri salus donata filiæ pietate est, ambæque perpetuis alimentis, & locus ille eidem consecratus est deæ, C. Quintio, & M. Attilio Coss. templo Pietatis extructo in illius carceris sede, vbi nunc Marcelli theatrum est. Sex. autem Pom. non matrem, sed patrem inclusum carcere vberibus filiam clam aluisse scribit. Et quia Plin. vbi theatrum est Marcelli dicit, ita accipiendum, theatrum eo vsque peruenisse, vt vestigia ex saxo quadrato, apud eandem ædem existentia, satis ostendunt.

Hoc autem templum tactum fuit de cœlo Coss. Cotta, vt primo de diu. testatur Cice. Causa quidem carceris extruendi fuit, quod aucta multitudine, cum in dies magis, magisque flagitia crescerent, neque tot scelestis, noxiisque vnus satis esset carcer, creatis decemuiris alterum extruere decreuerunt, quare electo ad id opus Ap. Claudio decemuirum vno, eum inter Capitolium, & Tyberim, vbi nunc prædictam ecclesiam S. Nicolai sitam videmus, constituit, quem locum Carcerem, siue domicilium pl. Rom. nuncupauit, in quo reus iudicii ipse sibi mortem consciuit, vt docet Liuius tertio ab vr. co.

CAP. LI.

De Foro Holitorio, Æde Iunonis Matutæ, & Spei, Sacrario Numæ, Columna Lactaria, ac de Ara & Fano Carmentæ.

FORVM Holitorium extra portam Carmentalem fuisse testis est Asc. in toga candida. Eum locum plateam Montanariam nunc esse quidam arbitrantur. In quo fuit Ædes Iunonis Matutæ, quæ cessit Diui Andr. ecclesiæ cognomento in mentuccia pro Matuta, in radice Capitolii nunc sitæ. Sed Iunoni Matutæ vota, & locata à C. Cornelio Cos. gallico bello: qui deinde Censor eam dedicauit, auth. Liuius quarto belli Mac. Idem in eodem foro Spei Templum variis exornatum marmoribus fuisse tradit, idque primo belli pu. libro fulmine ictum, quarto eiusdem belli Q. Fabio consulis filio, & T. Sempronio Graccho Coss. incendio conflagrasse. Consecrauit autem Collatinus. Cic. de legibus. Recte etiam Spes à Collatino consecrata est. Columna Lactaria, ad quam infantes lacte alendi deferebantur, in foro Holitorio stetisse asserit Sex. Pomp. quod forum vbi holerum copia antiquum fuit Macellum, auth. Var. Sacrarium Numæ apud theatrum Marcelli circa imum Argileum, Ser. ait Euandrum Aram matri extinctæ iuxta portam fecisse, quæ à Carmenta Carmentalis est dicta. Ara autem hæc sub Capitolio ponitur à Dio. Habuit Carmenta & Templum, siue vt author est Solinus, Fanum apud eandem portam, vbi diximus extare ruinas ædiculæ Diuæ Catharinæ. Nam cum vehicula, quibus S. C. priuatæ erant mulieres, fuissent deinde ipsis restituta, gratiam deæ referentes ei ædificarunt Templum, quæ Euandri mater fuit, Nicostrata prius appellata, & quia carminibus oracula ederet, Carmenta est dicta, ob quam & carmina auth. Plut. in probl.

Free Collections

CAP.

CAP. LII.

De Foro Piscario, & Templo Fortunæ Virilis.

SECVNDVM Tyberim ad Iunium Forum Piscarium vocant, inquit Var. Quibus verbis iuxta incendium, quod sexto belli pun. describitur à Liuio, licet existimare fuisse inter Sanct. Mariæ in Porticu, & Ægyptiacæ templa, intraque portam Carmentalem: quod haud longe à Boario ponitur à Volaterano, sed certe neque prope est dicendum. In eo autem male sentire videtur, quod Cupedinis, Pistorium, & Holitorium iuxta ædem Vestæ esse putat, si enim ita esset, sequeretur contra Asc. forum Holitorium intra portam Carmentalem fuisse, quod falsum esse multis argumentis apparere potest, nisi velit Vestam extra ipsam portam Templum habuisse, sed id quoque caret authore. Templum autē S. Mariæ Ægyptiacæ nunc dicatū, iuxta Tyberim, & eiusdem cognominis pontem, quidā Asyli, id est misericordiæ Templum dicunt, Alii Fortunæ, Alii Pudicitiæ, vt Vol. & Ful. Sed Fortunæ, Pudicitiæq; patriciæ sacras ædes in foro Boario fuere, vt infra demonstrabitur. Non est enim verisimile (quod innuit Ful. quū dicit Pudicitiæ ædem esse, quā nunc dicatam S. Mariæ diximus, eamque in foro Boario statuit) ipsum forum à Velabro, & Iano vbi constat esse, peruenisse ad hanc vsque ædem, in ripa Tyberis sitam; eo maxime quod is locus est extra rectam viam ab ipso Velabro in Auentinum, neq; conueniret cum Liuio, qui ait virgines à foro Romano, vico Thusco Velabroque per Boarium forum in cliuum Publicum, atq; in ædem Iunonis Reginæ (erat enim in Auentino) peruenisse; quibus verbis ostendit forum Boarium fuisse prope Ianum nunc quadrifrontem siue quatuor portarum, versus Auentinum, non autem Tyberim. De templo Misericordiæ nihil certi habetur, nisi quod Blon. eo in loco, ductus tantum coniectura, quia ibi Asylus, collocauit. Sed nos dicimus esse Fortunæ Virilis templum, deamque ipsam in eo ambitu duo habuisse templa, alterum in foro Boario, alterum vero prope Tyberim. Huic enim opinioni suffragantur Diony. verba, quæ sequuntur. Duobus exstructis templis Fortunæ, altero in foro Boario, altero ad ripas Tyberis ei, quam virilem appellauit. In hoc autem fuit ipsius Ser. Tullii lignea statua auro perfusa, quæ ordo incendio cæteris concrematis sola incorrupta permansit. auth. Val. Max.

CAP. LIII.

De Templo Vestæ, Salinis, & Coclitis Arcubus.

AD Mariæ autem Ægyptiacæ exstat ædes antiquissima Diuo Stephano nunc dicata: cuius forma circularis est, columnæque in circuitu dispositæ eius testudinem, quæ vnica totam operit ædem, sustinent. hanc Matutæ, siue Auroræ Pompo. Lætus adiudicat: quam Liuius in foro Boario statuit, quare eadem ratione, quæ est de S. Mariæ Ægyptiacæ æde, non recte sentire arbitramur, quemadmodum nec Vol. nec Fid. qui volunt hanc ipsam Herculis esse. Romulus enim, vt supra ait Corn. Tacit. à foro Boario sulcum designandi oppidi incipiens, Magnam Herculis aram, vbi postea templum habuit, complexus est. Si templum, vt autumat Fului. fuisset vbi nunc Diui Stephani ecclesia, & Ara ad portam Tergeminam, quomodo ipsam intra mœnia comprehendens Romulus quadratam, vt est omnium opinio, vrbem posuisset? Quapropter velim istos diligentiores esse, neque incerta pro certis affirmare. Blon. autem ex Ouidii carminibus Vestæ esse nititur comprobare. Ouidii carmina hæc sunt.

Syluia vestalis (quid enim vetat inde moueri?)
Sacra lauaturas mane petebat aquas.

Ventum

Ventum erat ad molli decliuem tramite ripam.
Ponitur è ſumma fictilis vrna coma.
Feſſa reſedit humi, ventoſq; accepit aperto
Pectore, turbatas reſtituitq; comas.
Dum ſedet, vmbroſæ ſalices, volucresq; canoræ,
Fecerunt ſomnos, & leue murmur aquæ.

At hi verſus non probant ædem Veſtæ prope Tyberim exſtitiſſe, ſicuti Diony. hæc verba. Sunt qui conſtructionem Templi Veſtæ Romulo aſcribant, conſentaneum eſſe exiſtimantes, Vrbe condita à viro diuinationis perito conſtructam eſſe primum Veſtam communem, Vrbis conditore, eius præſertim Albæ nutrito, in qua vetus huius deæ, ex quo Vrbs condita fuit, templum erectum erat, neque quicquam antiquius Romulo eſſe debuit, quam Veſtam colere, qui eius deæ ſimulacrum ex Ilio tranſtulerat. Sed de conſtitutione templi, quod nunc exſtat, iſti videntur ignoraſſe. neque enim locum illum, in quo nunc ſacer cuſtoditur ignis, Romulus dedicauit deæ, cuius rei magnum argumentum eſt, quod is extra eam eſt, quæ quadrata dicta eſt Roma, quam Romulus muro cinxit. Hinc apparet Templum Veſtæ, quod inter Capitolium & Palatium obtinuit locum, à Romulo: hoc vero à Numa excitatum, de quo Sex. Pompe. ita meminit. Rotundam ædem Veſtæ Numa rex conſecraſſe videtur, quod eandem eſſe terram, qua vita hominum ſuſtineretur, crediderit, eamque pilæ formam eſſe, vt ſui ſimili templo dea coleretur. Ouidius autem vult anno Vrbis quadrageſimo erectum eſſe, ſphericamque formam ſicut Pomp. aſcribit. Et nos vidimus Albæ ædem vetuſtiſſimam ipſius Veſtæ circulari forma, in vertice foramen lucis cauſa habentem. Simulacrum autem nullum ipſam deum habuiſſe, vt ignis nullam certam habet effigiem, idem poeta teſtatur his verſibus.

Eſſe diu ſtultus, Veſtæ ſimulacra putaui:
Mox didici curuo nulla ſubeſſe tholo.

Dicta enim eſt Veſta, quod variis veſtita ſit rebus. Cicer. de Nat. deorum: Veſta, inquit, nomen à Græcis, ea enim eſt, quæ ab illis ἑστία dicitur. vis autem eius ad aras, & ad focos pertinet. itaque in ea dea, quæ eſt rerum cuſtos intimarum, omnis & precatio, & ſacrificatio externa eſt. Prope Veſtæ Matrem deum Cellam habuiſſe auth. eſt Blon. Salinæ fuit ſalis receptaculum in ea ripa Tyberis, quæ nunc à prædicta æde Veſtæ in Auentinum & ad naualia pertinet, de quibus Liuius ſic meminit: Romæ fœdum incendium per duas noctes, ac diem vnum tenuit; ſolo æquata omnia inter Salinas, ac portam Carmentalem. Hinc conſtat hanc portam non fuiſſe ad radices Auentini, quemadmodum Blon. putauit Arcus Horatij Coclitis ad primas Auentini radices, inter ipſum ſcilicet montem & Tyberim fuere, vbi paucos ante annos eruta ſaxa huiuſmodi inſcriptionem habebant.

P. LENTVLVS. C. N. F. T. QVINTIVS CRISPINVS VALERIANVS COSS. EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERE IIDEMQ. COMPROBAVERE.

CAP. LIV.

De Foro, & Arcu Boarium, ſeu auriſicum.

EXPOSITIS iis, quæ in hac quinta parte à dextera ſecundum Tyberim ſteterant, conſentaneum eſſe videtur, vt in ſiniſtram diuertamus, & quidquid occurrerit explicemus. Sed quia ex fori Boarij deſcriptione vnaquæque res proprium locum facilius accipiet, de ipſo prius videbimus. Forum igitur Boarium licet inter Romanum & Tyberim à Fule ſit collocatum, tamen Liuij verba, in ipſum per nos paulo ante adducta, clare indicant fuiſſe prope Velabrum & Ianum, inter Palatinum montem, & Scholam græcam. oſtendit & deſcriptio Vrbis Romuli à Cor. Tac. ab æneo Tauri Simulacro incœpta. Vnde ex vno in plures incidere errores Ful. apparet. Boarium ab eodem Tauri ſimulacro dictum quidam volunt, quidam vero ob Taurum immolatum interfecto Caco, atque bobus recuperatis, Ouid. priorem ſequitur opinionem, eius ſunt hæc carmina.

Immolat ex illis taurum tibi Iuppiter vnum
Victor, & Euandrum, ruricolas q; vocat.
Constituitq; sibi, quæ maxima dicitur, aram,
Hic, vbi pars vrbis de boue nomen habet.

& alibi.

Pontibus, & magno iuncta est celeberrima circo
Area, quæ posito de boue nomen habet.

Sex. vero Pom. quod ibi boues venundarentur, cui adstipulatur Var. cum inquit. Quo quidem genera conferrent forum appellatum, additumq; ab eo cognomen, vt forum Boarium. Liuius etiam primo belli pu.innuit boues ibi venundatos esse, memorans in eodem foro bouem in tertiam contignationem ascendisse. In frontispicio autem portæ marmoreæ, adhuc apud ecclesiam S. Georgii existentis, insculpta hæc sunt verba.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIO. SEVERO. PIO. PERTINACI. AVG. ARABIC. ADIABENIC. PARTH. MAXIMO. FORTISSIMO. FELICISSIMO. PONT. MAX. TRIB. POT. XII. IMP. XI. COS. III. PATRI. PATRIÆ. ET IMP. CÆS. M. AVRELIO ANTONINO PIO FELICI AVG. TRIB. POT. VII. COS. III. P. P. PROCOS. FORTISSIMO FELICISSIMOQVE PRINCIPI. ET IVLIÆ AVG. MATRI AVG. N. ET CASTRORVM ET SENATVS ET PATRIÆ. ET IMP. CÆS. M. AVRELII ANTONINI PII FELICIS AVG. PARTHICI MAXIMI BRITANNICI MAXIMI. ARGENTARII ET NEGOTIANTES BOARI HVIVS LOCI QVI INVEHENT DEVOTI NVMINI EORVM.

Ibidem autem visuntur taurorum immolationes, & instrumenta cum victimariis & sacrificolis ad sacrificia ipsa peragenda accinctis. In foro Boario gladiatorum munus primũ Romæ est datum. Liuius refert Fabio & Marcello Coss. in eodem sanguinem pluisse, puerumque semestrem triumphum proclamasse: Val. Max. licet Liuius in Holitorio dicat.

CAP. LV.

De Templo Herculis Victoris, & Ara Maxima.

TEMPLVM Herculis Victoris, præter illud, quod ad portam Tergeminam, iuxta Tyberim Octauium Herenum impetrato à magistratibus loco consecrauisse scribit Macrob. alterum rotundum in foro Boario ponitur à Liuio, & Solino, in hæc verba: Sacellum Herculis in Boario foro est, in quo argumenta, & conuiuia maiestatis eius remanent, nam diuinitus neque muscis illo, neq; canibus ingressus est. Etenim cum viscerationẽ sacrificolis daret, Miagirum id est muscarum congregatorem deum dicitur imprecatus, clauam vero in aditu reliquisse, cuius olfactu refugerunt canes, idq; vsq; nunc durat: Romæ, inquit Plin. in ædem Herculis nec muscæ, nec canes intrant. Hoc templum cum multis antiquitatibus dirutum tempore Xysti IV. Pont. Max. scribit Pomp. Letus haud procul à schola Græca, vbi ænea ipsius dei statua fuit reperta, quæ hodie, vt diximus, in ædibus Conseruatorum est sita. Eodem autem in loco, quo Simulacrum effossum, est marmor cum hoc titul.

DEO HERCVLI INVICTO
C. IVL. POMPONIVS PVDENS SEVERIANVS. V. C. PRÆF. VRB. Item,
HERCVLI INVICTO
M. CASSIVS HORTENSIVS PAVLINVS PR. VR. XV. VIR SACRIS FACIVNDIS DONVM DEDI.

Idem Plin. ait Euandrũ Statuam Herculi in foro Boario sacrauisse, quæ triumphalis Hercules dicebatur: per triumphos enim triumphali habitu vestiebatur. Verum non arbitramur hanc esse statuam, de qua egimus, quæ enim nunc exstat, in æde ipsius Herculis M. Fuluio, & Cn. Manlio Coss. posita fuit. Ædes autem ipsa celebrata est Pacuuii poetæ nobili pictura, in qua lectisterniũ esse non licebat, & in sacris nec seruis, nec libertis interesse,

esse, quorum sacrorum initium docet Ser. gram. & Liuius, hanc eandem ædem Neronis incendio conflagrasse testatur Corn. Tac. Tertiam Herculi ædem fuisse ibi prope putauit Ful. à Senatu monitu carminum sibyllinorum consecratam, Sylla dictatore eius dedicationem approbante, adducitque Ouidii hæc Carmina.

Altera pars circi custode sub Hercule tuta est.
Quod deus cuboico carmine munus habet.

Et reliqua. Sed Ouid. intelligit de circo Flaminio, vt, vbi de ipso agetur, infra apparebit. Regnante autē Euandro; Aram solum Hercules habuit, in foro Boario prope Scholam græcam, quam Maximam à magnitudine fabricæ appellarunt. Est enim ingens sicut hodieque videmus, inquit Ser. de qua poeta sic meminit.

Hanc aram luco statuit, quæ maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ maxima semper.

Et Propertius.

Maxima quæ gregibus deuota est ara repertis,
Ara, per has inquit maxima facta manus.

Fuit autem venerationi inter accolas præcipuæ, ad quam Hercules bonorum decumas obtulit, dixitque illos vitam beatissimam victuros, qui sibi bonorum decumam dicauissent, quod fecit Sylla, Lucullus, M. Crassus, & decima herculanea nuncupatur. Plaut. Detraxit, inquit, partem herculaneam. Ab hac sequestrari mulieres voluit, quæ nihil attingerent, neque degustarent, quod supra aram immolatum esset.

CAP. LVI.

De Pudicitiæ, Fortunæ prosperæ, Matutæ, Fortis Fortunæ Æde, ac de Vico Publico, Velabro, & Accæ Laurentiæ Sepulcro.

AD Herculis autem Pudicitiam Patriciam Ædem, ab Æmilio conditam, habuisse, sic testatur Liuius: Certamen in Sacello Pudicitiæ Patriciæ, quæ in foro Boario est ortum. Non vnam quidem, sed plures Pudicitiæ sacras ædes fuisse in Vrbe affirmant, quæ sequuntur, Propertii carmina.

Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuius nuptæ quidlibet esse licet.

Et Sex. Pom. hoc modo Pudicitiæ Signum in foro Boario, vbi familia edisset Herculis, cuius sacra non obibant plebeiæ. Quare in vico Longo Pudicitiæ Plebeiæ Sacellum à virgine plebeia excitatum est. Fortunæ Prosperæ, & Matutæ Ædes sacras in eodem foro constituit Ser. Tullus. Prosperam ideo appellauit, quod in se ipso Cœca non fuisset. hinc Ouid.

Cæca in hoc vno non fuit illa viro.

Eo autem in loco mel ex olea fluxisse tenet fama, aruspicesq; dixisse summa nobilitate illas sortes futuras, eorumque iussu ex illa olea arcam esse factam, eaque conditas sortes, quæ Fortunæ monitu pueri manu miscebantur, atque ducebantur. Plut. in prob. scribit Ser. Tullium omnes actus fortunæ adscripsisse, à qua subleuatus fuerat ab ancilla matre ad regnum prouectus, hincque Fortunæ Primigeniæ, & Masculæ Templa erexisse; aliud conuertentis; aliud bene sperantis; aliud Fortunæ videntis, quasi ea nos procul capiamur, negotiis, ac rebus inhæreamus. Construxit etiam Fortunæ Paruæ Templum, quasi docens homines diligenter attendere debere, ne ea, quæ accidunt, quasi parua, contemnerent. Liuius tertio quintæ dec. prodidit. Q. Marcio Philippo iterū, & Q. Ser. Cepione Coss. in Vrbe duos ædituos nuntiasse, alterum in æde Fortunæ, anguem iubatum à cōpluribus visum esse, alterum in æde Primigeniæ Fortunæ, quæ in colle erat, duo diuersa prodigia, palmam in area enatam, & sanguine interdiu pluisse. Matutæ Ædes, refecta prius

à Ser. Tullio, longo tempore post à Camillo fuit dedicata, qui bello Veientiũ eam vouerat. Vtriusque autem deæ festum eodem celebratur die, eodem etiam incendio vtraque ædes exhausta est, eodem auth. qui alibi narrat Caruilium Cos. ex bello Hetrusco æris grauis tulisse in ærarium trecenta nonaginta milia, de reliquo ære ædem Fortis Fortunæ de manubiis faciendam locauisse, prope ædem eiusdem deæ. Et primo quintæ dec. in æde Matris Matutæ tabulam cum hoc indice positam.

T. SEMPRONII GRACCHI COS. IMPERIO AVSPICIOQVE LEGIO EXERCITVSQVE P. R. SARDINIAM SVBEGIT IN EA PROVINCIA HOSTIVM CÆSA AVT CAPTA SVPRA LXXX. MILIA REP. FELICISSIME GESTA ATQVE LIBERATIS VECTIGALIBVS RESTITVTIS EXERCITVM SALVON ATQVE INCOLVMEN PLENISSIMVM PREDA DOMVM REPORTAVIT. ITERVM TRIVMPHANS IN VRBEM ROMAM REDIIT CVIVS REI ERGO HANC TABVLAM DONO IOVI DEDIT.

A foro autem Boario incipiebat Vicus Publicus, in Auentinum ad templum Iunonis Reginæ ducens, vt idem Liuius supra ostendit, cum inducit virgines ab foro in cliuum ascendentes publicum, quo in loco signat sedem Velabri prope forum Boarium, vbi nunc ædes diui Georgii cognomento in Velabro. Auentinus olim erat ab reliquis montibus discluſus; itaque eo ex Vrbe via qui aduehebantur ratibus quadrantem soluebant, vnde Velabrum à vehendo. Velaturam facere, inquit Var. etiam nunc dicuntur, qui id mercede faciunt. Propert.

At qua Velabri regio patet, ire solebat
Exiguus pulsa per vada linter aqua. Ouid.
Qua velabra solent in circum ducere pompas,
Nil præter Salices, crassaque canna fuit.
Hic, vbi nunc fora sunt, lintres errare videres
Quaque iacent valles maxime circe tua.

Priusquam enim Tarquinius Priscus alueum mutaret, ex eruptionibus Tyberinis sinus ibi fiebat in morem lacus; vt statim ex Prop. percipiemus. Sepulcrum Accæ in Velabro celeberrimo Vrbis loco fuisse scriptum reliquit Antias: de quo in Vrbis Romuli descriptione supra facta est mentio.

CAP. LVIII.

De Vertumno, eiusque templo, Iano Quadrifronte, Ædibus Africani, & Basilica Sempronia, ac de Laneis Tabernis.

VERTVMNVM Deum antiqui dixere, qui non solum rebus vendendis, emendisque, sed etiam humanis mentibus præesset, à vertendo, quia hominum cogitationes verteret. Vertumnus autem ipse duabus aliis ex causis se id nomen adeptum ait apud Propert. Cuius carmina, quia affirmant, quæ dicta sunt de sinu Tyberino, non grauabor subiungere, ea enim sunt hæc:

Quid mirare meas tot in vno corpore formas,
Accipe Vertumni signa paterna dei.
Thuscus ego Thuscis orior, nec pœnitet inter
Prælia Vulscinos deseruisse focos.
Nec me turba iuuat, nec templo lætor eburno,
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam tyberinus iter faciebat, & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis
Vertumnus verso dicor ab amne deus.

Seu

Seu quia vertentis fructum percepimus anni.
Vertumni rursus credidit esse sacrum.

Asconius signum fuisse in vltimo vico Thurario, siue, vt ait Var. Thusco, sub basilicæ angulo plectentibus se ad dexteram partem: eumque Deum inuertendarum rerum, id est, mercaturæ esse vult. Fuit enim prope Ianum nunc quadrifrontem, vbi Aræ Opis & Cereris. Quidam Vertumnum & Ianum eundem tradidere. Cic. in Ver. locum innuit his verbis. Quis à signo Vertumni in circum Maximum venit, quin is vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur? Vertumnalia dies festus à Vertumno dictus, cuius feriæ Octobri mense celebrabantur. Sex. Pomp. refert Vertumnum Templum habuisse M. Fuluii Flacci triumphantis pictura clarum, quod in vico Thusco posuit. P. Victor. si id est, quod Iani, certe aliud esse ab hoc, quod marmoreum, quadrifonsque extat in Velabro, opinamur. est enim pene integrum, vt ab aliquo nouissimorum Imperatorum excitatum putem, non autem à Numa, vt falso edit Blon. cuius opinionem quisque facillime respuet, attendere diligenter si velit ad ea, quæ dicta sunt supra, vbi de eodem tractauimus templo. Huius vero testudo quatuor tantum pilis sustinetur, quatuor portarum institutum, vt diximus, ad quatuor anni temporum similitudinem, vnde in singulis frontibus duodecim loculi, siue fenestræ spectantur; quæ videntur significare ipsum diuum principium, & Ianuã esse totius anni in duodecim menses diuisi. Hinc Cic. de nat. deo. cum in omnibus, inquit, rebus vim haberent maximam, prima & extrema principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est deductum: ex quo transitiones peruiæ Iani, foresque in liminibus profanarum ædium Ianuæ nominantur. Ædes P. Africani, & Basilicam Sempronii ad signum Vertumni, prope nunc S. Georgii in Velabro ecclesiam fuisse, docent Liuii verba, quæ ex libro quarto dec. quintæ sunt hæc. T. Sempronius ex ea pecunia, quæ ipsi attributa erat, ædes. P. Africani pone veteres ad Vortumni signum, Laneasque, & tabernas coniunctas in publicum emit, Basilicamque faciendam curauit, quæ Sempronia appellata est.

CAP. LVIII.

De Argileto, Domo Cornelij, Æquimelio & Socordiæ Sacello.

ARGILETVS à fine vice Thusci incipiens ad Marcelli theatrum terminabatur. Fabius autem pictor à principio vici Thusci sub Cœliolo, inter circum Maximum, & Auentinum, deduxit. Huius etymologia secundum Var. trahitur ab argilla, quod ibi esset id genus terræ; siue à fabula. Nam Euander Argum quendam hospitio susceptit, qui cum de eius cogitaret interitu, vt ipse regnaret, Euandro hæc non sentiente, socii intellexerunt, qui Argum necarunt, cui Euander & sepulcrum fecit, & locum sacrauit: de quo poeta sic ait:

Nec non & sacri monstrat nemus Argileti.

Imus autem Argiletus ad theatrum Marcelli fuit, vt supra de Iano locuti ostendimus. In hoc vico erant opificum Tabernæ, Bibliopolarum præsertim, quas Argiletanus appellat Mar. hoc carmine:

Argiletanas mauis habitare tabernas.

Cornelium Domitiani patris clientem domum iuxta Velabrum habuisse testatur Cor. Tac. in qua fugiens Domitianus delituit. Æquimelium sub Capitolio statuit Liuius, cum inquit: Substructionem super Æquimelium in Capitolio, & viam silice sternendam à porta Capena ad Martis ædem locauerunt. Ad quam partem Capitolii indicat libro quarto bel. pu. inter Salinas, ac portam Carmentalem cum Æquimelio, lugarioq; vico omnia sacra, & prophana igni absumpta esse commemorans. Et tertio eiusdem belli lupum Exquilina porta ingressum frequentissima vrbis parte decurrisse in forum, Thuscoque vico, atq; Æquimelio per portam Capenam prope intactum euasisse. Hinc iudicamus Æquimelium fuisse inter Velabrum, & Capitolium ad tabernas Laneas. Vnde autem diceretur idem author Sp. Melii regnum affectantis mortem describens, sic ostendit: Nec satis

UNIVERSITY OF LONDON WARBURG INSTITUTE

est eius sanguinem expiatum, nisi tecta, parietesque, intra quę tantum amentiæ conceptum esset dissiparentur, bonaque contacta pretiis regni mercandi publicarentur. Iubere itaque Quæstores vendere ea bona, atque in publicum redigere, domum deinde, vt monimento area esset oppressæ nefariæ spei, dirui extemplo iussit, idque Æquimelium appellatum est. Ostendit & Cic. pro domo sua. Sequebatur circus Maximus; sed quia socordia, licet sero, occurrit, huic ordini postremo loco addetur. Murtiæ igitur Socordiæ deæ Sacellum sub Auentino stabat, ad cliuum publicum, quo ascenditur ad ædem S. Priscæ. vnde Auentinus Murtius aliquando est denominatus, de hoc vero Sacello Liuius sic meminit: Tum quoque multis milibus latinorum in ciuitatem acceptis, quibus, vt iungeretur Palatio Auentinum, ad Murtiæ datæ sedes. Quidam autem in hoc ambitu Asylum ponunt; at supra ostendimus in Capitolio fuisse, idq; etiam Strabo affirmat. Corn. Tac. ad radices saxi Carmentalis statuere videtur. Sed dicendum in Capitolio á principio institutum: multis vero templis in eo iam excitatis, alio translatum. Non enim verisimile creditur in domicilium deorum, vbi omnes diuitias, vbi spem salutis Vrbis, vbi infinita auri, & argenti simulacra collocassent, vbi frequens Senatus de rebus pub. deliberaret, latrones, & infames confugere S. P. Q. R. permisisse.

CAP. LIX.

Circus quid, vnde dictus, & cuius rei causa institutus,

LOCVTVRI de Circis, & in primis de eo, qui primus institutus, Maximus est appellatus, consentaneum esse videtur, de iis quędam præfari, nõ minorem vtilitatem allatura, quam ipsorum locorum, & sedis cognitio possit afferre. Circus igitur olim locus vbi ludicra celebrabantur certamina, forma oblonga, ad instar arcus, in circuitu habens gradus spectatoribus sedem commodissimam præbentes: ita vt alterius prospectum non impediret. In medio campi duæ metæ pari interuallo stabant, de quibus Suet. ita meminit. Nam quo laxius dimicaretur sublatæ metæ, inque earum locum bina castra ex aduerso constituta erant. Idem in Claudio: Circo vero Maximo marmoreis carceribus, auratisque metis, quæ vtraque tophina, & lignea fuerant, exculto. Quo enim anno Priuernum Romani obsidebant Carceres, qui in prima parte circi erant, primum ædificatos ferunt: dicti quod iis coercerentur equi, ne inde exirent, quam magistratus signum misisset. Dicebatur autem circus secundum Var. quod circum spectaculis ædificatis ibi ludi fierent, & quod ibi circum metas ferretur pompa, & equi currerent. Ludorum vero celebrationes deorum festa erant, si quidem ob natales eorum, vel templorum nouorum dedicationes sunt constituti, & primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno attributæ, Ludi scenici Libero, Circenses Neptuno, & alij alijs dijs, varijsue ex causis, sicuti Sisinius in libris spectaculorum memoriæ prodidit. Circenses etiam in honorem Cereris celebratos esse, probant Corn. Tac. hæc verba: Tandem statuta Circensium ludorum die, qui Cereri celebrantur, & Ouid sic.

Circus erit pompa celeber, numeroq; deorum,
Primaq; ventosis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi, non est opus indice causæ:
Sponte deæ munus, promeritumq; patet.

Circenses dicti sunt quod in littore fluminis agitabantur in altero latere positis ensibus. Sed ad circi Maximi descriptionem aggrediamur.

CAP. LX.

De Circo Maximo.

CIRCVM autem Maximum Tarquinium Priſcum inſtituiſſe commemorat Liuius,&Diony.in hæc verba. Extruxit Circum Max. Tarquin.qui eſt inter Auentinum & Palatinum, circa eum primus faciens ſedilia cooperta. primum enim ſpectabant ſtantes ſub tabernaculis ligneis, harundinib.aridis fultis. Longitudo circi eſt triũ ſtadiorum cum dimidio: latitudo quatuor iugerum. Circum vero ſecundum maiora latera & ſecundum vnum minorum,ſtagnũ in ſuſceptionẽ aquarũ defoſſum eſt,altum, latumq; pedes denos, poſtq; ſtagnũ ædificatæ ſunt porticus,tectura triplici, harũ autem pauimenta habent, vt in theatris,parum ſuperſtantia lapidea ſedilia, in ſuperioribusq; lignea. Conducuntur autẽ in vnũ, & coniunguntur inuicẽ maiores,& minores ad figuram lunarẽ,ita vt fiat porticus vna circularis ex tribus quæ ab vno ſimul omnes verbere recluduntur, octo ſtadiorum: capax hominũ centum& quinquaginta millium. reliquũ autem minorum laterum apricum,atque habet apertum in modum forficum,equorum emiſſiones, quæ per vnũ ſimul omnes ſtimulũ recluduntur. Eſt autem circa eundem circum extrinſecus alia porticus vnius tecturæ officinas in ſe habens,& habitationes ſuper eas,per quam ſunt ingreſſus, & aſcenſus venientib. ad ſpectaculũ,iuxta quamq; officinã,ita vti nihil turbet tot millia ingredientiũ & abeuntium. Non credimus autem in eam amplitudinem& magnificentiam,quam deſcribit Diony. Tarquinium circum poſuiſſe.legimus enim apud Plinium extructum à Cęſare longitudine ſtadiorum trium,latitudine vero vnius cum ædificiis. Exornauit deinceps Auguſtus,Claudius,vt diximus,carceres marmoreos fecit,metasq; deaurauit.Collapſum vero amplioręm,elegantioremq; reſtituiſſe Traianum ſcribit Diony. Mox Heliogabalus columnis pulcherrimis, auroq; illuſtrauit, cuius pauimentum ex chryſocola fecit. Eſt enim Chryſocola materies naſcens poſt aurũ effoſſum, auri quidem colorem retinens, cum ſit lapis. Suet. in Calig.de Chryſocola ſic meminit. Et quoſdam præcipuos minio,& Chryſocola conſtrato circo. Circo quidem Maximo pauimentum ideo fuerat poſitum, quo, poſt naumachiam, emiſſa in Tyberi aqua (adhuc enim ſubterranei ductus,ab ipſo circo ad Tyberim,videntur.) nullo cœno impediente, reliqua celebrarentur certamina. quod pauimentũ etiam nunc extat multa cooportum tellure. De Circi autem pulchritudine Nazarius in pan,refert talia. Circo ipſi Maximo ſublimes porticus, & rutilantes columnæ tantum inuſitati ornatus dederunt,vt illo non minus cupide conueniatur loci gratia,quã ſpectandi voluptate. Partem vero huius Auentino contiguam Tiberij tempore deuſtam eſſe teſtatur Corn. Tac. Annius Viterb. Maximi obtinuiſſe nomen putat, quia maximo deorũ Vertumno ſacratus eſſet. Alij à ludorũ ſumptuoſitate & excellentia. Alij ab amplitudine, quod longe maior eſſet,quam circus Flaminius,& Intimus. Plin.enim, vt dixi,facit longitudinem trium ſtadiorum, latitudinem vero vnius. Capiebat ducenta & ſexaginta millia hominũ ſedẽtium. Quod autem Dion. dicit centum quinquaginta: intelligendum à principio hunc numerum,ampliatum vero illum cœpiſſe. Quinimo exiſtimo Maximi cognomentum inditum longo tempore poſt Tarquinium, quod innuit Liuius cum dicit, qui nunc Maximus dicitur.nunc,quaſi olim hoc epitheto careret.

CAP. LXI.

De Templis & Aris,quæ in circo Maximo, vel apud fuiſſe leguntur.

CONSVS conſiliorum deus in Circo Max. Templum habuit, ſub tecto, vt oſtenderetur tectum debere conſilium eſſe. Ideo autem dicato Conſi ſimulacro rapuerunt Sabinas,vt tegeretur initum de rapto conſilium. Iſte Conſus & eques Neptunus dicitur, vnde & in eius honorem circenſes celebrabantur. Plut. vero ait Romulum cuiuſdam dei Aram conditam ſub terra in circo inueniſſe, eique deo indidiſſe nomen Conſo, ſiue à con-

à consilio, quod consiliarius foret, siue Neptuni equestris: aramque ipsam reliquum tempus latere, in equestribus vero certaminibus aperiri. Diony. libro tertio prodidit Arcades Neptuno equestri Templum, solennemque diem constituisse. Aram vero postea Genio cuidam arcano occultorum consiliorum duci, atque custodi constructam, quibus verbis innuit Consum aram tantum, Neptunum vero templum habuisse, neque eundem esse Neptunum, qui Consus: cui adstipulari videntur Var. verba, quæ sunt. Consualia dicta à Conso, quod tum feriæ publicæ ei deo, & in Circo Maximo ad aram eius ab sacerdotibus fiunt ludi illi, quibus Sabinæ sunt raptæ. Præterea anno M. D. XXVI. repertum est sacellum in ipso circo, post Diuæ Anastasiæ Templum, in radicibus montis Palatini, ipsius circi fundamentis inclusum, variis conchis marinis, variisque lapillis inuicem consertis pulcherrime exornatum; sub maioribus conchis latebat rubra pictura, nullam tamen videbas imaginem, præter aquilæ effigiem, colore candidam, cæterum cristam rubram habentem, in testudine templi ex huiusce lapillis & conchis fabrefactam; quo in loco Deum Patrem nunc ponere solemus. Hoc templum Neptuni fuisse constans erat omnium opinio. quod cum longe esset remotum ab ea parte circi, vbi Corn. Tacit. in descriptione Vrbis Romuli Aram Consi collocauit, non possum non probare quod Diony. videtur velle, videlicet, templum Neptuno, aram vero Conso fuisse sacram. Quanquam Liuius Consualia Neptuno attribuit, & Sex. Pompe. admonet Consuales celebrari mulis solitos esse in Circo Maximo, quia id genus quadrupedum primo putaretur currui, vehiculoq; adiūctum. Habuit Circus etiam tres Aras sacras, vnā Magnis diis, alteram diis Penatibus; tertiam diis Cœli & Terræ: à quibus omnia oriuntur. Hos Romani Genios & Penates, Vrbisque præsides & custodes vocant. Liberi Liberæque, atque Cereris Templo iuxta circum Maximum sedem Cor. Tac. sic fecit. Iisdem Temporibus dum ædes vetustate, aut igni abolitas, cœptasq; ab Augusto dedicauit, Libero, Liberæque, etiam Cereri iuxta circum Maximum. Tradunt alii Cassium Cos. ædem Cereris & Liberi, Proserpinæque, quæ erat supra Circi terminos, vltra ipsas missiones, dedicauisse, cum vouisset diis eam repromissionem pro Vrbe Posthumius aduersus Latinos pugnaturus. At de Veneris talia habet Liuius: Q. Fabius Gurges Cos. filius aliquot matronas ad populum stupri damnatas pecunia multauit, ex quo multatitio ære Veneris ædem, quæ prope circum est, faciendam curauit, & in bello Mac. scribit in eodem Ædem Iuuentutis à Lucinio duumuiro dicatam. Ouid. vero Mercurii templum circum Maximum spectauisse. Solis autem, & Floræ eodem in loco, quo Cereris locauit Corn. Tacit. Verum Solis Tatium regem alteram ædem prius dedicauisse testis est Var. Plinius narrat Simulacrum Fortunæ Seiæ suo tempore in circo fuisse.

CAP. LXII.

De Naumachia Circi Mall.

NAVMACHIA locus ita appellatus, ὅτι αὐθοπί ταις ναῦσι μαχέοιντο, id est, quod ibi nauibus certarent. Nam loca instar lacunarum fodientes naualis pugnæ simulacra ibi committebant, ad exercendam iuuentutem Romanam, quæ disceret & in aquis aduersus hostes pugnare, huiusmodi ludicra certamina non solum in circis, verum etiam in amphitheatris commissa esse testatur Suet. Vestigia autem illius, quam diximus, comprehensam inter circum Maximum, & Auentinum, ad radices eiusdem montis adhuc apparent.

est enim locus ibi depressus hortis, perpetuis aquis, irriguis.

CAP. LXIII.

De Obeliſcis duobus Circi Max.

IN Circo Maximo alter duorum obeliſcorum octuaginta octo erat pedum; alter vero iacens adhuc in naumachia, obrutus tellure, centum triginta & dodrantis, præter baſim, quem Auguſtus ex Hieropoli Ægyptiorum Vrbe tranſtulit, nunc eſt in duas partes fractus, quod quidem accidit cum ipſe princeps erigere vellet. Exciſus à rege Semnefreto, quo regnante Pithagoras in Ægypto fuit.

ADNOTATIO.

Anno M.D.LXXXVII. Sexti V. Pont. Max. iuſſu (poſtquam è priori ſede Obeliſcum Vaticanum auulſerat, ac in Foro Principibus Apoſtolorum dicato non minori ſumptu quam ingenio locauerat) eruti ſunt è Circi maximi cauea percelebres duo Obeliſci miræ magnitudinis, pœne confracti, quorum maior, Conſtantii nempe Auguſti, vt inſcriptio carminibus in eius cippo inſculptis teſtatur, pedum vero 112. longitudinis, in Lateranenſe forum, ingenti Pontificis ſumptu, ingenio ductuque Dominici Fontanii Architecti è pago Mili, agri Honocomenſis translatus & erectus, ac ſanctiſſimæ Cruci Saluatoris noſtri ad perpetuam rei memoriam dicatus eſt. Alter vero minor Auguſti Cæſaris, vt inſcriptio in illius baſi docet, longitudinis pedum LXXXII. Soli ab eodem Auguſto dicatus, ante Baſilicam Sanctæ Crucis (quæ dicitur in Hieruſalem) in agro Seſſoriano, eidemque Sacratiſſimæ Cruci eodem Pontifice iubente, ipſoque Architecto vehente erectus & ſacratus eſt.

ADDITIO.

Addendum nobis fuit his quæ ſuperius diximus de Obeliſcis, inſcriptiones, quæ repertæ ſunt in ambobus Obeliſcis effoſſis hoc anno M. D. LXXXVII. è Circo Maximo. In eo enim Conſtantii qui maximus eſt omnium qui in Vrbe fuerunt translati eius baſe, vel cippo (vt aiunt) licet ſatis perfracto, aderat ſubſequens carminibus inſcriptio, è quatuor lateribus, quæ à viris literarum præditis, ac ingenio præſtanti Ioanne Hieronymo Catena à ſecretis epiſtolis Illuſtriſſimi Cardinalis Alexandrini, & Michaele Mercato Phyſico, & à ſimplicium herbarum notione, Viridario ſummi Pontificis Præfecto, ſic fuerunt concinnati.

Pars Auſtralis.

PATRIS OPVS MVNVSQVE SVVM TIBI ROMA DICAVIT
AVGVSTVS TOTO CONSTANTIVS ORBE RECEPTO
ET QVOD NVLLA TVLIT TELLVS NEC VIDERAT ÆTAS
CONDIDIT VT CLARIS EXÆQVET DONA TRIVMFIS
HOC DECVS ORNATVM GENITOR COGNOMINIS VRBIS
ESSE VOLENS CÆSA THEBIS DE RVPE REVELLIT.

Pars Orientalis.

SED GRAVIOR DIVVM TANGEBAT CVRA VEHENDI
QVOD NVLLO INGENIO NISVQVE MANVQVE MOVERI
CAVCASEAM MOLEM DISCVRRENS FAMA MONERET
AT DOMINVS MVNDI CONSTANTIVS OMNIA FRETVS
CEDERE VIRTVTI TERRIS INCEDERE IVSSIT
HAVT PARTEM EXIGVAM MONTIS PONTOQVE TVMENTI.

Pars Septentrionalis.

CREDIDIT ET PRACIDO VECTA EST VELOCIVS EVRO
LITVS AD HESPERIVM POPVLO MIRANTE CARINAM
INTEREA ROMAM TAPORO VASTANTE TYRANNO

AVGVSTI IACVIT DONVM STVDIVMQVE LOCANDI
NON FASTV SPRETI SED QVOD NON CREDERET VLLVS
TANTÆ MOLIS OPVS SVPERAS CONSVRGERE IN AVRAS.

Pars Occidentalis.

NVNC VELVTI RVRSVS RVFIS AVVLSA METALLIS
EMICVIT PVLSATQVE POLOS HÆC GLORIA DVDVM
AVCTORI SERVATA SVO CVM CÆDE TYRANNI
REDDITVR ATQVE ADITV ROMÆ VIRTVTE REPERTO
VICTOR OVANS VRBIQVE LOCAT SVBLIME TROPÆVM
PRINCIPIS ET MVNVS CONDIGNIS VSQVE TRIVMFIS.

In baſe vero ſeu cippo obeliſci Auguſti Cæſaris, qui ex eodem Circo paulo poſt, eodem tamen anno erutus, quique multo minor Conſtantiano eſt, tales inciſæ ſunt literæ, quo ſequitur ordine.

IMP. CÆSAR DIVI F.
AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP. XII. COS. XI. TRIB. POT. XIV.
ÆGYPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT.

CAP. LXIIII.

De Fornice Sertinij in Circo, Loco Tuberonum, Lupanaribus, Pompei domo; & Iuturnæ Fonte.

DECORATVS autem circus Max. erat Fornicæ à Sertinio excitato, vt refert Liuius his verbis: Sertinius ex vlteriore Hiſpania, ne tentata quidem triumphi ſpe, quinquaginta millia pondo argenti in ærarium tulit, & de manubiis duos fornices in foro Boario ante Fortunæ ædem, & Matris Matutæ, vnum in Maximo circo fecit; & his fornicibus ſigna aurata impoſuit. Heliorum familia fuit haud diues, eodem autem tempore fuere ſexdecim in vnis ædibus Tuberones, quibus, vt ludos ſpectarent, in Circo Max. & Flaminio locus ob virtutem publice eſt donatus: auth. Val. Max. Apud circum Lupanaria, vbi meretriculæ corporis quæſtum faciebant, vnde Iuu.

Et ad circum iuſſas proſtare puellas. Fuere etiam noſtro tempore inter Ianum quadrifrontem, Tyberim & ſcolam græcam, pene ad ipſum circum producta, à proſtitutis mulieribus occupata; cæterum quatuor ab hinc annis ſolo æquatis ædificiis remanſit area ruinis oppreſſa. Sunt qui in circo fuiſſe columnam Bellicam tradunt, propter Ouid. quæ ſequuntur, carmina.

Proſpicit à tergo ſummum breuis area circum,
Eſt ibi non paruæ parua columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuntia mitti,
In regem, & gentem cum placet arma capi.

Nos vero dicimus Ouid. de Flaminio, non autem de circo Max. intellexiſſe, vt infra, vbi de circo Flaminio agitur, apparet. Pompei Domus apud circum, de qua Plin. ſic meminit, Hercules apud circum Maximum in æde Pompei Magni Iuturnæ aquæ Fontem in Velabro adhuc ſcaturire putat Ful. & olim feciſſe lacum in foro Romano iuxta templum Veſtæ, aquamque ipſam ſaluberrimam habitam. Sed, vt declarauimus, antiqua eſt cloaca, vel aquæductus, vt fornices ex ſaxo quadrato in Tyberim vſque producti clare oſtendunt.

CAP.

CAP. LXV.

De Septizonio Seueri.

SEQVITVR in sexta parte situs Vrbis tertio ordine montium Cœlius, quẽ tertium additum Vrbi supra demonstratum est, sed priusquam hunc ascẽdamus, pauca quædam dicenda occurrunt de Seueri Septizonio, & Constantini arcu, inter ipsum Cœlium & Palatinum montem excitatis: Prius autem quid sit Septizonium, vt videamus, illud nos admonet, quod annis ab hinc quatuor, dum Rhodobium natalem mihi patriam proficiscerer, essentque verba de reliquiis Vrbis cum comitibus, & conterraneis meis IAC. Bubino, & IAC. Scaramutia, viris literatis & probis, alter rogauit, quid esset, & an aliquod Romæ exstaret Septizonium, cui memini me his verbis respondere. Est Septizonium magna quædã moles quadrata, quæ septem cingulis, id est, columnarum ordinibus inuicem superimpositis in modum quatuor porticuum, ambitur; ita vt columnæ quanto altiores, eo minores, breuioresque disponantur, in cuius medio quatuor parietes loculos quosdam facientes surgunt, in summo regum, vel imperatorum condebantur cineres. Duo autem Romæ fuisse inueniuntur; antiquiores meminit Plin. & Suet. qui ait Titum apud Septizonium cubiculo paruo, & obscuro natum quarto Cal. Ianuarij. Manet, inquit, adhuc, & ostenditur locus. vbi autem, dubitatur, constat tamen in via Noua, haud procul à Seueri fuisse Septizonio. Seueri autem adhuc supersunt eregione templi S. Gregorij tres operis ambitiosi veluti Zonæ, columnarum pulchritudine, magnificentia, altitudine spectabiles, ex quibus connectuntur, vix credibilis reliqua altitudo fastigium ad culmen æstimantibus, si moles integra cum totis septem zonis supereſſet. Quod autem sit illud antiquum instauratum à Seuero, vt autumat Ful. stultum est credere, cum Seuerus multis annis post Titũ imperauerit, & Spartianus Septizonium Seueri in via Appia, & à Seuero exstructum constituat. Funus, inquit, Getæ illatum est maiorum sepulcro, hoc est Seueri, quod est in Appia via, euntibus ad portam dextera, specie Septizonij extructum, quod sibi ille viuus ornauerat. Idem quum septizonium faceret, nihil aliud cogitauit, quam vt ex Africa venientibus suum corpus occurreret. Duplex autem, præter illam, quam diximus, traditur etymologia. Iulius enim Capitolinus Septodium legit. scimus enim Grecos locũ ciuibus frequentatum, ad quẽ multæ perducantur viæ, Septodium appellare, nam ἑπτὰ septem καὶ ὁδὸς via, quasi septem concurrerent viæ. Plin. Septisolium vocat, à septem solariis, in singulis enim ordinibus columnæ marmoreis trabibus superius inuicem iungebantur, aliis vero trabubus cum mole ipsa in interiore parte excitata: & ita singuli ordines vnam faciebant porticum, siue solarium. In huius Septizonij frontispicio literæ huiusmodi leguntur.

AVG. TRIB. POT. VI.

COS. FORTISSIMVS NOBILISSIMVSQVE.

Moles enim quæ supereſt, ita est inclinata, vt iam iam lapsura videatur.

CAPVT LXVI.

De Arcu Triumphali Constantini Imperatoris.

ARCVS autem Triumphales in honorem illorũ erigebãtur, qui prouinciis, aut exteris nationib. debellatis, reb. Po. Ro. feliciter gestis, triumphũ meriti essẽt, à quo triumphales denominantur, in quibus simulacra oppidorũ, fluuiorũ, nauium illorũ, quos deuicerat, in rei perpetuã memoriam, incidebant, quemadmodũ in his, quia adhuc stant, cernere licet. Sed arcus triumphales ante imperatorum tempora excitauit nemo, vt quorundam est opinio. neque antiquiorem, quam Titi, arcum in Vrbe videmus. Plin. hunc morem suo tempore cæpisse narrat, prius enim triumphales statuas, vel trophęa ponere solebant. Romæ triumphales arcus plures, ex his vero, qui hodie, Constantini ad angulum montis

 Palatini,

Palatini,iuxta Amphitheatrum,triumphalib. ornamentis conſpicuum, cumque trophæis,& victorijs allatis,parum læſum conſpicimus: ſuperato Mezentio apud Miluium pontem;á Conſtantino ipſo poſitum,cum hoc indice.

IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAXIMO. P. F. AVGVSTO S. P. Q. R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS MENTIS MAGNITVDINE CVM EXERCITV SVO TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE VNO TEMPORE IVSTIS REM PVBLICAM VLTVS EST ARMIS ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT.

In maiori autem fornice,parteque interiori à dextris,& ſiniſtris legitur,hinc.

LIBERATORI VRBIS. illinc FVNDATORI QVIETIS. Superius extra ſic. VOTIS. X. VOTIS. XX. quemadmodum apparet in quibusdam numiſmatibus, quæ ſunt apud nos.

CAP. LXVII.

De Cælio monte,& Cæliolo.

OELIVM montem Querquetulanum prius appellatum ſcribit Cor. Tac. quod talis Syluæ frequens, fæcunduſque eſſet mox, Cœlium à Cœle Vibenna, qui dux gentis Hetruſcæ fuit,ſedemque in eo acceperat à Tarquinio Priſco, ſeu quis alius regum dedit. nam ſcriptores in eo diſſentiunt. Recte ait diſſentiunt. Sex. enim Pomp. refert, Cœlen Romulo auxilium præbuiſſe aduerſus Sabinos. M.autem Var. contra Latinum regem.hinc poſt Cœlij obitum,quod nimis munita loca tenerent,neque ſine ſuſpicione eſſent,deductos in planum,& ab eis vicum Thuſcum appellatum,& ideo ibi Vertumnum ſtare, quod is Deus Hetruriæ princeps. De Cœlianis, qui à ſuſpicione liberi eſſent, traductos volunt in eum locum,qui vocatur Cæliolus,ideſt minor Cælius, de quo Mart. ita meminit. Maior Cælius,& minor fatigat. Cœliolus, ſiue Cælicolus,is eſt, vt diximus,vbi nunc diui Euangeliſtæ ædes, olim Dianæ, virgo enim virgini ceſſit. In hoc autem nihil aliud memoria dignum fuiſſe inueni,præter ipſam ædem Dianæ,quemadmodum de reſp. aruſp. teſtatur Cc. Quare ad Cœlium reuertamur,quem Tiberius, appellatione mutata, vocari Auguſtum iuſſit.auth. Suet.

CAP. LXVIII.

De Fauni, Veneris & Cupidinis Templo: Curia Hoſtilia Caſtris Peregrinis, Domo Lateranorum;de Conſtantini & Seſoriani Palatio, ac de Equo L. Veri.

IN medio igitur Cœlij montis dorſo exſtat Templum circulari forma, nũc diuo Stephano, olim vero Fauno dicatum, Faunus enim dictus ἀπὸ τῆς φωνῆς,quod voce,non ſignis,futura oſtenderet. Ex peregrinis autem diis quodam tempore hunc ſolum Romani coluere. Manſiones Albanæ vbi S. Mariæ in Dominica ædes. Veneris & Cupidinis Templum haud procul à porta Næuia ſtatuit P. Vic. ſiue Sex. Ruffus, eo in loco, vbi nunc eccleſia S. Crucis in Hieruſalem fuiſſe,accepimus: Curiamque Hoſtiliam duobus in locis, vnam, vt diximus,iuxta forum, in qua Hoſtilius rex prius habitauit, prope Pacis templum, alteram in Cœlio monte, vbi nunc D. Ioannis & Pauli ædes. Liuius: Tullus rex in Cœlio monte templum, ordini ab ſe aucto, curiam fecit,quæ Hoſtilia vſque ad patrum noſtrorum ætatem appellata eſt;& quo frequentius habitaretur, eandem ſedem regiæ cœpit. Caſtra peregrina Auguſtus in Cœlio conſtituit,in ea parte, quæ ad ortũ æſtiuũ, Exquiliasq; pertinet,quo in loco nunc ædes Sanctorum quatuor coronatorum eſt ſita. Domus Lateranorũ vbi ba-

vbi basilica eiusdem nominis: de qua Iulius Capitolinus ita meminit. Educatus est (de M. Antonio enim loquitur) in eo loco, in quo natus est, in domo aui sui, iuxta ædes Laterani. & Iuuenalis ita:

Clausit, & egregias lateranorum obsidet ædes
Tota cohors.

Flauij Constantini Palatium prope hanc domum inter Cœlimontanam, & Gabiusam portam sedem habuit. Seforiam vero apud Næuiam inter ipsam portam & ecclesiam S. Crucis in Ierusalem. In Platea Lateranensi stat ærea equestris Statua, quam M. Aurelij Antonini esse multi putant, aliqui tamen L. Veri, non desunt etiam, qui Septimij Seueri. Herodianus enim literis tradidit post adeptum Imperium ex somnio, quod viderat, statuam sibi posuisse.

ADNOTATIO.

Hæc ænea equestris statua translata est tempore Pauli Papæ III. anno 1536. in aream Capitolij, vt ex illius inscriptione in marmorea base cernere licet.

CAP. LXIX.

De Amphitheatro Statilij Tauri.

SEQVITVR Statilij Tauri Amphitheatrum. Sed priusquam de ipso agamus, pauca quædam prælibanda sunt, vt quid sit amphitheatrum, & cuius rei gratia exstrueretur, intelligamus. Theatrum igitur à græca trahitur etymologia, dicitur enim ἀπὸ τῦ θεῶμαι, quod est specto, & habet hemicycli formã Amphitheatrum autem oualem, appellatum ἀπὸ τῦ ἀμφι καὶ θεῶμαι; quod est circumspecto, quasi in vnum iuncta duo visoria. Cassiod. Titum omnium primum amphitheatrum inuenisse putauit, eius sunt hæc verba. Hoc Titi potentia principis diuitiarum profuso flumine excogitauit ædificium fieri, & cum Theatrum hemisphærium græce dicatur, amphitheatrum, quasi in vnũ iuncta duo visoria, recte constat esse nominatum, quod speciem eius arena concludat, & vt currentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixa rotunditas vniuersa collegerat. At prius C. Cæsarem amphitheatri molem in Campo Martio posuisse, testis est Cor. Tac. quam ab illo destinatam Augustus mox Mausoleum ædificaturus destruxit. aut. Sueto. qui etiam in Cæsaris vita commemorat Statilium Taurum prius Tito amphitheatrum posuisse, alterumque deinde à Tyberio inchoatum sed non perfectum. In amphitheatro autem multi spe prẹmii, quod publice dabatur, cum bestiis pugnabant. Capite etiam damnati, & bello capti hoc miserrimo certamine capitis discrimen subire cogebantur. Claudius enim Imp. pacatis Ægyptiis cum militum non parua manus rebellasset, partem illorum occidit, partem Romam misit cum bestiis pugnaturos. Vnde, inquit Iulius Capitolinus, tractum sit vt proficiscentes ad bellum imperatores munus gladiatorum & venatus darent, breui dicendum est. Multi apud veteres dicunt hanc deuotionem factam contra hostes, vt non sanguine litato specie pugnarum seuerioris vim quandam fortunæ satiarent. Ituros autem ad bellum Romanos debuisse pugnas videre, & vulnera, & ferrum, & nudas inter se cohortes, ne in bello armatos hostes timerent, neue propter vulnera, aut sanguinem horrerent. Eius autem sæuissimi instituti causa consueuerunt ituri ad bella exhibere in spectaculis multa gladiatorum paria, & quo quisque ditior erat, eo plura. De partibus autem amphitheatri vide Vitruuium. Statilii Tauri amphitheatrum magnam partem adhuc extare cernimus apud Ecclesiam S. Crucis in Ierusalem, prope vrbis mœnia quod extruxit Augusto ciues Romanos hortante, vt quisque pro viribus Vrbem exornare niteretur, auth. Suet. Qui in Caligula narrat ipsum principem munera gladiatoria partim in hoc amphitheatro, partim in septis aliquot egisse.

CAP. LXX.

Aquæ ductus cur inuenti, Quibus modis aquæ deducerentur, cui vsui, quis prius deduxit, & quot aquæ ductæ.

QVONIAM de ductu aquæ Claudiæ locus postulat, vt loquamur, crebraque in sequentibus de aquæductibus erit mentio, placet quædam de iis præmittere, quo causam aquas deducendi, quibus modis, cuiue vsui, & à quo primum, & quot diuersis temporibus in vrbe ducta sint, intelligamus. Vrbe enim & ambitu, & hominum numero aucta, paulatim à fluuio hunc, atque illum locum appetendo, magna ciuium pars recessit, quæ cum longo interuallo aquam petere cogeretur, maximumque sentiret incommodum, cogitauerunt prisci velle huic inopiæ subuenire, hinc deducendi aquas origo. Aqua enim ex omnibus elementis mortalibus maxime est necessaria. Quare Pindarus ait ipsam optimam esse, & vt aurũ inter metalla, cæteris præstare elementis. Adhæc vrbis salubritati maxime contulisse, sic testatur Frontinus: Sentit hanc curam Imperatoris piissimi Neruæ principis sui Roma regina orbis, & terrarum domina, cui Par est nihil, & nihil secundum, & magis sentit salubritas eiusdem æternæ Vrbis aucto castellorum, operum, munerum, & lacuum numero, nec minus ad priuatos commodum ex incremento beneficiorum eius diffunditur. Nam immunditiarum facies, & impurior spiritus grauioris cœli, quibus apud veteres Vrbis infamis aer fuit, sunt remoti. Duobus autem modis deductas esse: arcuato videlicet opere, & subterraneis cuniculis, idem ita declarat. Hi sunt arcus altissimi, subleuati, in quibusdam locis pedes centum nouem, tot aquarum, tam multis necessariis molibus pyramides videlicet ociosas comparem, aut cætera inertia, sed fama celebrata Græcorum: per subterraneos vero meatus probat Strabo hoc modo. Tanta autem per aquæductus aquarum vbertas influit, vt per vrbẽ, atq; cloacas omnes inundare videantur, & vniuersæ propemodum ædes subterraneos meatus, Siphones, ac fistulas vndosas habeant. Præterea etiam hodie ad radices Quirinalis in villa Car. Grimaldi, in dorso eiusdem montis, in vico patricio, & Suburra, in via Latina, in Auentino, apud Iudæorum plateam, multisq; aliis in locis subterraneos aquæductus videmus. Ii autem soli in Vrbem per arcus influebant, qui iusto æquilibrio per congruentia loca poterant deduci. Deducebantur enim aquæ ex diuersis locis, & quia Anio Nouus omnium erat altissimus, necessitate vrgente, cæteris subueniebat. Quinq; sunt, inquit Fron. ductuum altitudines in omnem partem Vrbis sed his aliæ maiore; aliæ leuiore pressura coguntur. Altissimus Anio est Nouus. Proxima Claudia, tertium locum tenet Iulia, quartum Tepula, dehinc Martia, quæ capite etiam Claudiæ libram æquat, sextum tenet locum Anio vetus, sequitur hanc libram Virgo, deinde Appiana, omnibus humiliter Alsietina, quæ Transtyberinæ regioni, & maxime subiacentibus locis seruit. Mox vero cui vsui essent, sic ostendit. Auctores cuiusq; aquæ, ætates, præterea ordinem, & longitudinem riuorum, & ordinem libræ cum prosecutus sim, non alienũ mihi videtur singula subiicere, & ostendere quanta sit copia, quæ publicis, priuatisque nõ solum vsibus, & auxiliis, verumetiam voluptatibus sufficit, & per quot castella, quibusque regionibus deducatur, quantum extra Vrbem, quantum intra Vrbem, & ex eo quantum lacubus, quantum muneribus, quantum operibus publicis, quantum nomine Cæsaris, quantum priuatis vsibus erogetur. Quid autem sit Castellum in aquæductibus, Vlpianus ita declarat. Castellum est receptaculum quod aquam publicam suscipit. Cum itaq; ductus aquarum ad viarum diuortia, vel regionum Vrbis fines perducti erant, castella in formarũ summitate erant, ex quibus aqua per digitos, vncias, & modulos ædificiis, operibusque, & muneribus publicis, ac priuatorum vsibus diuidebatur à Castellario. Erat enim Castellarius castelli aquarum custos, vt probatur epitaphio sequenti videlicet.

D M

CLEMENTI CÆSARVM N. SERVO CASTELLARIO AQVÆ CLAVDIÆ FECIT CLAVDIA SABBATIS ET SIBI ET SVIS.

In so-

In solo autem lacus erant alia aquarum receptacula, ex quibus cum Romanæ plebis, & fullonum, coriariorum, aliorumque opificum necessitatibus satisfieret, tum horti irrigabantur. Idem vero Fron. custodiam aquis adhibitam esse, sic testatur. Tutelam autem singularum aquarum locari solitam inuenio, positamq; redemptoribus necessitatem certum numerum circa ductus extra Vrbem centum ab Vrbe seruorum opificum habendi, & quidem ita, vt nomina quoque eorum, quos habituri sunt in ministerio per quasque regiones in tabulas publicas deferrent, eorumque operum probandorum curam fuisse per Censores aliquando, & Ædiles, interdum etiam Consulibus eam prouinciam obuenisse, vt apparet ex eo quod factum est C. Luctatio, & Cæsone Coss. Quantopere autem curæ fuerit ne quis violare ductus aquarum, nec non concessam deriuare auderet, cum ex multis apparere potest, tum ex hoc, quod Circus Maximus, ne diebus quidem ludorum circensium, nisi Ædilium, aut Censorum permissu, irrigabatur. Agri vero, quos aqua publica contra legem, quis irrigasset publicabantur, cuius rei causa Ædiles curules iubebãtur per vicos singulos, qui in vnoquoq; vico habitarent, prædiaue haberent, binos præficere, quorum arbitratu aqua in publicum saliret. Primus autem M. Agrippa post ædilitatem, quam gessit consularis, operum suorum, & munerum velut perpetuus curator fuit, qui iam copia permittente, descripsit quid aquarũ publicis operibus, quid lacubus, quid priuatis daretur. Omnium autem primum Ap. Claudium ex agro Lucullano arcuato opere deduxisse aquam, ab eodem authore literis traditur, qui nouem solum aquas suo tempore in Vrbem fluxisse sic commemorat. Nunc autem in Vrbem influunt Appia, Anio vetus, Martia, Tepula, Iulia, Virgo, Alsietina, quæ eadem vocatur Augusta, Claudia, Anio Nouus. Quę autem fuerint istæ aquæ, & vnde, quotq; passuũ millibus, vel sub terram, vel arcubus ducerentur, plurib. verbis ipsemet recenset. Sex. vero Ruffum, eo posteriorem, quem Diocletiani temporibus Vrbem Romam descripsisse putat Blon. nouem, & decem aquas posuisse animaduerti.

CAP. LXXI.

De Aquæductu Claudiæ aquæ.

DIVVM Claudiũ duos aquæductus à Caligula inchoatos perfeciſſe, ſic declarat Fron. altero Imperii ſui anno duos ductus inchoauit, quod opus Claudius magnificentiſſime conſummauit dedicauitque alteri, quod ex fontibus Ceruleo, & Curtio perducebatur, Claudiæ datũ nomen: hæc bonitate proxima Marciæ. Altera, quoniã duæ Anienis aquæ in Vrbẽ fluere cæperant, vt facilius appellationibus dignoſcerentur, Anio Nouus vocari cœpit. Suet. opera, inquit, magna, potiuſquam neceſſaria, quammulta perfecit, ſed vel præcipue aquæductum à Caio inchoatum. Meminit & Pli. his verbis: Vicit antecedentes aquarum ductus nouiſſimũ impendiũ operis inchoati à Caio, & perfecti à Claudio; quippe lapideam excelſitatem omnes vrbes, & montes æquantem, vt lauacra impleret. Curtios, atq; Ceruleos fontes adductos, erogata ad id opus talentum ſexaginta millia. Is eſt aquæductus, quẽ à porta Næuia per Cœlii montis dorſum in Auentinum perducit Caſſi. In frontiſpicio autem eiuſdem portæ de reſtitutione eiuſdem aquæductus hæc leguntur.

TI. CLAVDIVS DRVSI. F. CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS PONTIF. MAXIM. TRIBVNICIA POTESTATE XII. COS. V. IMPERATOR XXVII. PATER PATRIÆ AQVAS CLAVDIAM EX FONTIBVS QVI VOCABANTVR CERVLEVS ET CVRT. A MILIARIO. XXXXV. ITEM ANIENEM NOVAM. A MILIARIO XII. SVA IMPENSA IN VRBEM PERDVCENDAS CVRAVIT.

IMP. CÆSAR VESPASIANVS AVGVST. PONTIF. MAX. TRIBVN. POT. II. IMP. VII. COS. III. DESIG. IIII. P. P. AQVAS CVRTIAM ET CERVLEAM PERDVCTAS A DIVO CLAVDIO ET POSTEA INTERMISSAS DILLAPSASQVE PER ANNOS NOVEM SVA IMPENSA VRBI RESTITVIT.

IMP.

IMP. T. CÆSAR DIVI F. VESPASIANVS. AVGVSTVS PONTIFEX. MAXIMVS. TRIBVNIC. POTESTATE X. IMPERATOR XVII. PATER PATRIÆ CENSOR COS. VIII. AQVAS CVRTIAM ET CERVLEAM PERDVCTAS A DIVO GLAVDIO. ET POSTEA A DIVO VESPASIANO PATRE SVO, VRBI RESTITVTAS. CVM A CAPITE AQVARVM SOLO VETVSTATE DILAPSÆ ESSENT NOVA FORMA REDVCENDAS SVA IMPENSA CVRAVIT.

In eodem aquæductu iuxta hoſpitale lateranenſe, inter alios, hic poſitus eſt index.

M. AVRELIVS ANTONIVS PIVS FELIX AVG. TRIB. POT. IIII. PROCOS. ARCVS COELIMONTANOS PLVRIFARIAM VETVSTATE CONLAPSOS ET CONRVPTOS A SOLO SVA PECVNIA RESTITVIT.

Partem autem huiuſce aquæ in Capitolium à Caracalla fuiſſe deductam ferunt. Extant enim ruinæ formarum in Palatium vſque. In arcu vero tiburtino, huic aquæ ductui coniuncto, prope ædem diuæ Mariæ in Dominica, vetuſtate corroſæ ſunt literæ tales.

P. COR. P. F. DOLOBELLA COS. C. IVNIVS. C. F. SILLANVS FLAMEN MARTIAL. EX S. C. FACIVNDVM CVRAVERVNT IDEMQVE PROBAVERVNT.

Aquam quidem ipſam à Traiano in Auentinum perductam, Traiani nomen accepit, auth. Front. cuius adhuc apparent formarum veſtigia apud S. Priſcam, & in ruinis Thermarum Decii marmor paucis ante annis effoſſum id, quod Frontini verba, ſignificabat.

ADDITIO.

Pius IIII. Pontif. Maxim. Anno circiter quarto ſui Pontificatus, qui fuit M.D.LXIII. cogitare cœpit de perducenda in vrbem Aqua, quæ à noſtris hodie Salonia dicitur, ſicuti & deferendam ob Vrbis ornatum & commoditatem curauit. Hæc aqua concipitur octauo circiter ab Vrbe milliario inter viam Tiburtinam & Prænestinam, & ea putatur eſſe, quæ olim Alſietina dicebatur; nam & de diſtantia, & de loco cum Iulio Frontino conuenit, niſi forte fuerit Appia, quam inde pariter originem habere idem auctor aſſerit. Hæc aqua in Vrbe miſcetur cum aqua virgine, & deriuatur primum ſub colle hortulorum producens fontem in medio plateæ S. Mariæ de Populo, ad publicum & communem vſum, aliumq; ibidem ad ſordes abluendas publicæ pariter commoditati, tribuit pariter artificio rotarum & machinarum inſtructione aquam in ſummitate ipſius collis hortulorum, ad hortos ampliſſimos & magnificentiſſimos Ferdinandi Cardinalis Medici, Coſmi magni Hetruriæ Ducis filii, deinde in regiones Triuii & Campi Martii affluenter ſuppeditat priuatos fontes & riuulos, & præſertim ſub ipſo colle hortulorum, vbi dicitur ad Sanctiſſimę Trinitatis, regio tota perfunditur: Tum egregii fontes patent in hiſce Plateis, nempe Columnæ Antoninæ vnus, S. Marci vnus, Rotundæ in qua Pantheon eſt vnus, in Agone tres, in platea Matthiorum, vnus: Ad fontes Triuii totius aquæ & virginis & Saloniæ caput deducitur. Præterea multis vndique locis per Vrbem ablutorii fontes, ſeu lauatorii, (vt vulgo dicunt) viſuntur, tum priuatim, tum etiam ad publicum omnium commoditatem fabricati, qui tempore Pii IIII. in hunc vſque diem conſtructi fuere.

Aquæ ductus aquę felicis noſtro tempore exſtructus eſt à Sixto V. Pont. Max. Anno M.D.LXXXV. primo ſui Pontificatus, prout teſtatur inſcriptio, impoſita arcui erecto in ipſis aquæductibus intra Mœnia Vrbis, prope portam S. Laurentii, quæ talis eſt.

SIXTVS V. PONT. MAX.
DVCTVM AQVÆ FELICIS
RIVO SVBTERRANEO
MILL. PASS. XIII.
SVBSTRVCTIONE ARCVATA VII.
SVO SVMPTV EXTRVXIT.
ANNO DOMINI M. D. LXXXV.
PONTIFICATVS I.

Hæc aqua ducta eſt ex agro Lucullano, vel Tuſculano potius, ac ea eſſe putatur, quæ olim

olim Claudia vocitata eſt, ab ipſo Appio Claudio, vt habetur ex Andrea Fuluio, qui primus eā in Vrbem duxit: conſtat enim hanc, Romam fuiſſe ductā; ex ſubterraneis meatibus, qui prope illius fontem apparent Concipitur autem via Labicana, ſeu Prænestina. XVI. ab Vrbe milliario, diuerticulo ſiniſtrorſum M M. paſ. ex fonte, ſeu palude, quam noſtrates hodie Pantanum Gryphem vocant: ego vero Paludem Agrippæ potius dicerem, paucis immutatis. Nam conſtat M. Agrippam (vt ex Plin. Iulio Frontino, & aliis) multas in Vrbem aquas deduci curauiſſe, ac veteres aquæ ductus reſtauraſſe, quorum vnus aquæ huius fuiſſe legitur: à quo & fons ipſe forte nomen accepit. In hoc opere exſtruendi aquæ felicis ductum, ferunt ab eodem Pontifice centum millibus nummis aureis impenſum fuiſſe.

Caput huius aquæ ad Thermas Diocletianas primum producitur, ibi in partes diſtribuitur: nam quadrans, ſeu quarta pars ad hortos, ſeu ſuburbanum ſummi Pontificis Sixti V. ſub Exquiliis tendit, portionem ex reliqua Illuſtriſſimus Ferdinandus Cardinalis Mediceus ad eius amœniſſimos hortos in colle hortulorum irrigandos, & fontibus exornandos accepit. Tum in area Sanctæ Suſannæ prope Thermas ipſas Diocletianas Summus Pontifex tres amplas ingentesq; fornices ad aquas ibi ſubminiſtrandas erexit. Inde S. P. Q. R. eandem aquam in Capitolium ducendi per viam Piam facultatem tradidit: quique ductu ſubterraneo, opere tamen arcuato, per Siphones in aream Capitolinam tranſtulit, impenſa vt relatum eſt, triginta quinque millium nummum aureorum.

CAP. LXXII.

De ijs quæ incertam ſedem nunc in Cœlio monte habent.

BRVTVS primus Coſ. pulſo Tarquinio Carnæ deæ Templum in Cœlio monte exſtruxit, ſacrumq; voti reus fecit, quia cordis beneficio, cuius diſſimulatione habebatur idoneus, emendationi publici ſtatus exſtitit. Hanc enim deam vitalibus humanis præeſſe credebant, ab eaq; petebatur vt iecinora & corda, quæque ſunt intrinſecus viſcera ſalua conſeruaret. Templum Claudij Cæſ. conditum à Veſpaſiano, ſed prius cœptum ab Agrippina in Cœlio monte Neronem funditus deſtruxiſſe auth. eſt Suet. Mamurra Formianus fabrorum Cæſaris in Gallia præfectus, Domum, quam in monte Cælio habebat, primus omnium Romæ marmoreis cruſtis exornauit. Plin. In Cœlio Domum Claudij Centimali fuiſſe, ait Valer. Maxim, de qua Cic. meminit. Cum in arce augurium augures acturi eſſent, iuſſiſſentq; T. Claudium Centimalum, qui ædes in Cœlio monte habebat, demoliri eas, quarum altitudo officeret auſpiciis, emit Calphurnius Lanarius. Domus Tetricorum (inquit Pollio) qui duo, ex triginta tyrannorum fuerunt, hodieq; extat in monte Cœlio; inter duos lucos, contra Iſium Metellinum pulcherrima. In eodem monte Iunij Senatoris Domum conſtituit Cor. Tac. Adduntur, ait, ſententiæ, vt mons Cœlius in poſterum Auguſtus appellaretur, quando cunctis conflagrantibus ſola Tiberij effigies in domo Iunij Senatoris inuiolata manſiſſet. Habuit Cœlius Domum T. Claudij clypti hymnologi, quēadmodum in eius epitaphio legimus, & Cornelij Domum, qui, vt alij volunt, primus eā marmoreis tabellis exornauit: Martialis Campus, in quo ſi quando aquæ Tyberis Martiū campum occupaſſent, equiria fiebant, in Cœlio à Sex. Pompe. collocatur, ſicut ab Ouid. his carminibus.

Altera gramineo ſpectabis equiria campo,
Quem Tyberis curuis in latus vrget aquis.
Qui tamen ecta ſi forte tenebitur vnda,
Cœlius accipiet puluerulentus equos.

Fuit in eodem monte Macellum Magnum, Antrum Cyclopis, Spoliarium, & Armamentarium. Sed de Cœlio ſatis. Videamus quid à latere ipſius, quod Auentinum reſpicit, ſit, aut fuerit.

CAP. LXXIII.

De Appia, & Noua via, ac de Isidis, Virtutis, Honoris, atque Quirini, siue Martis Aede, & Almone flu.

IN situs Vrbis descriptione dictum est conuallem, Appiamque viam: quatum ad Septentrionem spectat, à Palatino, quantū vero ad occasum hiemalem, à monte Auentino, Cœlium dirimere. Pom. autem Letus Appiam Brundusium vsque producit, à porta autem ad thermas Antonianas Nouam vult appellari. Sed Appiam etiam intra Vrbem fuisse vsque ad Constantini arcum innuit Spartianus, in ea Septizonium Seueri cū collocauerit, potuit tamen aliquando accidere, quod huius pars à Caracalla munita Nouæ nomen adepta sit. Quod autem Solinus dicit Tarquinium Priscum habitauisse ad portam Mugoniam supra summam Nouam viám, de alia intellexerim. Sunt qui putant viā Nouā à porta palatii inchoasse, & per radices Palatini montis supra circum Maximum ad infimam Piscinam peruenisse, vbi nunc Diui Sixti ædes visitur. Verum, vt diximus, viæ Nouæ diuersis temporibus à diuersis hominibus nouiter deductæ, aut munitæ plures, & multis in locis fuere. Quocirca, nisi distinguantur tempora, infinita occurrent apud scriptores, quæ inter sese contraria videbuntur. Ad caput autem viæ Nouæ in regione Piscinæ inter prædictam ædem, spectandasq; thermarū Antonianarum ruinas, fuit Templum Isidis Antenodoricæ, ab Antonio Bassiano conditum iuxta ipsius Thermas, vbi quædam marmora eruta sunt, cum inscriptione mutilata huiusmodi.

SÆCVLO FELICI ISIAS SACERDOS ISIDI SALVTARIS CONSECRATIO.

In altero vero fragmento sic legebatur.

PONTIFICIS VOTIS ANNVANT DII ROMANÆ REIP. ARCANAQVE MORBIS PRÆSIDIA ANNVANT QVORVM NVTV ROMANO IMPERIO REGNA CESSERE.

In via autem Appia, haud longe à porta Honoris, & Virtutis steterat Templum, quod M. Marcellus dedicauit, decimo septimo anno posteaquam à patre eius primo consulatu votum in Gallia ad Clastidium fuerat. huius meminit Cic. de natu. deorum, Martis Templa duo, inquit Ser. vnum Quirini intra Vrbē, prope portam; quasi custodis, & Tranquil. alterum in Appia via extra Vrbem; quasi bellatoris, & gradiui. Ful. vero scribit duo extra portam fuisse Martis templa. Vnum quatuor miliarijs ab Vrbe distans: alterū paulo extra portā. quod si ita est, cur Ser. dixit duo, & non tria eius templa, vnum Quirini intra Vrbem, & duo extra, quod erat consentaneum, secundum ipsum. Almo. flu. per viam Appiam, Auentinique radices in Tyberim fluens, longe ab Vrbe ad. X. mil. pass. in agro maritimo oritur, Appiiq; Riuam vulgo nunc nominant. in quo Mater deorum Cal. Aprilis singulis annis à Gallis sacerdotibus abluebatur. vnde Papinius.

Est locus ante Vrbem, qua primum nascitur ingens
Appia, quaq; Italo genitus Almone Cybelle
Ponit, & Idæos iam non reminiscitur amnes. Ouidius.
Est locus, in Tyberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen à magno perdit ab amne minor.

ADDITIO.

De via quæ vocatur Pia, quæq; ætate nostra æquata, & recta ducta est, aliquid bonis in præsentiarū est deliberandum. Hæc namq; sub Pio Papa IV. anno M. D. LXII. aperta fuit vel potius ad rectitudinem strata; quæ antea per anfractus, vt plurimum ducebat ad Exquilinam, seu Nomentanam portam. Hæc vero via incipit ab ipsis equis Viridatis, qui in Quirinali locati sunt, quibus ostendunt colossi bini, simulacra nempe Alexandri M. Mace-

Macedonum regis, opera egregiorum ac præstantissimorum artificum Fidiæ & Praxitelis. Hæc vero via ad pontem vsque Numentanum recta protenditur, tribus fere millibus passi. Ipse autem Pontifex ex valuis ædium Sancti Marci, quo æstus tempore suadebat, illam incipere voluit, sed morte præuentus non perfecit opus. Sublata ergo Altasemita antiqua via, ac Nomentana porta, idem Pontifex de suo nomine vtrasq; vocauit, prout in frontispicio illius portæ inscriptio talis legitur.

PIVS IV. PONT. MAX. PORTAM SVBLATA NOMENTANA EXSTRVXIT VIAM PIAM ÆQVATA ALTA SEMITA DVXIT.

Huius etiam portæ Sciographiam delineauit egregius, ac celeberrimus artifex Michael Angelus Bonarota Florentinus, tribus artis generibus præstantissimus, prout eius opera testantur, hoc est sculptor eximius, pictor admirabilis, architectus vero singularis, ex tot qui nostra ætate florucre, qui paulo post nempe anno M. D. LXIV. nonagenarius, & vltra è vita decessit. Porta vero ipsa Nomentana ad iactum lapidis, vel paulo, amplius ab ipsa pia clausa est, vt cernere licet inscriptiuncula in marmoreo lapide cum insigniis illius Pontificis ipsis mœnibus affixa.

Hic Pontifex in elegantiorem formam, ornatum, & amplitudinem renouauit & aperuit portam, ac viam Flaminiam strauit, vt in præsentiarum cernitur, superimposita ipsi portæ à parte exteriori, subsequenti inscriptione, videlicet.

PIVS IV. PONT. MAX. PORTAM IN HANC AMPLITVDINEM EXTVLIT VIAMFLAMINIAM STRAVIT ANNO III.

Idem pontifex anno circiter M. D. LXIII. postquam fossa, vallo & aggeribus molem Hadrianam, seu castrum Sancti Angeli, & Vaticanum, & vicos ipsos, qui intermedii sunt satis munierat, cœptum est ibi prope mœnia, ob loci commoditatem ædificiis hinc inde deductis, exurgere vicus, qui de nomine ipsius Pontificis Pius vocitatus est, in cuius capite dextrorsus aperuit portam, quam pariter de suo proprio nomine Angelicam vocauit, ipse enim Pontifex Iohannes Angelus in baptismate vocatus est, è domo Medicea Mediolanensi.

Gregorius vero XIII. Pont. Max. ad maiorem populi commoditatem ac vsum, viam quæ à basilica diuæ Mariæ Maioris ad sancti Ioannis Lateranensis tendit, aperuit anno Iubilei M. D. LXXV. vt cernitur in superepistiliis porticus ipsius basilicæ hac inscriptione.

GREGORIVS XIII. PONT. MAX. EVGENII LABANTEM PORTICVM DEIECIT AC MAGNIFICENTIVS RESTITVIT VIAM RECTAM AD LATERANAM APERVIT ANNO IVBILEI M. D. LXXV.

Quæ porticus cum ab Eugenio III. Pont. annis circiter 430. elapsis, erecta esset, iamque vetustate collaberetur, tamen pietas, & modestia Gregorii Pontificis non tulit aboleri penitus monumentum illius optimi Pontificis, sed inscriptionem, quæ carminib. illius tempestatis in ipsis superepistiliis columnarum insculpta erat, iussit reponi, sicut antea reperiebatur, quæ talis est.

Tertius Eugenius Romanus Papa benignus,
Obtulit hoc munus virgo Maria tibi.
Quæ mater Christi fieri merito meruisti,
Salua perpetua virginitate tibi.
Es via, vita, salus, totius gloria mundi
Da veniam culpis virginitatis honor.

E basilica D. Mariæ Maioris, præter viam Lateranam quæ à Gregorio XIII. vti dixi. mus, aperta est, duæ aliæ nuper certæ sunt viæ, quas Sixtus V. Pont. Maximus initio feri sui Pontificatus, hoc est anno 1585. aperuit, & strauit, quæ sese ad inuicem ac in biuium ita disterminant, vt literæ Pythagoræ Y. formam quandam præseferre videantur, dextra enim ad Basilicam sanctissimæ Crucis in Hierusalem in Agro Sessoriano tenditur, quæ ampla satis & recta spectabilem præbet obtutum, in cuius medio, paulo vltra, ac prope veteres aquæductus aquæ Claudiæ in lapide marmoreo parieti nuper affixo sub insigniis eiusdem Pontificis adest subsequens inscriptio.

SIXTO V. PONTIFICI MAX. QVOD VIAM FELICEM APERVIT STRAVITQVE PONT. SVI ANNO I. M. D. LXXXV.

Sinistra vero non minus recta, lataue quam altera, tenet portam Esquilinam, nunc sancti Laurentii, & deinde templum ipsius sancti extra mœnia, prope quam videtur erectus arcus insignis in mediis ipsius aquæductibus, qui felix dicitur, in cuius fronte è latere læuo, versus eandem portam, legitur hæc inscriptio.

SIXTVS V. PONT. MAX.
VIAS VTRASQVE ET AD S. MARIAM
MAIOREM ET AD S. MARIAM
ANGELORVM AD POPVLI
COMMODITATEM ET DEVOTIONEM
LONGAS LATASQVE
SVA IMPENSA STRAVIT
ANNO DOMINI M. D. LXXXV.
PONTIFICATVS I.

Hæc via de qua superius diximus á nonnullis Montaltam appellari audiui, de nomine patriæ ipsius summi Pontificis, altera vero, cuius ante hanc commemini felicem etiam ex illius lapidis, quem citauimus, inscriptione, vocatam esse probatur.

Aliam quoque viam aperuit & strauit idem Summus Pontifex, quam æque felicem appellauit, nisi malimus vnam eandemque esse cum illa felice, cuius supra meminimus, interiecta media tantum Basilica eadem Sanctæ Mariæ Maioris: Hæc enim de qua nunc agimus, incipit ab ipsamet Ecclesia, sed ab ea regione quæ partem occiduam & septentrionem spectat ac montem ipsum Exquiliarum infra se habet, obeliscum ex Augusti Mausoleo ab ipso summo Pontific. erectum, obuium tenet, ac ad templum vsque sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio protenditur, viam Piam mediam intersecans. Hæc pariter Felix (vt dixi) vocata est, cui à latere dextro, prope suburbanum Pontificis est alia noua via nuper aperta & strata, qua ad thermas Diocletianas itur, hoc est ad diuæ Mariæ Angelorum templum. Hæc via à dextra tantum habet ipsius Pontificis suburbanum, in cuius capite porta est ingens & ampla, præfati Summi Pontificis.

E Thermis Diocletianis seu potius è templo ingenti S. Mariæ Angelorum surgit alia via lata, recta & æqua, ab eodem summo Pontifice aperta & strata, quæ ducit pariter ad portam Exquilinam, nunc S. Laurentii, cuius meminit inscriptio superius à nobis citata, dum viam Montaltam adduceremus.

Aperta est pariter & strata alia via ab eodem summo Pontifice, licet non penitus æquata, quæ à Basilica præfata sanctæ Mariæ Maioris ducit ad montem, qui dicitur ad Balnea Pauli, vulgo autem, Bagnanapoli. Hæc exactis Exquiliis, Viminalem ascendit descenditque, ac domum montem ipsum ad balnea Pauli scandit, nec vlterius hucusque protenditur, atque inter omnes vias ab eodem summo Pontifice apertas minus æqua, & strata videtur, ob exaggerationis siue exæquationis difficultatem: nam valles profundæ nimis, æquandæ & aggerandæ forent, cum aliarum forte non modico viarum incommodo, vt intuentibus patet.

Supererat de celeberrima viarum, quæ nunc instat aperienda, aliquid dicendum. Hæc namque ab area Capitolina ad diui Ioannis Lateranensis ædes recta ferre debet, ac ibi terminare, ad scalas marmoreas, quæ sanctæ appellantur, quæque paulum amouendæ sunt: à propria sede, habebitque Obeliscum Constantij, Deo fauente erigendum ante ipsos ædes, obuium. Hanc vero creditur, nobilissimam, & amplissimam omnium, quæ ab eodem Summo Pontifice viarum apertæ sunt, futuram.

CAP.

CAP. LXXIV.

De Thermis, & Palatio Antonini Caracallæ.

ANTONINVM Caracallam Thermas, quæ ab eo Antonianæ sunt denominatæ, struxisse, in eius vita Spartianus sic testatur: Opera Romæ reliquit, thermas sui nominis eximias, quarum cellam solearem architecti negant posse vlla ratione fieri, nisi qua facta est, nam ex ære cupro cancelli suppositi esse dicuntur, quibus cameratio tota concredita est, & tantum est spatii, vt id ipsum potuisse fieri negant docti mechanicis. Lamp. vero has inchoatas ab Antonino, Seuerum perfeciſſe, atque exornasse refert. Visuntur adhuc in radicibus Auentini, ad viam olim Ardeatinam, & apud nunc S. Balbinam, harum ingentes ruinæ, cum altis parietibus, columnisque semisepultis miræ & magnitudinis, & pulcritudinis. Magnum autem ambitum amplectebantur, & ductus ille aquarum, qui ante portam Capenam transit, in eas olim aquam deducebat. Sub thermis Antoninus ipse nobilissimũ posuit Palatium, cuius vestigia vix supersunt.

CAP. LXXV.

De Auentino.

MOLLIS autem Auentinus quartus in ordine montium fuerat collocatus: de cuius ambitu & forma, cum multa supra dicta sint, reliquum est, vt quibus ædificiis exornatus esset nunc videamus, primum tamen vnde dicatur. Auentinum igitur montem ab auibus, quæ vesperi ex Tyberi illuc cubitum aduolabant, denominatum quidam volunt. Hinc Virg.

Dirarum nidis domus opportuna volucrum.

de Auentino locutus. Alij à rege Aboriginum illic & occiso, & sepulto. Var. tamen dicit ingentem Po. Rom. Sabinos à Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Auãte prouinciæ suę fluuio, appellarunt Auentinum. Constat ergo varias opiniones postea secutas. Nam à principio Auentinus dictus est ab auibus, vel rege Aboriginum, vnde hunc Herculis filium constat nomen à monte accepisse, non præstitisse, auth. Ser. Idem autem Var. post varias quorundam opiniones, subdit. Ego maxime puto ab aduectu, nam olim paludibus mons erat ab reliquis discluſus, itaque eo ex vrbe via qui aduehebantur ratibus, quadrantem soluebant. Alii ab aduentu hominum, quod commune Latinorum ibi Dianæ templum sit constitutum. Huic autem monti Remurio aliquando dixere nomem. Et quanquam Sex. Pom. refert Remuriam locum esse in summo Auentino, vbi Remus de vrbe condenda auspicatus fuerat; non tamen obstat quin totus mons Remurius appellaretur, quem Romulus neminem passus est habitare, sed sacrum fratri esse voluit vsque ad hylernam. Dionysius autem prodidit, Ancum Martium Auentinum muro cinxisse, contra Gellij opinionem, qui, vt demonstratum est, dicit neque Ser. Tullium neque quempiam alium, ad diui Claudij tempora vsque: hunc montem, tanquam auibus obscœnis ominosum, intra pomerij fines recepisse. Quare aut post Ancum statim excluſus, aut secundum Liuium, ab eo nouæ multitudini datus, non tamen Vrbi aditus est iuxta eiusdem Gellij opinionem, qui vult vrbanum auspicium pomerij finem facere.

Quæ autem in eo fuisse traduntur, breuiter exponamus.

CAPVT LXXVI.

De Dianæ, Bonæ deæ, Herculis Victoris, Iunonis Reginæ, & Monetæ, Lunæ, Victoriæ, Mineruæ, & Libertatis Templo, ac Ara Iouis Elicii.

IN vertice autem Auentini montis, qui Tyberim despicit, stat Diuæ Sabinę Templum, quo in loco olim Dianæ, ad eam nempe partem, quæ naualia spectat. Appianus enim commemorat Gracchum hoc ascendisse templum, atque inde ad alteram fluminis partem per pontem ligneum transiuisse. De hoc quidem templo Sex. Pomp. sic meminit. Seruorum dies festus existimatur idibus Augusti, quod eo die Ser. Tull. natus è serua ædem Dianæ dicauerit in Auentino, cuius tutelæ sunt cerui, à quorum celeritate fugitiuos vocent seruos. Commune autem erat omnibus Latinis, quod ideo instituisse videtur, vt ostenderet lege naturali seruos nihil distare à cæteris hominibus. Dion. enim huius Templi Ancum Martium authorem fecisse videtur traductis, inquit, ex Tillenis, Politorio, aliisque Vrbibus quoscunq; cœperat colonos, ibi collocauit, persuasitque vt templum Dianæ ædificarent, adiicerentque statutis temporibus inducias, vt si qua facta inter eos offensio esset, per hæc sacra dissoluerent, posteaque ex pecuniis, quas contulerant Vrbes eæ omnes, exstruxit Dianæ fanum, in maximo Romæ collium Auentino collocatum, legesq; in base ærea conscripsit, in delubro Dianæ sita. Hinc patet, quod si prius hoc templum non fuit in Auẽtino, quam tempore Anci regis, non potuisse ab aduentu hominum Auentinus appellari: cum constet ante Anci imperium hoc nomen obtinuisse. Sequitur in eodem vertice, haud procul hinc, ædes S. Mariæ cognomento Auentinæ, vbi Bonæ deæ templum extitisse ferunt, in honorẽ Fatuæ castissimæ sororis Fauni à Claudia vestali conditũ, postea vero à Liuia restitutum. Bonæ deæ autem sacra à solis fœminis peragebantur, neq; licebat viris interesse, vnde Cic. criminatur P. Clod. quod ausus sit hæc sacra, quæ pro salute Po. Ro. fiebant, sua præsentia turbare, atq; polluere. Spartian. ait Hadrianum ædem Bonæ deæ trãstulisse, quo autẽ, non dicit. In crepidine ad eundẽ fluuiũ pertinente, Vbi nũc Diui Alexii, fuit Herculis victoris templũ, & ab eo haud procul Iunonis Reginæ, ex parte Veientanæ prædæ à Camillo conditũ, de quo secundo bel. pu. mentionem facit Liuius. Sed Hercules alterum habuisse dicitur, eo in loco, vbi nunc in ruinis thermarum Decij Imperatoris ecclesia D. Priscæ est sita. In dorso autem Lunæ constituit Ouid. his carminibus.

Luna regit menses, huius quoq; tempora mensis
Finit Auentini Luna colenda iugo.

Liuius: Atrox cum vento tempestas forem ex æde Lunæ, quæ in Auentino est, raptã tulit. Istis autem certum locum à peritis topographiæ Vrbis assignari solet, incertum vero sequentibus, veluti Victoriæ Templo, quod ab Arcadibus exstructum, ab eisdemque sacra eidem deæ constituta narrat Diony. Mineruæ autem à Sex. Pomp. Iunonis vero à Valerio Max. in eodem monte collocatur: à Liuio vero Libertatis, multatitia pecunia cũ æreis columnis, & statuis pulcerrimis à patre T. Gracchi, & conditum, & dedicatum, cuius atrium ab Helio Peto, & Cor. Cethego censoribus fuit refectũ & ampliatum, & nouissime à Pollione, vt tradit Suetonius, instauratum, de quo Liuius quinto decadis quintæ meminit his verbis. Hæc inter ipsos disceptata, postremo eo descensum est, vt ex quatuor Vrbanis tribubus, vnam palam in atrio Libertatis sortirentur. Libertatẽ enim Deam inprimis colere Romani, vtpote Libertatis assertores. Habuit Auentinus & aram Iouis Elicij à Numa dicatam, quæ ab eliciendo secundum Var. nomen adepta est, Habuit & Murceæ veterem aram, nam prisci Venerem Murceam vocabant, à myrto ei dicata, vel, vt alij, quod præter modum nõ moueret ac faceret hominem murcidum, ac nimis desidiosum & inactuosum. Iunonis Monetæ ædem etiam in Auentino fuisse, literis traditur. Camillus autem dictator in eodem, Matutæ matri templum consecrauit, auth. Blon. qui ex Plin. refert Laurentium Syluam Ioui sacram fuisse in hoc ipso colle, & in ea Valentinianum Gallæ Placidiæ filium interfectum. De Sylua hac vide Var. & Liuium.

CAP.

CAP. LXXVII.

De Caco & eius Spelunca.

CAci Speluncam supra ædem Diuæ Mariæ in schola græca, qua parte Auentinus palatium videt, fuisse, putat Blon. at locus accliuis nullum speluncæ præsefert vestigium. Virgil. autem in montis crepidine, loco maxime edito, ponit his carminibus:

Stabat acuta silex præcisis vndiq; saxis
Speluncæ dorso insurgens altissima visu.

Melior est ratio, quod facit ad Tyberim incumbere dum subdit.

Hanc, vt prona tugo læuum incumbebat ad amnem,
Dexter in aduersum nitens concussit, & imis
Auulsam soluit radicibus, inde repente
Impulit, impulsu quo maximus insonat æther.
Dissultant ripæ, refugitq; exterritus amnis.

Quod si placet speluncam ipsam ad Palatinum montem pertinere, non procedit, quod ait Poeta: incumbebat ad amnem, abest enim locus ille à fluuio ad teli iactum à Tyberique est auersus. Quod autem Ser. dicit Tyberim per circum Maximum fluxisse, de alio tempore, quam quo Hercules in Italiam venit, loqui opinamur. Si enim ad Herculis aduentum referre volumus, obstant, quæ de ipso à Vir. & Liu. tradita sunt, quemadmodũ de ficu ruminali scribentes supra demonstrauimus. Arbitramur igitur Caci speluncam e regione S. Mariæ Auentinæ ædis fuisse, vbi fluuius accedit quam maxime prope Auentino, & mons ipse plurimus attollitur, rupesque tota est scabra, & spelæncis aptissima, quod innuit Dio. prope portam tergeminam speluncam ipsam qui constituit, narrans Herculem Caco clauo mactato & spelunca euersa, aram Iouis Inuentoris erexisse ei loco proximam, eamque suo tempore iuxta portam tergeminam extitisse. Cacus autem secundum fabulam Vulcani filius fuit, ore ignem, ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen habet, hunc fuisse Euandri nequissimum seruum ac furem, nouimus enim malum à Græcis κακὸν dici, quidam ita Arcades illo appellabant tempore: postea translato accentu Cacus dictus. Scalæ autem Caci ad ipsam speluncam fuisse fabulantur.

CAP. LXXVIII.

De Armilustro, & quibusdam aliis rebus in genere positis.

VOlateranvs inquit, Armilustrum putauerim, id spacii, quod in Testaria nunc est: nam in regione Auentini ponitur, nec sane aptior locus recensendis armis, ac militibus ostenditur, hanc sequitur Ful. Plu. autem ait Armilustrum locum in Auentino, vbi Romulus Tatium sepeliuit. Vnde apparet istos non recte sentire, quia aliud est esse in Auentino, aliud in Auentini regione. Var. tamen Armilustrum, & circum Maximum eundem esse arbitratur. Sex. vero Pom. festum quo res diuinas armati faciebant, ac dum sacrificarent tubis canerent. Quare opinor locum in quo festum hoc agebatur, siue in Auentino ad Tatii sepulchrum, siue in circo Maximo, eodem nomine appellatũ, quo & locus, vbi perfectis bellis arma reponebantur. Romani enim arma priuatim non tenebant, sed in reditu exercitus in Armilustrũ, aut in Tarpeiam rupẽ reponebant: hinc Spartianus dicit, Vespasianum ex Armilustro arma legionibus permisisse, & Lucan. iam rupes Tarpeia sonat. In Auentino autem, iuxta Reginæ Iunonis templum, fuere Gemoniæ scalæ per quas nequam & fontes vnco trahebantur, erat enim locus præceps in quem facinorosi tracti excarnificabantur. Suet. in Tyb. Imp. funere: Alii, inquit, vncum & Gemonias minabantur, & in Titel. Tandé apud

apud Gemoniam munitissimis ictibus excarnificatus, inde vnco tractus in Tyberim. Domum Phylidis apud Dianæ templum. Propertius:

Phylis Auentinæ quædam est vicina Dianæ.

& reliqua. Remoria locus, vt dixi, in Auentino, vbi Romulus Remum sepeliuit, quandoquidem & viuens eum locum ille sedibus destinabat. Thermas Decianas in honorem Decii Imp. à S.P.Q.R. ædificatas in eodem monte fuisse volunt, & apud has Varianas. Traiani vero cum priuatis ædibus in vinea Francisci Albertini eius, qui quædam cursim de antiquitatibus Vrbis in lucem edidit. Fabulantur in Auentino fuisse Fauni, & Pici antrum, fontemque ex quo bibebant, atque Numam illic vino apposito eos ebrios factos coniecisse in vincula, & ab his fulmina elicere didicisse. De hoc autem fonte Ouid. in Fast. meminit.

Lucus Auentino suberat niger ilicis vmbra,
Quo posses viso, dicere, numen adest.
In medio gramen, muscoq; adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquæ.

M. Cato Italum Auentinum coluisse, Liuius vero in eodem, cum plebs à patribus in montem sacrum secessisset, decem tribunos plebis creatos & Cor. Tac. Diui Tiberii tempore incendio exustum esse memorant. Hactenus autem de Auentino.

CAP. LXXIX.

De Testaceo monte, & de iis, quæ in eo ambitu fuere.

INTER Auentinum montem, & Tyberim, ac vrbis mœnia, quatuor laterum inæqualium planiciem collocauimus: in qua, haud procul à mœnibus ad ortum hyemalem pertinentibus, surgit collis, quem vulgo Testaceum vocant. Quo cum animi recreandi gratia munificentissimus vir NICOLAVS Rens, prot. ap. qui rerum experientia, & singulari fide Gallorum regis à secretis existit, me adduxisset, essentque vna AMBROSIVS Recalcatus, & ANTONIVS Carpanus Mediolanen. & quidam alii honesti viri, in quorum numero fuit etiam BART. de forbicibus, ac FRAN. pontius Placen. (hos enim omnes literis, honestisque moribus ornatos, & integerrimos honoris causa nomino) rogassentque, an collis ipse ex fragmentis vasorum fictilium, in quibus prouinciæ tributum popul. Roman. ferebant, esset coaceruatus? respondi, inueteratam opinionem illam prorsus ridiculam esse, neque apud aliquem scriptorem inueniri, subditos Romanis tributa testaceis vasibus detulisse, sed (vt etiam Blon. refert) consueuisse Quæstores in prouincias mitti, quibus ea exigendi cura esset, exactaque legionibus in stipendia distribuendi, nisi in ærarium Romam mallent deferri, Catonemque Vticensem Quæstorem in Asiam Cyprumque missum, habita à prouincialibus tributa non fictilibus vrnis, sed sacculis in summa nauis puppi gestauisse, subere ea ratione longissimis alligatis funibus, vt si naufragio cum naui ipse periisset, supernatans suber ostenderet in fundo depositum, tributorumq; pecunia Po. Ro. salua esset, propterea me credere collem ipsum aggeratum quidem esse ex fictilium fragmentis, at ex iis, quæ à figulis in ista regione officinas habentibus, contulissent, quandoquidem Pli. ostendit fictilium maximum vsum fuisse apud maiores, adeo vt deorum simulacra, templorumque ornamenta, & ipsa parietum crustamenta ex fictilibus conficerentur, cuius sunt hæc verba: Turianumque à Fregellis accitum, cui locarat Tarquinius Priscus Iouis effigiem in Capitolio dedicandam, fictilem fuisse eam, & ideo non mirari solere fictiles in fastigio templi eius quadrigas, de quibus sæpe diximus: ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in vrbe retinet. Hæ enim tamen effigies Deum laudatissimæ erant, nec pœnitet nos illorum qui Deos tales coluere, aurum enim, & argentum ne in Diis quidem conficiebatur. Durant etiamnum plerisque in locis

in locis talia simulacra. Et mox: Atqui Numa Rex septem collegia figulorum instituit. Quin & defuncti sese fictilibus doliis condi maluere. maior pars hominum terrenis vtitur vasis, M. etiam Var. figulos vno in loco fuisse indicat, cum dicit Venerem Myrteam fuisse inter figulos, & Sex. Ruff. Vrbis Romæ descriptio habet, in regione prima porta Capena fuisse vicum vitratiorum. Cum itaque figulorum eam esse opificii conditionem videamus, vt longe ab aquis haberi non possit, cum etiam eius artis purgamenta, si nimis multa in aruis dispergantur, ea reddant cæteris vsibus inutilia, sin in flumen abiiciantur, aut illud in breui compleant, aut difficillime eruantur: prudenti consilio factum reneamus, vt tam multa figulorum collegia à Numa Rege instituta myrteis, & secus flumen apud Vitrariorum vicum ibi fuerint locata, vbi nunc testaceum inter montem & Tyberim vineas videmus: Quod si Numæ regis temporibus figulorum collegia fuerunt septem, quanto plura credimus esse addita, Romani populi multitudine non minus aucta, quam fuit imperium dilatatum. Hæc omnia attente considerantes mirari solemus, cur Testaceus mons supra fidem eorum, qui non viderunt, arduus, non in alpem potius insurrexerit. Ambitus autem huius duobus millibus vix perficitur pedibus, altitudo vero centum sexaginta, cucurbitæque habet formam, cuius latior pars ad Tyberim, inter transtyberinam regionem & vrbem fluentem, pertinet. In eadem planicie fuisse etiã Lignarios, & Emporium ostendit Liuius.

CAP. LXXX.

De meta, quæ sudans dicta est, & Iouis Simulacro.

POST Auentini montis descriptionem, Ianiculum recto ordine sequi dixeramus, eum autem commodius relicturos ad eam partem situs Vrbis, quæ Transtyberinam complectitur regionem. Succedent igitur Exquiliæ, quas à meridie, siue ortu hyemali via Labicana, ab occasu vero vsque ad Amphitheatrum conualle CCCC. pedum latitudine eandem viam complectente, à Cœlio monte diuisimus, prius tamen quam ipsas aggrediamur, quid in hac ipsa via, & conualle fuerit, aut sit, breuiter dicendum. Ab hortis itaque templi diuæ Mariæ nouæ, vnde digressi sumus, auspicari conueniens erit. ANte Constantini triumphalem arcum exstat antiquæ metæ latericia, & dimidiata rotunditas, quæ Meta Sudans à P. Victore appellatur, quod ex ea aquas manasse fama est, quibus plebs ex proximi AMphitheatri spectaculis sitim extingueret. In huius vertice Iouis æneum simulacrũ stabat. Illud autem hoc loco notandum, maiores ad percutiendum fœdera Iouis simulacri redderet Iouis, cuius proprium est sceptrum, ea perageret.

CAP. LXXXI.

De Amphitheatro Titi Vespasiani, ac de Templo Fortunæ & Quietis.

SVRGIT inter Cœlium montem, & Exquilias AMphitheatrum, vulgo Colosseum appellatum, quod media vrbe, vt destinasse compererat Augustũ, Vespasianus excitauit, Titum deinde eius filiũ dedicauisse ostendit Suet. his verbis. Et tamen nemine ante se munificentia minor amphitheatro dedicato, thermisque iuxta celeriter extructis munus apparatissimum largissimumque dedit. Vtrique tamen, id est, patri Vespasiano & Tito eius filio, amphitheatri opus attribuere videtur. Eusebius vero exstructionis & dedicationis Titum

 autho-

authorem facit: & Cassiodorus, qui, vt diximus, asserit ipsum Titum, falso tamen, primum omnium huiuscemodi excogitauisse molem. Titum autem vel inchoauisse, & perfeciſſe, vel cum genitor cœpisset, absoluisse nemini dubium videri potest; si quis reliqua ædificia ab eodem prope exstructa cognorit. Mar. vero hanc ipsam molem Domitiano attribuit, sed id factum est per adulationem, Colosseo enim fuit nomen à Neronis Colosso, qui erat in porticu domus, vt in æreis eius numismatibus sæpe vidimus. Verum vtrum Titus intra amphitheatrum concluserit, aut postea eo transtulerit, aut ædificando prope stare permiserit, parum liquet, & tamen à Colosso nomen obtinuit, quo in loco ipsius Neronis stagna prius fuisse, idem Martial. sic testatur:

Hic, vbi conspicui venerabilis amphitheatri
Erigitur moles, stagna Neronis erant.

Ipsum autem amphitheatrum Arenam appellatum legimus, quod solum arena sparsum esset, ea nempe de causa vt gladiatores, certatoresque reliqui sine periculo caderent; simulque sanguis illico tegeretur, ne illius aspectu pugnantes aduersarios timerent, minusque alacriter in certamen descenderent: & nudati perunctique pugiles eo puluere perfusi solidiores vicissim præberent amplexus. Amphitheatrum, inquit Plin. Tiburtino lapide exstructum tantæ altitudinis, vt eo vix humanus oculus inspicere possit. Habet autem forinsecus porticum vnius structuræ, per quam fuerant ingressus, & ascensus. In singulis vero arcubus superioribus marmoreæ statuæ cum incrustatione, & signis intrinsecus, & extrinsecus. in quibusdam vero fornicibus ornamenta ex gypso adhuc cernuntur. sub ipsa mole deductæ sunt Cloacæ, quibus magna pars sustinetur, author Pomp. Letus. Caueam, quæ ludorum diebus linteis operiebatur, loca septem & octuaginta millia cœpisse refert P. Victor. At sedentium loca, & cunei qualiter essent diuisi, & quibus gradibus singuli ordines ad sedes suas ascenderent, facilius ex Veronensi, quam è Romano amphitheatro cernere licet. cuius, cum vetustate, tum barbarorum inuidia, & immanitate magna pars euersa est. Quæ enim penitus delere non poterant, impia lancinarunt manu. quemadmodum in plerisque aliis ædificiis feciſſe videmus. Exstant & Albæ in hortis S. Pauli antiquissimi amphitheatri vestigia. Fortunæ Equestris Ædem, apud amphitheatrū, à Fuluio Flacco positam esse Liuius secundo, quintæ dec. his verbis declarat: Q. Ful. Flaccus censor ædem Fortunæ equestris vouerat, faciebat enixo studio, ne vllum Romæ amplius, aut magnificentius templum esset, magnum ornamentum se templo ratus adiecturum, si tegulæ marmoreæ essent, profectus in Brutios Iunonis Laciniæ ad partem dimidiam detegit, id satis fore ratus ad tegendum quod ædificaretur. Fortunam autem pluribus in locis templa habuisse testatur Tacitus septimo libro. In via Labicana fuit Quietis Ædes.

CAP. LXXXII.

De Exquiliis.

EXQVILIAS in plures partes à M. Var. diuisas esse dictum est, & quia ipsius verba non modo earum partium nomina, verū etiam vnde denominatæ sint Exquiliæ, declarant, subtexere hic non grauabor. Secundæ, inquit regionis Exquiliæ. Alii has scripserunt ab excubiis regis dictas. alii quod excultæ à rege Tullo essent. huic origini magis cōueniunt luci vicini, quod ibi lucus Martis, Iunonis Laciniæ, Fagutalis, & Larium querquetulanum Sacellum, & Lucus. Exquiliæ duo montes habiti, quod pars Cespius mons suo antiquo nomine etiam in sacris Argeorum scriptum est sic. Oppius mons princeps Exquilinum lucum fagutalem siniſtra, quæ sub mærum est. Oppius mons terticeps lucum Exquilinum dexterior via in Tabernola est. Oppius mons quadriceps lucum Exquilinum viam dexteriorem in figulis est. Septius mons quinticeps lucum pætilium, ex quibus est Cispius mons sexticeps, apud ædem Iunonis Laciniæ, vbi æditimus habere solet. Hæc autem montium nomina aduentitiorum Ducum fuisse, memoriæ proditum est, qui eos ante

Vrbem

Vrbem conditam coluere. His etenim Varroni opinionibus, alteri quidem suffragantur Ouidii hæc carmina:

Adde, quod excubias, vbi rex Romanus agebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

Alteri vero M. Cato, qui ait Exquilias ab excubiis, sed quas Romul. Locumo dedit XII. lictorum, & CCC. armatorum ad corporis custodiam, simulque dignitatem, cum T. Tatius in fide societatis non sine suspicione esse videretur. Alii ab aucupibus, quod ibi quisquiliis sparsis aues illuderentur. Volunt tamen eam partem, quæ secundum viam Labicanam, hinc ad sanctorum quadraginta Martyrũ, & Clementis, inde ad S. Petri in vinculis, & Martini in montibus ecclesias perducit, Carinarũ nomen habuisse, quod Liuius probat, cum sexto belli pun. inquit: Media Vrbe per Carinas Exquilias contendit, vbi vnum ab altero diuidit. Et quoniam hæc pars, antequam Ser. Tullius Exquilias augeret, prima Vrbi erat iuncta, ab ipsa recte auspicaturi videmur.

CAP. LXXXIII.

De Carinis, Curia Veteri & Noua.

CARINÆ sunt ædificia facta in modum Carinarum; quæ erant intra templum Telluris, author Seruius. Lautas dixit Poeta, aut propter elegantiam ædificiorum, aut propter Augustum, qui natus est Cunis veteribus, & nutritus in lautis Carinis. Quo in loco videndum ne apud Ser. vlubris, non cunis sit legendum. Scribit enim Porphyrio Augustum nutritum esse in auito suburbano iuxta Velitras, locumq; Vlubrem appellari. quamquam, vt dixi, Suet. velit ipsum natum ad capita Bubula. & Porphy. nutritum, non natum scribit. Carinæ, inquit Var. postea cerionia, quod hinc oritur caput sacræ viæ ab Sterniæ Sacello. In ea autem parte Carinarum, vbi nunc apud ædem S. Petri ad vincula fornices maximos, inter ruinarum vastitatem, contra amphitheatrum extare cernuntur, Curiam veterem fuisse autumat Blon. fuerunt & Nouæ proxime compitum fabricium ædificatæ, quod parum amplæ erant veteres à Romulo factæ, vbi is populum, & sacra in partes XXX. distribuerat, vt in iis ea sacra curarent, quæ quando ex veteribus in nouas euocarentur, septem curiarum per religionem euocari non poterat, ita quod Forensis, raptæ, vellensis: velitiæ res diuinæ fiunt in veteribus curiis auth. Sex. Pomp. Curia in qua habebatur senatus templum fuit. hinc Virg. hoc illis Curia templum. Quod autem hæ, quas Blon. dicit Veteres, sint à Romulo ædificatæ, non sequitur, quia fuissent extra Vrbem à se conditam, & Romulum in Vrbe curiam feciſe omnium est opinio. Arbitramur igitur aut nouas fuisse, aut veteres appellatas ratione aliarum, longo tempore post, quam fuerunt ædificatæ.

CAP. LXXXIV.

De Cliuo Virbio, & Domibus Ser. Tullii, Aurea Neronis, Virgilij, ac de Turri Mecœnatis, & hortis, simulq; de Fortunæ & Fœlicitatis Templo.

PARS autem ea Exquiliarum, quæ plurima ecclesiæ S. Laurentii in fontana imminet, Cliuus Virbius est appellata, vbi lucus Fagutalis, quo in loco Ser. Tullium domum habuisse visum est supra, vbi de vico Scelerato egimus. Domus Aurea Neronis totum id spacii occupauit, quod est ab ea Palatii parte, quæ nunc S. Gregorii ædem eregione habet, recte veniendo per Constantini arcum Colosseum, atque Carinas, quousque in Exquilias, paulo vltra S. Mariæ Maioris ecclesiam, perueniamus, & Mecœnatis attingamus hortos.

quod probat Cor. Tac. his verbis. Eo tempore Nero Antii agens, non ante in Vrbem regressus est, quam domui, qua Palatium & Mecænatis hortos continuauerat, ignis propinquaret, neque tamen sisti potuit, quin & Palatium: & domus, & cuncta circum haurirentur & infra: Cæterum Nero nixus est patriæ ruinis exstruere domum, in qua non tam gemmæ, & aurum miraculo essent solita pridem, & luxu vulgata, quam arua & stagna, & in modum solitudinum, hinc syluæ, inde aperta spatia & prospectus. Suet. Nero, inquit, domum à Palatio Exquilias vsque fecit, quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam, restitutamque Auream nominauit; Huius autem amplitudinem ostendit ille, qui dixit,

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites;
Si non & Veios occupat ista domus.

Tanta quidem fuit eius laxitas, vt porticus triplices miliarias haberet, item stagnum maris instar, circumseptum ædificiis ad vrbium speciem, tura insuper aruis, atque vinetis & pascuis, syluisq; varia cum multitudine omnis generis pecudum & ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, distincta gemmis, vnionumque conchis. erant cænationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus vt flores fistulis, & vnguenta desuper spargerentur. præcipua cœnationum rotunda quæ perpetuo diebus ac noctibus, vice mundi, circumageretur. Balneæ marinis, & albulis aquis fluentes. Huiusmodi domum cum absolutam dedicaret hactenus comprobauit, vt se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse. in cuius vestibulo stabat, vt dixi, eiusdem principis Colossus, altitudine CXX. pedum, qui eo defuncto mutato nomine, Soli fuit dicatus: hunc Zenodorum é Gallia accitum fecisse tradit Plin. statuarumque moles turribus pares Colossos vocari. Sex Pomp. à primo inuentore Colossum denominatum scribit. Idem Plin. commemorat Neronem in domo aurea Ædem Fortunæ inclusisse, quæ ex lapide phengite translucens foribus clausis claritatem diei intus haberet, hancque prius à Ser. rege sacratam, & Seiam à segetibus appellatam. Apud thermas Diocletiani, secundum eam viam, quæ nunc est ab ipsis ad S. Antonii ædem, loco Exquiliarum editissimo, fuit celeberrima illa Mecœnatis Turris, ex qua crudelissimus Nero scœnico habitu alioqui Troiæ canens, Vrbis incendium spectauit. cuius incendii initium ab ea parte circi Maximi originem habuit, quæ Palatino, Cœlioque montibus contigua est, finis autem ad imas Exquilias, auth. Suet. quanquã Corn. Tacit. vult Neronem Antii tunc fuisse, vt visum est. De hac turri sic meminit Hor. Molem propinquam nubibus arduis omitte mirari, vbi interpres in Mecœnatis hortis statuit. qui amœnissimi erant in campo Exquilino, de quibus Suet. hæc habet verba: Deducto in forum filio Druso statim è Carinis, ac Pompeiana domo in hortos Mecœnatis transmigrauit. In his colebatur Priapus, vt idem Hor. Satyr. octaua innuit, cum inquit. Nunc licet Exquiliis habitare salubribus. Virgilius apud hos hortos Domum habuit, quanquam secessu Campaniæ & Siciliæ plurimum vteretur. Felicitatis Templum, quod erat in parte domus aureæ, combussit Nero. Supra Mecœnatis hortos Tarquinii aggeres adhuc apparent. de quibus Plin. ita scribit: Clauditur vrbs ab oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili. namque eum muris æquauit, qua maxime patebat aditu plano, cætero munita erat excelsis muris, aut abruptis montibus, nisi quod expatiantia tecta multas addidere vrbes. De his vero Aggeribus perperam sensit Blon.

* * *

CAP.

CAP. LXXXV.

De Basilica Sisimini, Campo & Foro Exquilino, Luco Querquetulano, Iunonis Laciniæ, & Martis: ac de Fano & Ara malæ Fortunæ.

BASILICA Sisimini ciuis Romani apud ædem S. Mariæ Maioris fuisse memorant. Campum vero Exquilinum, ab Exquiliis denominatum, prope Mecœnatis turrim, inter montem super aggere & Vrbis mœnia, quo in loco apud priscos cadauera sepeliebantur, hinc Cic. ait Senatum censere, atque è rep. existimare Ædilium curulium edictum, quod de funeribus habeant Ser. Sulpitij Q. F. Lemoniæ Rufi funeri mittere: vtique locum sepulcro in campo Exquilino C. Panta Cos. seu quo in loco videtur, pedes triginta quaque versus designet, quo Ser. Sulpitius inferatur: quod sepulcrum ipsius liberorum, posteriorumque eius sit. Hunc autem campum nunc Focalum vocant, ab antiquis vstrinis. Nam prisci cadauera ibi comburere solebant: cuius rei nidor cum Vrbi esset perniciosissimus, Augustus studuit aerem emendare, & S. P. Q. R. consensu campum illum Mecœnati concessit, vbi ille, vt dixi, hortos suos fecit. In his quidam scribunt inuentum marmor cum indice huiusmodi.

CVRTIA L. PRAPIS CVIVS PARS DIMIDIA HVIVS MONVMENTI CONCESSA EST AB C. MECOENATE HELIO SIBI ET P. CVRTIO SP. F. COL. MAX. FILIO ET TI. IVLIO AVG. L. GLICONI ET SVIS POSTERISQVE EORVM.

Illud autem notandum Plin. velle, ante Syllam, neminem crematum esse, eumque ideo cremari voluisse, quia reliquias Marij apud Anienem cum dissipari iussisset; verebatur ne suæ hostibus itidem ludibrio essent. Si de patriciis intelligimus verum est, nam prius cremari consueuisse ostendit Terentius in And. in campo Exquilino Claudius Imper. ciuitatem Romanam vsurpantes securi percussit. Forum Exquilinum in Exquiliis. Appianus. Dum Martius & Sulpitius ad Exquilinum forum illi occurrunt. Hæc autem pars, quæ pertinet ad collem Viminalem, habuit Lucum Querquetulanum, & Iunonis Laciniæ, de quibus supra, sicut apud Ouid. his carminibus fit mentio.

Monte sub Exquilio multis inceduus annis
Iunonis magnæ nomine lucus erat.

In eisdem Exquiliis Fanum & Ara malæ Fortunæ, de Fano meminit Plin. de Ara vero Cicer. in libris de Natur. deorum. his verbis: Aram malæ Fortunæ in Exquiliis videmus. In eo autem supercilio Exquiliarum, qui imminet templo S. Laurentij in Fontana circum fuisse putauit Ful. argumento, quod formam circi vestigia ostendant. Sed conuallis illa inter Viminalem, & Exquilias non facilem locum circo præstare videtur. intercludisset enim Vicum Patricium, vel Suburræ partem; neque magis circi, quam maximarum domorum illa sunt vestigia; cum ibi Ser. Tullius habitauerit, habitauerint & Patricij, à quibus vicum nomen adeptum esse, ostendimus. In ea autem via, quę ad portam Interaggeres ducebat, in ipsis Tarquinij aggeribus: Gordiani Arcus steterat, marmoreis ornamentis, triumphis insculptis conspicuus, cuius marmora ad Palatij S. Laurentii in Damaso substructionem fuere translata.

* * *

CAPVT LXXXVI.

De Cliuo Suburrano, Arcu Galieni, Macello Lybiæ, Via Prænestina, & Marij Trophæis.

IN capite Suburræ sequitur cliuus ab ipsa Suburra Suburranus appellatus, in Exquilias facilem præbens ascensum. Recta mox, apud ædem S. Viti, occurrit Arcus triumphalis Galieni Imper. ex Tiburtino lapide haud ornamentis insignis, in quo legitur tantum hic titulus.

GALIENO CLEMENTISSIMO PRINCIPI CVIVS INVICTA VIRTVS SOLA PIETATE SVPERATA EST M. AVRELIVS VICTOR DEDICATISSIMVS NVMINIS MAIESTATIQVE EIVS.

Prope fuit Lybiæ, siue, vt scribit P. Victor, Liuianum Macellum, à quodam Macello denominatum, qui in Vrbe latrocinium exercebat, quo damnato, Censores Æmilius, & Fuluius statuerunt, vt domus eius publicaretur, venderenturque ibi obsonia, auth. Plut. in Prob. Var. vero, præter hanc, aliam ponit huius nominis etymologiam: Hæc omnia, inquit, postquam contracta in vnum locum, quæ ad victum pertinebant, & ædificatus locus Macellum appellatus, vt quidam scribunt, quod ibi fuerit hortus, Alij, quod ibi domus fuerit, cui cognomen fuerat Macellum, quæ publice sit diruta, & ædificatum hoc, quod vocetur ab eo Macellum. Prænestina autem Via, ad Exquilinam ducens portam, hinc principium sumit, in qua à sinistra occurrit semidiruta moles lateritia. in ea erecta sunt duo marmorea Trophæa, id est trunci cum spolijs, quorum alterum habet thoracem cum ornamentis & clypeis, & ante se imaginem captiui iuuenis brachijs post tergum vinctis. alterum vero instrumenta omnia ad pugnandum, & clypeos quæ fuisse dicuntur C. Marij de triumpho Cimbrico erecta. Hæc sunt quæ à Sylla disiecta C. Cæsarem dictatorem instaurasse memorat Suetonius. Locus hodie ab incolis Cimbrum vocatur. Erant autem Romę pluribus in locis trophæa; Marij autem duo, vt testatur Valer. Maxim. Trophæum enim dixere saxũ, aut arborem decisis, vt inquit Poeta, ramis, aut arcum, aut colũnam erectã, cũ aliqua in laudem victoris inscriptione. Truncatis ait Sueton. arboribus, & in modũ trophæorum adornatis. Plutarch. conqueritur imprudenter simul, & aspere nimis egisse primos ex Græcis, qui trophæa, aut marmore incisa, aut ære sculpta facientes, odium simul & bellum à conseruata victi ignominia perpetuum reddidissent. Figebantur trophæa locis eminentioribus. Sal. de Pomp. Deuictis Hispanis trophæa in Pyreneis iugis constituit.

CAP. LXXXVII.

De Domo Æliorum, Sacello Mariano, Regione Tabernola, Thermis, & Domo Gordiani, Basilica Caij & Lucii ac de Palatio Liciniano.

DOMVS Æliorum inquit Valer. Max. vbi nunc sunt Mariana monimenta, & Sacellum Marianum, in quo illud S. C. de reditu Ciceronis in patriam, Lentulo Cos. referente, factum est. Hinc ea tota Exquiliarum pars, quæ est plana, Exquilias inter, & Cælium montem, basilicamq; Lateranensem, vergit. hodie dicitur Merulana pro Mariana. apud veteres regio Tabernolæ dicebatur, vt refert Var. his verbis: Exquilinus dexterior via Tabernolæ. A sinistra via Prænestina, prope S. Eusebij templum Thermæ & Domus Gordiani Imp. fuere, de quibus Capitolinus ita loquitur: Domus Gordianorum etiam nunc exstat, via Prænestina ducentas columnas vno stilo habens, & Thermas quales, præter Vrbem, nusquam haberet orbis terrarum, quod ruinæ multæ ac ingentes, etiam nunc ostendunt. Inter portam Exquilinam & Næuiã haud procul à mœnibus, vetusti, insignisq; ædificij ruinę spectan-

ſpectantur, & inter has concameratus fornix pene integer, quo poſt Pantheum nullus nunc in vrbe maior. locum hunc Galutii thermas vulgo vocant. Fuit autem inſiguis illa Baſilica, & Porticus, quam Cæſar ſub nomine nepotum Caii & Lucii erexit. Haud hinc procul, iuxta S. Bibianæ ædem, ad vrſum Pileatum fuit Palatium Licinianum.

CAP. LXXXVIII.

De Aqua Marcia, ſiue Traiana: & Iſidis Templo.

AQVÆ autem Marciæ ductus ſuper Taurinam tranſiens pōrtam per Exquilinum campum ad Diocletiani thermas primum, deinde in proximos colles, vt veſtigia oſtendunt, perducebatur. de aqua ipſa ſic loquitur Plin. Clariſſima aquarum omnium toto orbe frigoris, ſalubritatiſque palma præconio Marcia eſt, inter reliqua deum munera vrbi tributa. Vocabatur hæc quondam Auſeia. Fons autem ipſe Piconia oritur in vltimis montibus Pelignorum. tranſit Marſos, & Fucinum lacum Romam haud dubie petens. mox ſpecu merſa in tiburtina ſe aperit. Primus eam in vrbem auſpicatus Ancus Martius vnus ex regibus: Poſtea Q. Marcius rex in prætura deduxit, rurſuſque reſtituit M. Agrippa Frontinus hanc via Valeria ad miliarium XXXIII. ſuo tempore in Auentinum à Traiano deductam, & ab eo denominationem habuiſſe docet. Marciamque potui, reliquas vero aliis vſibus aſſignat. Plin. autem natationi, Virginem vero tactu præſtitiſſe ſcribit. In frontiſpicio autem portæ Exquilinæ ita legitur.

IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FELIX. AVG. PARTH. MAXIM. BRIT. MAXIMVS. PONTIFEX. MAXIMVS. AQVAM MARCIAM. VARIIS. KASIBVS. IMPEDITAM. PVRGATO FONTE. EXCISIS ET PERFORATIS MONTIBVS. RESTITVTA FORMA. ADQVISITO ETIAM FONTE. NOVO. ANTONIANO IN SACRAM VRBEM SVAM PERDVCENDAM CVRAVIT.

IMP. TITVS CÆSAR DIVI F. VESPASIANVS AVG. PONTIF. MAX. TRIBVNICIÆ POTESTAT. IX. IMP. XV. CENS. COS. VII. DESIG. RIVOM AQVÆ MARCIÆ VETVSTATE DILAPSVM REFECIT. ET AQVAM QVÆ IN VSV ESSE DESIERAT REDVXIT.

Huius autem aquæ Cor. Tacita meminit. Luxus cupido infamiam & periculum Neroni attulit; qui fontem aquæ Marciæ ad Vrbem deductæ nando inceſſerat. Iſidis templum in regione Exquilina ponitur à P. Victore.

CAP. LXXXIX.

De Suburra, Domo Cæſaris, & Leliæ, ac de vico Patricio.

DEINDE QVAM Viminalem collem aſcendamus, pauca quædā dicenda ſunt de Suburra, & Vico Patricio. Suburra igitur principium habuit à foro Roman. & recta veniendo per forum Neruæ ad cliuum Suburranum, vnde initium viæ Prænestinæ eſt, deſinebat. Alii tamen (quod non probatur) à regione Tabernolæ ſupra Coloſſeum, vbi caput viæ Labicanæ eſt, inchoaſſe volunt, & per Exquiliarium radices vſque ad ædem S. Luciæ in Orphea peruenisſe, dicta quod ſub muro terreo Carinarum eſſet. Iunius vero ſcribit ab eo, quod fuerit ſub antiqua Vrbe. Var. autem à Pago ſuccuſano litera detrita, & c. in b. mutata. De Suburra meminit Liuius tertio ab vr. co. Iuuen. vicum frequentiſſimum fuiſſe his oſtendit carminibus.

Cædere namq; foro iam non eſt deterius, quam
Exquilias à feruente migrare Suburra.

In hoc

In hoc vico Cæsarem Dictatorem Domum habuisse Suet. sic probat. Habitauit prius in Suburra modicis ædibus. & meretrices quæstum corporis fecisse, sic Mart.

Famæ non nimium bonæ puellæ,
Quales in media sedent Suburra.

Ser. autem Tullius Vrbem in quatuor regiones diuidens vnam ex his suburranam appellauit, cuius princeps fuit Cœlius, auth. Var. Vitus Patricius, obliq; Exquilias à Viminali ad Diocletiani thermas prope vsq; disterminans, à Patriciis est denominatus; qui iubente eodem Tullio ibi habitauere, vt, si quid molirentur aduersus ipsum, ex locis superioribus opprimi possent. In hoc Læliam Domum habuisse ostendit idem Mart. cum ait:

Sed domus in vico Lælia Patritio.

CAP. XC.

De Saburra Plana, Templo Siluani, & testamento militari Iocundi.

VIMINALIS autem collis ab occasu partem Quirinalis oppositam habet, & valli interiacenti Planæ Suburræ fuit nomen, vbi ad radices tamen Viminalis ferme eregione S. Agathæ, Siluani Templum exstitisse, cum ex marmoris frusto ipsius diui memoriam continenti, tum ex militari testamento in Lusitania reperto, dicimus, quod pulcherrimum, memoratuq; dignum IACOBI Simonetæ Episc. Pisaurien. & Rotæ auditoris clarissimi monitis, libuit hic subiungere.

IOCVNDI.

EGO Gallus Fauonius Iocundis P. Fauouii F. qui bello contra Viriatum occubui. Iocundum & Prudentem, filios è me, & Quintia Fabia coniuge mea ortos, & bonorum Iocundi patris mei, & eorum, quæ mihi ipse acquisiui, hæredes relinquo. hac tamen conditione, vt ab vrbe Roma huc veniant, & ossa hinc mea intra quinquennium exportent, & via Latina condant, in sepulcro iussu meo condito, & mea voluntate. In quo velim neminem mecum, neque seruum, neque libertum inferri. Et velim ossa quorumcunque sepulcro statim meo eruantur, & iura Rom. seruentur in sepulcris ritu maiorum retinendis voluntatem testatoris. Et si secus fecerint, nisi legitimæ oriantur causæ, velim ea omnia, quæ filiis meis relinquo, pro reparando templo dei Siluani, quod sub Viminali monte est, attribui, Manesque mei à Pont. Max. & à Flaminibus Dialibus, qui in Capitolio sunt, opem implorent ad liberorum meorum impietatem vlciscendam. Teneanturque sacerdotes dei Siluani me in Vrbem referre, & sepulcro me meo condere. Volo quoque Vernas, qui domi meæ sunt, omnes à Prætore vrbano liberos cum matribus dimitti, singulisque libram argenti puri, & vestem vnam dari. In Lusitania in agro. VIII. Cal. Quintiles, bello Viriatino. De templo Siluani meminit Vopiscus. In eadem autem valle fuere decem Tabernæ, ita à numero denominatæ, quemadmodum apud ædem S. Agathæ effossi tiburtini lapides indicarunt. Puteus diuæ Probæ, quem Proba fecit, iuxta ædem S. Mæriæ, cognomento in Campo.

CAP. XCI.

De Viminali, Palatio Decii, Lauacro Agrippinæ, Thermis Olympiadis & Nouati, ac de Domo Q. Catuli, Craſsi, & C. Aquilii.

VIMINALIS autem inter Exquilias à M. Var. connumeratur, collemq; non montem appellat, à Ioue Vimineo, quod eius aræ ibi eſſent, & quod ibi Vimina nata. Anguſtam ſed oblongam formam habere in ſitus Vrbis expoſitione viſum eſt. In primo autem cliuo, apud S. Laurentii in panis perna ædem, Decii Imper. Palatium fuiſſe inuenio, & ruinæ ingentes oſtendunt. Hinc haud procul, in ea parte, quæ S. Vitalis deſpicit eccleſiam. Lauacrum Agrippinæ matris Neronis. vbi ſuperioribus annis duo ſimulacra Bacchi reperta fuere, cum hoc indice.

IN LAVACRO AGRIPPINÆ.

At quæ Suburram, Thermæ Olympiadis ponuntur ab iis, qui beati Laurentii geſta narrant. Nouatianæ vero vbi S. Pudentianæ templum. Blon. tamen vnas potius putat, quã duas. Sed Olympiadis in montis ſupercilio exſtant veſtigia, ad radices vero Nouati: quas paruas fuiſſe canales fuliginoſi, qui nunc ſunt in eadem, aperte oſtendunt. Habuit Viminalis inter cætera, tres nobiliſſimas domos, vnam M. Craſſi, aliam Q. Catuli illius, qui cũ Mario Cimbros fudit, ac Capitolii tegulas inaurauit. Tertiam vero C. Aquilii equitis Romani, quem clariſſimum iuris Ciuilis ſcientia fecit. harum domorum veſtigia ex fundamentis vinetis contectis in dorſo eiuſdem montis adhuc cernuntur. In eodem colle fiebat olim ſacrificium nomine Fagutal, vt memoriæ prodidit Antiſtius Labeo.

CAP. XCII.

De Thermis Diocletiani, Bibliotheca vulpia, Campo Viminali, Porta Interaggeres, & valle Quirinali.

THERMÆ Diocletiani in dorſo Viminalis maiori ex parte diruræ adhuc cernuntur. Fornices tamen ampliſſimi exiſtentes, & columnæ, atque camerata loca miræ amplitudinis & capacitatis, operis magnificentiam ſatis declarant. Has Diocletianus, & Maximianus Herculeus Impp. inchoarunt, in quibus exſtruendis memorant XL. millia Chriſtianorum pluribus annis in modum ſeruitii habuiſſe. Inchoatæ igitur à veteribus principibus à nouis Conſtantio, & Maximiano dedicatæ fuere, & ſtatuis propriis, conditorumque erectis exornatæ, vt marmor ibi effoſſum oſtendit huiuſmodi titulo.

M. AVRELIVS VAL. MAXIMIANO INVICTO AVG. PONT. MAX. IMP. VIII. COS. III. P. P. P.

In altero vero hæc legimus.

THERMAS DIOCLITIANVS A VETERIBVS PRINCIPIB. INSTITVTAS OMN. Item. D. D. N. N. DIOCLITIANVS ET MAXIMIANVS INVICTI SENIORES AVGVSTI PATRES IMPERATORVM ET CÆSARVM CONSTANTIVS ET MAXIMIANVS INVICTI AVGG. ET SEVERVS ET MAXIMIANVS NOBILISS. CÆSARES THERMAS FELICES DIOCLITIANI AVG. FRATRIS SVI NOMINE CONSECRAVIT COEPTIS ÆDIFICIIS PRO TANTI OPERIS MAGNITVDINE OMNI CVLTV PERFECTAS ROMANIS SVIS DEDICA.

Quam autem inſano ſumptu exſtruerentur, docet Sem. his verbis: At nunc quis eſt, qui ſic lauari ſuſtineat? pauper ſibi videtur, & ſobrius, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus

bibus refulserunt,nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sunt,nisi thasius lapis,quondam rarum in aliquo spectaculum templo, piscinas nostras circumdedit; in quas multa sudatione corpora exanimata dimittimus,nisi aquàm argentea epitonia fuderint:& adhuc plebeias fistulas loquor. Quid cum ad Balnea libertinorū peruenero?quãtum statuarum?quantum columnarum est?nihil sustinentium, sed in ornamentum positarum,impensæ causa. quantum aquarum per gradus cum frigore labentium ? Hinc Iulius Capitolinus:Lauacra in modum prouinciarum exstructa.Bibliothecam autem Vulpiã Hadrianus in Diocletiani thermas posuit,& in ea libros linteos,elephantinosque principum gesta,& S.C.conscripta,author.Pollione.Locus hic, quoniam obscuritatem forte haud paruam legentibus parere potuerit,habito respectu& temporum & Imperatorum; quippe cum Hadrianus ex Eutropii numeratione, annis ferme centum septuaginta ante Diocletiani tempora exstiterit;ideo ita forte legendum videtur: Bibliothecam autẽ Vulpiam Hadrianus eo in loco statuit,vbi longo tempore post Diocletianus thermas excitauit;& in ea libros linteos,Elephantinosq;,principum gesta,& S.C.cõscripta,auctore Pollione,posuit.De hac etiam Vopiscus ita meminit. Vsus sum præcipue libris ex Bibliotheca Vulpia,ætate mea thermis Diocletianis,& alibi.Bibliotheca Vulpia elephantini pugilares in sexto armario siti.Sunt qui huiusmodi constitutionem Traiano adscribant.In vinea enim posita inter ipsas thermas,& viam ad portam Numentanam ducentem,me spectante repertum est Sacellum , cuius testudo in morem conchæ marinæ sculpta , ex duobus frustis marmoris candidissimi,constabat.huius autem ornamenta contemplatus,cui Deo esset dicatus nullo potui signo comprehẽdere.Post thermas,sub aggere Tarquinii,Viminalis campus vsque ad mœnia diffunditur,vbi porta Interaggeres clausa adhuc cernitur. quanquam nobis placet ipsam in Exquilino campo sitam esse. Inibi autem fuerat Puteus aquæ salientis,qui dicebatur puteus Viuarii, quo nomine nunc appellatur campus ille ab incolis, quia in eo loco apud antiquos animalia includerentur. Exstant adhuc ad mœnia cauernæ opera hominum ad id factæ,veluti ferarum latibula.Hæc de Viminali,qui licet à thermis Diocletiani ad mœnia,hinc cum Exquiliis,inde cum Quirinali iungatur,pars tamen,quæ est à Diocletiani vsque ad Constantini thermas,diuiditur valle,quæ Quirinalis dicitur:de qua meminit Iuu.cum inquit.Officium cras,primo sole mihi peragendum valle Quirini. Et alibi. In vallem descendo Quirini. In hac ferunt Romulum cum cœlum ascenderet, Iulio Proculo Alba redeunti ante lucem apparuisse. Sunt autem qui velint in cliuo montis,supra ædem nunc S. Vitalis. In eadem valle fuit Fortunæ Publicæ Ædes. de qua Ouid. sunt hæc carmina.

Qui decet quondam sacrata in valle Quirini,
Hac fortuna die publica,ver vt erit.

CAP. XCIII.

Montem nunc Caballum Quirinalem esse,contra Blondi opinionem.

DEscriptis quinq; montibus ex septem, quos Vrbs Roma complexa est, restat citra Tyberim vltimus Quirinalis,cuius ędificia priusquam attingamus,libet cõtra Blon.opinionem eum esse,qui vulgo mons Caballus dicitur,demonstrare,& quamquam diligenter consideratis iis , quæ de Vrbis ampliatione scripta sunt, quisque in nostram sententiam facillime veniet, tamen ad ea,hæc addimus: quod P. Victor, postquam Exquilinam regionem,cum turri, & colle Viminali in quinto regionum statuit ordine : in sexto altam semitam ponit,& in eo Domum Pomponii Attici,cæteraque omnia,quæ ex variis rationibus, & authoribus in Quirinali fuisse traduntur,in ea inquã parte,quæ à Blond. inter Exquilias est cõprehensa.Quod si,vt ipse vult, accipimus collẽ, quem nos hortulorum dicimus, Quirinalẽ esse,multa sequentur inconuenientia:Verum illud maxime,quod Campus intra Vrbẽ receptus videretur, quem extra fuisse dubiũ est nemini : vnde Appianus ait Cæsarem

sarem exercitum propius Vrbi admouisse in campum qui Martius diceretur. Præterea cum Dion. libro secundo inquit, inter Quirinalem & Capitolium castra posuit, satis innuit Caballum montem Quirinalem esse. non enim aliter procederet, castra inter ipsos montes posita esse, si eum in Exquiliis statueremus. Huic opinioni suffragantur, & quæ sequuntur, eiusdem authoris verba: Vrbem maiorem effecere, adiicientes Quirinalem & Cœlium. Romulus quidem Palatinum occupans, & Cœlium Palatio propinquum, Tatius vero Capitolium, quod ab initio cœperat, & Quirinalem rupem. Quare non fit verisimile Tatium interiecta, secundum Blon. Exquiliarum parte, secundum nos Quirinali, collem hortulorum occupauisse. Insuper si Mecœnatis horti in monte Caballo fuerant, qui erat necesse, vt ait Sueton. Tiberio deducto filo in forum, inde in Carinas, & in domũ Pompeianam peruenire, vt hinc in illos transmigraret; cum rectior, breuiorque esset via à sinistra, quam à dextera. Adhæc natura loci satis ostendit Blondum non bene de Quirinali sentire. Miror autem Pomp. Lætum in frontispicio Domus suæ, in Exquiliis scripsisse, cum in eius monimentis eum collem, vt Quirinalem, agnoscat. Sed iam ipsius etymologiam, & quid in eo sit, aut fuerit, videamus.

CAP. XCIV.

De Quirinalis etymologia, Turri Militiarum, Balneis Pauli, Sacello Neptuni, Thermis Constantini, & de Domo, & Vico Corneliorum.

MONTIS Quirinalis etymologiam docet Var. his verbis. Tertiæ regionis colles quinq;, à deorum fanis appellati, è queis nobilissimi Viminalis, à Ioue vimineo; Quirinalis à Quirini Fano. Var. secutus Ouid. in fast. ait.

Templa deo faciunt, collis quo q; dictus ab illo est.
Et referunt certi sacra paterna dies.

Sunt autem qui à Quiritibus, qui cum Tatio Curibus venientes ibi castra posuerunt, eam denominationem accepisse velint. Collis est oblongus, sicut Viminalis sed eo ampliorem habens ambitum, quod etiam (vt quibusdam placet) complectitur eum collem, qui est à Collina ad Collatinam portam, in quo iacet obeliscus Ægyptiacis literis inscriptus, Lunæ, vt ferunt, dicatus. Et secundum vero latitudinẽ Viminalis porrigitur à Septentrione in meridiẽ, instar curuati ad cubitum brachii, vsque ad turrim nũc Comitum, vnde exordiri ex situs Vrbis descriptione optime conuenit. In primo igitur cliuo, supra forum Traiani, statim occurrit Turris Militiarum, cui milites Traiani, ibi stationem olim habentes, nomen fecere. quo in loco, inferius tamen, exstant triplici concameratione fornices, & in hemicycli forma cryptoporticus, à fronte caueam theatralem reddentes, prope quæ loca effossa fuere marmora hoc titulo notata.

POTENTISSIMA DOS IN PRINCIPE LIBERALITAS, ET CLEMENTIA.

Haud ita multo post, eodem cliuo Balnea Pauli stetisse ferunt. qui locus corrupto vocabulo Bagnanapoli nunc dicitur. In descensu vero eius partis Quirinalis, cui planam Suburram subiacere scriptum est, in hortis Leonardi Bartholini stat adhuc Sacellum variorũ piscium, marinarumq; concharum nobili pictura elegater exornatum, quod ex ipsa pictura Neptuno sacrum fuisse suspicari licet. Hinc autem in septẽtrionem quis progrediens in maximi olim ædificii illico incidet ruinas, quas, licet domum Corneliorũ reliquias esse multi opinẽtur, fornices tamen amplissimi, & concamerata loca ingentia, non aliã, quam thermarum ostendunt formam. quod si consueuere principes omnia sui monimenta vno in loco ædificare, dicimus statuas Constantini pedestres, militari habitu, quales in numismatibus ipsius vidimus, nunc in angulis basis equorũ Phidiæ, & Praxitelis stantes, argumento esse thermas Constantini ibi fuisse. Domus vero Corneliorum in vico eiusdẽ gentis adhuc retinenti nomen. Sed ad thermas redeamus, quas Eul. auth. Apollodoro & Marcellino asserit à Constantino exstructas esse. At Marcellinus de Lauacro Constantiano

tiano tantum meminit: neque apud veterem scriptorem vlla apparet ratio cur pro certo teneamus, has Constantinum excitauisse, præter illam, quam diximus, & quod in his olim legebatur talis inscriptio.

PETRONIVS PERPENNA MAGNVS QVADRATIANVS, V. C. MI. PRÆF. VRB. THERMAS CONSTANTIANAS LONGA INIVRIA ET ABOLENDÆ CIVILIS. VEL POTIVS FOEDALIS CLADIS VASTATIONE VEHEMENTER AFFLICTAS ITA AGNITIONE SVI EX OMNI PARTE PERDITA DESPERATIONE CVNCTIS REPARATIONIS ADFERANT DEPVTATO AB AMPLISSIMO ORDINE PARVO SVMPTV QVANTVM PVBLICÆ PATIEBANTVR ANGVSTIÆ AB EXTREMO VINDICAVIT ET PROVISIONE LONGISSIMA IN PRISTINAM FACIEM SPLENDOREMQ. RESTITVIT.

Et quod inuentum est marmor continens ipsius Constantini memoriam huiusmodi.

Q. FABIVS HONORATVS. T. ANNÆVS PLACIDVS AMPLIFICATORI VRBIS ROMÆ DOMINO NOSTRO CONSTANTINO MAXIMO PIO FELICI VICTORI AC TRIVMPHATORI SEMPER AVG. ANITIVS PAVLINVS IVN. V. C. CONSORDANIVS PRÆF. VRBIS ET IVDEX SACRARVM CONSTITV. TIONVM PIETATI EIVS SEMPER DEDICATISSIMVS.

CAP. XCV.

De Saturni, Bacchi, Solis, & Quirini Templo & Porticu; Capitolio Veteri, Sacello Iouis, Iunonis, & Mineruæ, ac de Domo Pomp. Attici.

APOLLODORVS, de quo proxime est mentio, memoriæ prodidit, in vico Corneliorum fuisse statuas duas Colosseas senum seminudorum, qui cum reliquo corpore iacerent, pectore fuerant erecti, alteraque manu cornucopiam tenerent, quas Saturno & Baccho adiudicauit, addiditq; in proximis ruinis, quorum frontispicium non omnino corruisset, eorum deorum extitisse templa. Eregione autem thermarum Constantini, in montis supercilio planam Vrbem despiciente, surgit marmorea dimidiata Turris, Mesa vulgo appellata, quam Blon. Mecœnatis esse putat, quod Mesa sincopato nomine pro Mecœnatiana dicatur. At multis rationibus supra patuit, Mecœnatis turrim sub Aggeribus Tarquinii fuisse. Non desunt enim qui hanc turrim ponant inter ornamenta templi Solis ab Aureliano Imperatore excitati, quod si non ibi, haud inde procul certe fuit, de quo Vopis. ita scribit: Aurelianus Romæ Soli templum posuit in maiori honorificentia consecratum. Ferunt quidam eius matrem Solis sacerdotem, & ob id Solis templum in eius gratiam excitauisse. Nos vero in huius principis numismatibus legimus. SOLI INVICTO. In dorso montis, prope dictas thermas, Equi duo marmorei, Praxitelis vnus, alter vero Phidiæ, vt tituli indicant. quibus equis astant viri nudi loro eos trahentes. Tiridatis regis hos fuisse Sex. Ruffi Vrbis descriptio admonet. Romam. n. delati, quo tempore Nero, vt laute ipsum regé excipe-

exciperet, vno die Pompeii theatrum inaurauit. Ea autem Quirinalis pars , quæ vallem Martiam despicit, Mons cum templo Clatræ , & Apollinis vocitata est. Haud ita multo post surgit collis alter, vbi Capitolium vetus, Sacellum Iouis, Iunonis & Mineruæ fuisse literis traditur, eaque prius capitolinis condita. A dextera , cregione horum locorum, prope S. Vitalis ædem Pomponius Atticus Domum habuit , cognomento Pamphilianam, ab auunculo hæreditate relictam, cuius amœnitas non ædificio , sed sylua constabat auth. Cor. Nepos, quo in loco Quirini templum postea conditũ fuit. ex cuius ornamentis in vinea Hieronym. Genutij effossis structi sunt gradus in Capitolio , ad Aræcœli ecclesiam. Quirini autem templum omni tempore erat clausum, quod aperire non licebat, quasi arcanum habere vellent, humi ne iaceret, an in deorum numerum relatus esset. Quidam prope Quirini templum , volunt fuisse Porticum eiusdem nominis , quo conuenie-bant homines componendorum negociorum causa , ibique aliquando sponsalia esse peracta, de qua porticu Mart. ita meminit:

Vicini pete porticum Quirini.

ADNOTATIO.

Cum de equis (vulgo) Tiridatis regis Ponti seu Armeniæ, hic ageretur, is enim Romam Neronia sportandos curauit; non piguit hic pauca subnectere. Simulacra namq; ipsa marmorea alterũ Phidiæ, alterum Praxitelis præstantissimorũ artificum opus, quæ equos regere videntur , pro certo est inter antiquarum rerum peritos esse ipsius Alexandri Macedonum regis effigiem ad viuum repræsentantia, vt ex eiusdem aureis argenteis æreisq; numismatibus compertum est.

CAP. XCVI.

De Alta Semita, Domo Sabini, Vico & Statua Mamurri, Foro & Hortis Sallustij; ac de campo Scelerato.

ALTA autem Semita à thermis Constantini ad portam Viminalem per Quirinalis dorsum erat producta , cuius vestigia (erat enim ex quadrato lapide strata) nuper in vinea Sodoleti vidimus ipsi. in eademq; ad Malum Punicum fuisse Domum Flauij Sabini , in qua Domitianum natum esse scribit Suet. ex Tiburtino lapide ibi effosso didicimus. In eo enim legi Indicem huiusmodi.

INTER DVOS PARIETES PRIVATVS ANDITVS FLAVI SABINI.

Exstant in eadem vinea, vno lapide sculpta, tria deorum simulacra , quorum à sinistra sedens vnum, Genio Cœlimontreis, vt titulus ostendit, erat consecratum. alterum à sinistra stans, Herculi Iulio. Tertium Ioui Cœlimonteis. Visuntur ibidẽ, in radice montis antiqui aquæductus vestigia, cum aquis limpidissimis, & potui non ingratis. Vicus autẽ Mamurri, in quo illi statua fuerat posita , apud ecclesiam S. Susannæ à diuo Ambrosio collocatur. fuit enim haud procul à Sallustij foro, cuius Horti ab eadem ecclesia ad campum Scelera-tum, prope portã Collinam existentem, diffundebantur: in quib. hortis volũt fuisse aquas subterraneas hominũ opera scaturientes , ad irrigandum ipsos hortos cõmodissimos. At de Hortis Cor. Tac. meminit his verbis: Ventitabat Nero ad pontem Miluium quo soluti. us Vrbem extra lasciuiret. Igitur regrediente per viam Flaminiam compositas insidias, fa. toque euitatas , quoniam diuerso itinere Sallustianos in hortos remeauerit. & Vopiscus de Aureliano loquens sic. Displicebat ei, cum esset Romæ. habitare in Palatio, ac magis placebat in hortis Sallust. vel Domitii viuere. Sallustius enim patrocinio & Cæsaris fauore consecutus dicitur præturam Africæ interioris, ex qua diues factus hos hortos comparauit, & villam Tiburtinam, quæ illi à Cic. identidem obiicitur. Exstant adhuc hortorũ vestigia in profunda valle inter montem, & viam quæ ducit ad portam Salariam, cuius vallis partem hi horti cum cisternis occupabant, vnde collis , in quo quota pars Domus Sallustii conspi-

conſpicitur, ab incolis Salluſtricum dicitur. quo in loco effoſſum fuit marmor cum hoc indice.

M. AVRELIVS PACORVS ET M. COCCEIVS STRATOCLES ÆDITVI VENERIS HORTORVM SALLVSTIANORVM BASEM CVM PAVIMENTO MARMORATO DIANÆ. D. D.

VItra autem hos hortos, prope portam Collinam, locus eſt editus, vbi olim Veſtales, quæ inceſtum commiſiſſent, viuæ ſepeliebantur, & totus ille campus, ſicut & via ad eum, Sceleratus appellatus, auth. Sex. Pomp. Liuius; Eo anno, inquit, Mutia Veſtalis facto inditio viua ſub terra ad portam Collinam dextera via ſtrata defoſſa ſcelerato campo; ab inceſto id ei loco nomen factum.

CAP. XCVII.

De Templo Salutis, Dii Fidii, Fortunæ primigeniæ, Gentis Flauiæ, Honoris, Herculis, Quirini, ac de natali loco Domitiani, & Senatulo mulierum.

QVIRINALIS habuit multas ædes ſacras, quibus non eſt certus in eo locus, veluti Apis Saluris, à Fabio pictore depicta, Claudii vero tempore incenſa. hanc cum Iunius Bibaculus dictator de Equis triumphans vouiſſet, Cenſor locauit, & Dictator dicauit.

Sanctus, Fidius, dii fuerunt Sabinorum; quos domo demigrantes in collem Quirinalem cum cætera ſupellectile detulerunt, idque nomen verbis trinum, re vnicum eſſe dixerunt. vnde licet tribus ipſis eſſet in eodem colle Templum dicatum, vnus tamen ſancti vocabulo appellabantur, obtinuitque huiuſmodi nominis opinio ſanctitatis magnam vim habere iuſiurandum, quo in trino & vnico numine medium eſſe quis Fidium affirmaret. Plaut. Per deum fidium credis iurato mihi. Fortunæ primigeniæ Ædes in eodem monte à Domitio prætore vrbano poſita fuit. Herculis templum in eodem, e regione Quirini. ſimiliter Honoris, vt teſtatur Cicero de leg. Senatulum mulierum, inquit Lampridius in Heliogabali vita, id eſt, mulierum ſenatum, in Quirinali fecit, in quo ante fuerat conuentus matronalis ſolennis duntaxat diebus. Agonalia etiam in Quirinali celebrata fuiſſe legimus.

CAP. XCVIII.

De Foro Archimonii, pila Tiburtina, Domo Martialis, Circo Floralium, Floræ Templo, Officinis minii; & Cliuo publico.

INSTAVRATIS VrbisRomæ reliquiis, iis quæ ad ſex montes citra Tyberim pertinere videbantur, reliquum fuerat in Tranſtyberinam tranſire regionem, & Ianiculum, ſeptimum antiquæ Vrbis montem, his adiungere. verum cum multis iam annis, ne dicam ſeculis, collis Hortulorum cum campo Martio intra pomerium ſit receptus, prius hunc, totamque Vrbem planam percurrere optimum fore arbitramur. Inter igitur ipſum collem & Quirinalem, vallem quadrangularem, ſed oblongam formam habentem iacere, in deſcriptione ſitus vrbis declaratum eſt, in cuius parte ſub Clatræ, & Apollinis monte, Archimonium forum fuiſſe memorant. argumento quod ibi ſit ædes S. Nicolai cognomento de Archimoniis. Haud ita multo poſt fuit locus, Pila Tiburtina, quaſi Tibur, denominatus: vbi Mart. ſe Domum habuiſſe, his teſtatur carminibus:

Sed

Sed Tiburtinæ ſum proximus accola pilæ,
Qua videt antiquum ruſtica Flora Iouem.

Sequebatur deinceps Circus vbi Floralia in honorem deæ Floræ agitabantur. Flora enim cum magnas opes ex arte meretricia quæſiuiſſet, Popul. Roman. ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cuius ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellabant Floralia. quod quia Senatui flagitioſum videbatur, vt pudendæ rei quædam dignitas adderetur, deam finxerunt eſſe, quæ floribus præeſſet eamque oportere placari, vt fruges cum arboribus bene, proſpereque floreſcerent. Sunt autem qui huiuſce deæ templum in Quirinali ſtatuant: ſed ſiue in colle, ſiue in valle, omnino fuit prope circum. Paulo vltra circum, Officinæ conficiendi minium occurrebant, vt ſcribit Vitruuius, prope quas Publicum cliuum fuiſſe ſic docet Var. Cliuus proximus ad florales, verſus Capitolium Vetus.

CAP. XCIX.

De Colle Hortulorum, Templo Solis, & Sepulcro Neronis.

EXPOSITIS iis, quæ videbantur pertinere ad vallem ſupradictam, ipſum aſcendamus Hortulorum collem, qui licet magnum habeat ambitum, tamen ob eam rationem, quod priſcis temporibus extra pomerium fuerat, pauca memoratu digna complectitur, inter quæ Domum Pincii Senatoris, qui & colli, & portæ cognomen fecit. hodie enim mons Pincius, Pincianaque dicitur porta. Huius autem domus veſtigia exſtare traduntur apud partem antiqui muri laxata compage inclinati, cadentiq; ſimilis. Hinc autem ſecundum muros progrediens longo interuallo occurrit moles in hemicycli formam, quam Solis templum quidam fuiſſe autumnat. In hoc ipſo colle ferme eregione, ſecundum aliquos, ſepulcri Marcelli in via Flaminia poſiti, Nero ſuum ſortitus eſt, vt docet Suet. his verbis. Reliquias Ægloge, & Alexandria nutrices, cum Actia concubina gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod conſpicitur è Martio campo, impoſitum colle Hortulorum. in eo monumento ſolium porphyretici marmori ſuperſtanti lunenſi ara circumſeptum è lapide thaſio. Hic collis Hortulorum quidem obtinuit cognomen, quod ſub ipſo olim fertiliſſimi, & perpetuis aquis irrigui fuerant horti, vt vbi de Auguſti Mauſoleo mentionem facimus, infra apparebit. Ex hortulorum colle magiſtratus petituri in Martium campum olim deſcendebant. Deſcendamus nos in eundem Vrbemq; planam.

CAP. C.

De Vrbe plana, & Theatro in genere.

IN Vrbis planæ deſcriptione vt quid, quove loco ſit, aut fuerit certis ſedibus collocatis magis pateat, à Capitolio per Pantheona (eſt enim Pantheon huius Vrbis vmbilicus) ad fluminis ripam, prope S. Rochi ædē, linea recta deducatur, quæ ita deducta in duas propemodum æquales partes hanc vrbem interſecabit. quarū altera à fronte, & à latere ad Tyberim, altera vero à foro Traiani, vſq; ad portam Flumentanam, ad Quirinalis, hortulorumq; collis radices, iacebit. Illud autem in primis ſciendum, difficillimum eſſe omnia ad huius partis cognitionē pertinentia ad vnguem explicare, quod prioris ſeculi homines priſca illa, & diuina quodammodo Vrbis ornamenta, quo ſordidiſſimas exornarent domunculas, ita diſtraxere, aut viliſſimis oppreſſere ædificiis, vt veteris fundamēti veſtigia paucis in locis agnoſcantur. Quare velim doctos, Vrbisq; priſcæ ſtudioſos non mihi magis, quam impiis iſtorum manibus iraſci, ſi pauca videbor attigiſſe. Sed iam ad locorum declarationē aggrediamur, & quia à Theatro Marcelli principium recte facturi videmur, pauca de theatro

theatro prælibanda sunt. Theatri igitur originem huiusmodi tradit Cassiodorus. Cum agricultores feriatis diebus sacra diuersis numinibus per lucos vicosque celebrarent, Athenienses primum agreste principium in vrbanum spectaculum collegerunt, Theatrum græco vocabulo visorium appellantes, quod eminus astans turba conueniens sine aliquo impedimento videatur. Et infra: Ritus Romani, sicut cætera externa, ad suam remp. non inutiliter trahentes ædificium alta cogitatione conceptum magnanimitate mirabili condiderunt. Theatra prius ad tempus lignea posita fuere: postea versatilia inuenta, quæ modo vnam, modo alteram faciem ostenderent, qualia duo M. Curius in funebri patris munere iuxta fecit. Primum autem theatrum Romæ fecit M. Scaurus in ædilitate sua XXX. dierum spacio duraturum, omnium maximum quæ vnquam humana manu facta fuere. cauea enim hominum octuaginta millia capiebat. L. Mumius primus, theatro temporaneo ludos suo triumpho dedisse dicitur, deinde Scaurus. Vitruuius autem scribit post Scænam porticus esse constituendas, vti cum imbres repentini interpellarint, habeat populus quo se recipiat ex theatro, & non modo porticus, sed etiam ambulationes, quæ ita collocabantur, vt duplices essent, haberentque exteriores columnas doricas, cum epistyliis & ornamentis ex ratione modulationis perfectas. & alibi: Tectum, inquit, porticus quod futurum est, in summa gradatione cum scænæ altitudine librarum perspiciatur, ideo quod vox crescens æqualiter ad summas gradationes, & tectum perueniet. Sed symmetrias, & locorum distinctiones docet libro quinto.

CAP. CI.

De Theatro Marcelli, & Bibliotheca, ac de Porticu, & Curia Octauiæ.

AVGVSTVS multa sub alieno nomine condidit, & inprimis Theatrum Marcelli nepotis ex sorore Octauia, cuius pars vetustate, igneque corrupta, vbi nunc est Palatium Sabelliorum inter Capitolium & Tyberim, adhuc cernitur. Capiebat autem loca octuaginta millia, opus sane maximum, simul & pulcerrimum, vtpote ab eo excitatum, qui maxime exoptabat multis & præclaris ornamentis Vrbem illustrare. In hoc, scena restituta, Vespasianus ludos edidit: at de hoc theatro lege Asconium. Iuxta theatrum Porticum Octauiam in gratiam Octauiæ sororis idem Augustus condidit, quam mox incendio deformatam, restituit. In hac porticu raptus Proserpinæ, Bacchus, & Satyrus fuere, Praxitelis opera. In eadem Apollinem, Dianam, nouem Musas fecit Timarchites. Intra hanc ipsam porticum Iunonis Ædem ponit Plin. in qua eiusdem deæ simulacrum Dionysius, & Polycles fecere. Idem auth. de Octauiæ curia meminit, & in ea Cupidinem fulmen tenentem ponit. Consentaneum autem est hanc curiam fuisse vbi porticus, quam ante theatrum statuit Appianus. Includebatur autem inter ædes sacras D. Nicolai in carcere, & S. Mariæ, quæ ab ea in porticu cognomen obtinuit, qui locus ex ruinis, & curiæ, & porticus eminentior cernitur, ibique saxa tiburtina, & marmora plurima effodiuntur. Defuncto vero Marcello prope theatrum Octauia mater Bibliothecam instituit, id est, librorum repositorium, quæ Liberaria etiam dicitur. Gellius: forte, inquit, in liberaria ego, & L. Paulus poeta vir memoria nostra clarissimus consederamus. Tradunt autem Pisistratum tyrannum primum omnium Athenis disciplinarum liberalium libros publice legendos posuisse, Romæ vero Asinium Pollionem.

CAP.

CAP. CII.

De Circo Flaminio, & Templo Apollinis.

CIRCVS autem Flaminius vbi fuerit, permagna est inter scriptores dubitatio, & contentio, Blon. namq; quibusdam coniecturis admodum leuib. conatur ostendere, quem nunc Agona, olim Circum Flaminium appellatum, cuius rei nullum habens argumentum, Pandulphum Lateranensis Ecclesiæ ostiarium tantum adducit, qui scribit Hadrianum Pontificem S. Apollinaris ædem ædificauisse, vbi prius Apollinis fuerat. Po. vero Læt. quem deinde secutus est Ful. eum esse vult, cuius vestigia quibusdam in locis adhuc extãt apud Apothecas obscuras, in cuius medio nunc ædes S. Catharinæ est sita, & funes torquẽtur. Quidam vero Blon. opinionem approbantes Balbi Theatrum hoc in loco fuisse contendunt. Quare in re tam antiqua, tam dubia, in tantaq; scriptorum varietate, quem potissimum sequeremur, nulla erat certa ratio, coniecturæ vero non valde probabiles, in his animi anxietatibus diu versatus, tandem forte fortuna, quid probarem, inuenimus. Sedebamus enim nuper in Liberaria Pontificis Max. Ego, IOHANNES Moronus Episcopus Mutinen. magni ingenii, magnæq; probitatis iuuenis nobilissimus, nec non THOMAS Cadamustus patricius Lauden. iisdem ornatus animi virtutibus, humanarumque literarum studio virorum doctorum fautor & singulare præsidium. Sedebant & quidam prudentes viri, incideratq; mentio de Mario iuniore, de cuius morte cum quidam dubitarent, quid, inquit Episc. dubitatis de re omnibus nota: heus puer affer M. T. Ciceronis orationes. Legebatur in toga candida. Catilinam caput Marii plenum adhuc animæ, & spiritus gestauisse ab Ianiculo ad ædem Apoll. tunc Thom. antiquitatis vrbis studiosissimus, & in medicina alter Apollo, in me conuersus. vbi inquit, erat Apollinis ædes. Iube inquam Asc. Ped. afferri, apud ipsum quædam vidi, quæ nunc memoriæ non occurrunt, eo allato hæc legimus. Omnia sunt manifesta, sed tamen ne erretis, quod his temporibus ædes Apollinis in Palatio fuit nobilissima, admonendi estis, non hanc à Cicer. significari, quam post mortem Ciceronis multis annis Imp. Cæsar, quem nunc D. Augustum dicimus, post actiacam victoriam fecerit: sed illam demonstrari, quæ est extra portam Carmentalem, inter forum Holitorium, & circum Flaminium. Quibus verbis obseruaui nullo modo Agonium cãpum circum Flaminium esse. Et si quis consideret forum Holitorium, ædemq; Appollinis inter ipsum & circum Flaminium voluerit collocare, certe Pomponii opinionem facilime probabit: non enim procul à porta Carmentali fuit Apollinis ædes. Liuius. Ab æde Apollinis boues fœminæ duæ, albæ, porta Carmentali in vrbem ductæ. Quæ vero à Blon. adducuntur, ea omnia, præter Pandulphi argumentum, non magis suam confirmant, quam destruunt opinionem. Quid enim sibi volunt hæc Liuii verba? Itaque inde Consules ne crimination locus esset, in prata Flaminia, vbi nunc ædes Apollinis est, iam tum Apollinarem appellabant, aduocauere Senatum, nempe nihil aliud, quã sæpenumero Romanos è proximo Capitolio consultandi gratia in circum Flaminium descendisse. Vnde alibi Liuius Actum de imperio Marcelli in circo Flaminio. Quid Cassiodori? solitos esse ab Augusti Mausoleo sex portis dimitti iunctos currus, qui per Equiria in Flaminium circum currerent? nihil, nisi ab Equiriis, vbi ædes S. Mariæ in Equiro recta currus solitos esse venire ad Apothecas obscuras, & per portam antiquam, cuius vestigia adhuc existunt, circum ingressos, metas circuire, quod si de Agonio intelligatur campo, non recta à Mausoleo Augusti, verum ad dextram necesse erit currus flectere, vt in Agonium peruenias campum, quem in Martio, cum in pratis Flaminiis, circus Flaminius esse constet. Circus Flaminius, inquit M. Var. dicitur, qui ædificatus est circum Flaminium campum, & quod ibi quoq; ludis tauricis equi circum metas currunt. Sex. vero Pom. à Flaminio Cos. apud lacũ Trasumenũ ab Hannibale interfecto circum, simul & viam, denominationem cœpisse refert. Plut. vero in probl. de huius nominis etymologia dubitare videtur. Quid est, inquit, quod circus Flam. dictus est, an quod Flami. quidam priscus, cum ciuitati agrum reliquisset equestribus ludis eius fructu, & vectigalibus vtebantur, nam cum pecunia supperetet, viam quoque

quoque Flaminiam munierunt. Cui autem vſui eſſet illa indicant Var. verba paulo ante adducta, & quæ retulimus ex Liuio, quod circo Flaminio mundato ludi Apollinares extra portam Collinam portati ſunt. Inter S. nunc Angeli, olim, vt quidam putant, Iunonis Ædem, & Citranguli turrim, marmoreæ columnæ tres miræ altitudinis, & craſſitudinis adhuc extant, quo in loco Martis templum fuiſſe tenemus, columnæ enim reliquiæ videntur earum, quæ in huius diui templo ab Ouidio mirum in modum celebrantur. Apollinis vero Ædes, vbi nunc Eccleſia diuæ Mariæ cognomento ſub Capitolio, inter forum Holitorium, & circum Flaminium, ſecundum Aſc. & prope portam Carmentalem, quod innuit Liuius, qui primo dec. quintæ docet S. C. in ea ſæpe factum eſſe, eius ſunt hęc verba: Cn. Cornelio Scipione Hiſpalo, & Q. Petilio Spurino Coſ. ſenatus in æde Apollinis legatorum verbis auditis, ſupplicationem in biduum decreuit. In eodem circo etiam Neptunum ædem habuiſſe teſtatur epitaphium quod ſequitur.

ABSCANTO AVG. LIB. ÆDITVO ÆDIS NEPTVNI QVÆ EST IN CIRCO FLAMINIO FLAVIVS ASCANIVS ET PALLANS. CÆS. N. SER. ADIVTOR A RATIONIBVS PATRI PIISSIMO FEC.

CAP. CIII.

De Vulcani, Martis, Bellonæ, Herculis, Iouis Statoris Templo; ac de Columna Bellica, Ara Neptuni, Porticu Corinthia, & Coloſſo Martis.

EVERE autem cum in circo Flaminio, tum apud, aliæ celeberrimæ deorum ædes ſacræ, veluti Vulcani, in qua pro ędituis canes fuiſſe fabulantur, ſacrilegis tantum allatrantes. Martia iuxta eundem circum, vt diximus: Simul & Bellonæ: verſus portam Carmentalem inquit P. Victor. inter Martis & Apollinis templum, ac portam Carmentalem, qui locus ex ruinis eminentior nunc cernitur, vbi frequenter Senatus habebantur. Liuius quinto dec. quintæ: M. inquit, Pompilius Coſ. Romani rediit, Senatuque extemplo ad ædem Bellonæ vocato. Ante Bellonæ exiſtentis, auth. Sex. Pom. ante portam Carmentalem, fuerat Columna marmorea index belli inferendi, Bellica denominata, à qua Romani in bellum profecturi haſtam in eam partem verſus mittebant, in quam ituri erant, quia laborioſum admodum videbatur propagato imperio ad hoſtium fines ex inſtituto peruenire, in eorumque agros iacere.

Hanc Columnam Blon. iuxta circum Maximum perperam ſtatuit, deceptus illis Ouidii carminibus, quæ ſunt ſupra à nobis adducta, vbi de ipſo circo, & iis, quæ in eo erant, ſumus locuti. Ædis Bellonæ Appium Claudium cæcum authorem Ouid. ſic facit.

Hac ſacrata die thuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt author Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit, lumine cæcus erat.

Herculi magno cuſtodi circi Flaminii Ædis ponitur à P. Victore, de qua idem author vt quidam aiunt, ſic meminit.

Altera pars circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt,
Quod Deus Euboico carmine munus habet.

Steterat autem in aditu circi, vbi nunc eccleſia diuæ Luciæ in Apothecis obſcuris, & propterea Ouidius cuſtodem illius ipſum Herculem appellauit. argumento etiam, quod aperientibus Veſpillonib. ſepulchrũ quoddam, legimus in fruſto marmoris reperto cognomentum, quod in antiquis monimentis vbiq; Herculi datur, videlicet: INVICTO. Decoratus eſt arcus Flamin. altera æde cognomento Herculis Muſarum, quod cum Muſis eſſet

esset communis, à M. Fuluio Nobiliori ex pecunia censoris ædificata, ea ratione quod in Græcia acceperat Herculem Mulagetem esse, id est comitem, ducemque Musarum, idemque primus nouem signa, hoc est omnium Camœnarum simulacra, ex Ambraciensi oppido translata sub tutela fortissimi numinis consecrauit, quia mutuis operibus, & præmiis ornari, iuuarique deberent, Musarum quies defensione Herculis, & virtus Herculis voce Musarum: lege Eumenium. Ædem autem hanc vetustate deformatam, Martius Philippus Augusti vitricus refecit, quod Ouid. in fast. sic detegit:

Sic ego, sic Clio, clari monimenta Philippi
Aspicis, vnde trahit martia casta genus.

In eodem Circo Macro. Iouis Statoris statuit delubrum. Et calices fieri solitos, sic testatur Mar.

Accipe de circo pocula Flaminio.

Plin. vero aram Neptuni fuisse ait, eamque olim sudore manasse. Et à Consulatu Octauii, qui de Perseo rege triumphum nauale egit, factam Porticum duplicem apud eundem circum, quæ à capitulis æreis columnarum Corinthia, & ab authore Octauia est appellata. Fuit autem inter ipsum circum, & ecclesiam S. Nic. cognomento in chalcaria, quod ab ipsa porticu cognomen retinuisse videtur, χαλκὸς enim ædes dicitur. Idem tradit Colossum Martis fuisse in templo Bruti Callaici apud circum Flaminium.

CAP. CIV.

De porticu Mercurii, & Octauii, Pompei theatro, Domo, Atrio, & Porticu eiusdem, ac de Templo Veneris Victricis.

INTER Flaminium circum, & Tyberim extat porticus in vestibulo ædis nunc S. Angeli in piscina, olim Mercurio, vel, vt alii, Iunoni sacra, quam igne exhaustam L. Septimium Seuerum restituisse inscriptio ostendit huiusmodi.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS
SEVERVS PIVS PERTI-
NAX. AVG. ARABIC.
ADIABENIC. PARTHIC.
MAXIM. TRIB. POTE-
STAT. XI. IMP. XI. COS.
III. P. P. &
IMP. CÆS. M. AVRELIVS
ANTONINVS PIVS FELIX
AVG. PONT. MAX. TRIB.
POT. VI. COS. PROCOS. IN-
CENDIO CONSVMPTAM
RESTITVERVNT.

Porticum autem illam, quæ nunc diruta apud Plateam Iudæorum Ceuram appellant, Seueri Impera. fuisse tenet fama, nos vero de hac nihil certi habemus. Sequitur Theatrum Pompei, inter Marcelli, & molem Hadriani fere medium quod mansurum primus omnium ipse Pompeius extruxit. Quin, inquit, Cornelius Tacit. Cn. quoque Pompeium accusatum à senioribus ferunt, quod mansuram theatri sedem posuisset: Nam antea subitariis gradibus, scæna in tempus structa. Sed consultũ parsimoniæ, quod perpetua theatro sedes locata sit, potius quam immenso sumptu per singulos annos consurgeret, ac strueretur. Et licet Pompeius inchoauerit, magnaque ex parte extruxerit, C. Caligulam tamen absoluisse scribit Suet. cum fortuito igne consumptum se extructurum pollicitus est Tyberius.

Longo autem tempore post, Theodoricus Ostrogothorum rex magna ex parte disturbatum instaurauit, sicuti Cassio. verba ad Senatum indicant, quæ sunt: Et ideo theatri fabricam se mole soluente, consilio vestro credimus esse roborandam, vt quod ab authoribus nostris in ornatum patriæ constat esse concessum, non videatur sub melioribus posteris immunitum. Quid non soluas senectus, quæ tam robusta quassasti? Montes facilius cadere putarentur, quam soliditas illa quæ tenetur, quando moles ipsa sic tecta cautibus fuit, vt præter artem additam, & ipsa quoque naturalis esse credatur. Hoc potuissemus forte negligere si nos co tigisset talia non videre: & reliqua. Huius magnitudinem ex eo ēt conii. cimus, quod Nero nobilibus Germanis Po. Ro. multitudinem ostensurus, eos in hoc theatrum populo plenum introduxit. Capiebat enim loca LXXX. millia cuius vestigia in cella vinaria, & in stabulo Vrsinorum in campo Floræ adhuc cernuntur. Veneris Victricis ædem in eo fuisse scribit Porphyrio, & Plutar. in ipsius Pompei vita. Ego vero anno M. D. XXV. post ædem S. Mariæ cognomento in cripta picta, vidi effodi marmor in quo erat index talis. VENERIS VICTRICIS. Prope theatrum autem Atrium, siue curiam, & domum, & ante ipsam porticum Pompeius habuisse dicitur. Plutarchus. Atqui inquit, Pompeius ipse vsque ad tertium triumphum modice, atque incomposite habitauit, pulcrum deinde theatrum longe à Romanis diffamatum cum struxisset, splendidiorem domum, veluti theatro appendicem, ædificauit. Curia ea fuit, in qua C. Cæsarem occisum esse docet Sueton. Is locus nunc Satrium addita litera s. pro atrium appellatur. De porticu vero Ouid. sic meminit.

Tu modo Pompeia lentus spatiare sub vmbra,
Dum sol herculei terga leonis adit.

Campum, quem Floreum vocitant, à Flora à Pompeio adamata, ita denominatum putauerim, non à loci præstantia, quasi floreum, vt autumnat Ful. Hæc autem Pompei monimenta Philippo, qui post Gordianum imperauit, regnante, igni absumpta sunt, auth. Pomp. Lætus: Nam cum Philippus ipse in theatro ludos scenicos celebraret tribus diebus, totidemque noctibus peruigil populus spectauit, funalibus atque lychnis tenebras vincentibus, & cum multitudo solennibus ludis intenta esset, incendium, aut ex luminaribus, aut ex ignibus coalitum, in Curiam deuagatum est, arsit theatrum, & ei propinquum hecatonstylon, id est centum columnarum porticum. Iuxta theatrum Tyberio Cæsaris arcum marmoreum, prius à Senatu decretum, sed omissum, peregit Diuus Claudius. Suetonius.

CAP. CV.

De Thermis Agrippinis, Pantheone, eiusque Porticu, ac Boni Euentus Templo.

DISCEDENS quis à Pompei theatro in septentrionem ad locum perueniet, qui nunc Cyambella dicitur, prope Pantheona, vbi M. Agrippæ Thermarum reliquiæ adhuc extant: eis namque Agrippinis à suo nomine nomen imposuit Agrippa, de quibus meminit Plin. his verbis: M. Agrippa rusticitati, quam deliciis propior, vnicumque felicitatis exemplum multa, & egregia in vrbe perfecit opera, Augusto eius socero imperante. Idem thermas de suo nomine excitauit, has lithostrato, & encausto pinxit, arcus, & pauimenta ex vitro posuit. Et rursus: Lithostrata, & pauimenta captauere iam sub Syl. paruulis certe crustis, exstatq; hodie quod in Fortunæ delubro Præneste fecit: pulsa deinde ex humo pauimenta in cameras transiuere, vt pronũ vitium, & hoc certe inuentũ ab Agrippa in thermis, quas Romæ fecit, figlinum opus encausto pinxit, reliqua albaria adornauit, non dubie vitreas facturus cameras, si prius inuentum fuisset. Conspicitur prope thermas templum inter antiqua vrbis ædificia valde conspicuũ, & ferme integrum: ab antiquis, quasi omnib. diis sacrum, Pantheona, à nostris, à circulari forma S. Maria rotunda, nuncupatum. Est enim sphærica forma, & veteri structura, quod Ioui vltori ab eodem Agripp. positum esse testatur

teſtatur Plin. Dion. vero, ſiue quod Matri deum, atque omnibus diis ſacrum eſſet, ſiue quod mundi formam haberet, Pantheona appellatum tradit. Id cum Agrippa Auguſto vellet dedicare, ac ille reſpueret, Marti & Veneri conſecrauit. Huius autem magnificentiam, & pulcritudinem non facile verbis quis exprimeret. Habet enim intrinſecus lithoſtratum variis marmoribus perpulcre exornatum, columnasque circumquaque nobili ſtructura, & epiſtyliis optime concinnatas, ac inter ipſas, ſacella, in quibus per ambitum ſtatuæ olim erant collocatæ: Syracuſana, inquit Pli. ſunt in Pantheo capita columnarum à M. Agrippa poſita, in columnis templi eius probantur inter pauca eius opera, ſicut in faſtigio poſita ſigna, ſed propter altitudinem loci minus celebrata. Altitudo enim bracchia continet LXXVII. & totidem latitudo. Huius templi concamerata teſtudo, mira arte laqueata, habet in ſummo vertice circulare foramen, quo ſolo liberum lumen cæli admittitur, & ad huius imbres excipiendos recto diametro in ipſo lithoſtrato impluuium. Verum ne teſtudo immenſo pondere grauaretur, vacui circumquaque ſpecus ab imo ad ſummum relicti ſunt. Intus tota ædes, aut marmorata, aut marmoreis cruſtis exornata eſt, exterius rectorio illita, à fronte vero æreis laminis argento, aũroq; illitis tecta. Teſtudo nunc plumbeis, olim argenteis laminis cooperta fuerat, quas Conſtantinus tertius Heraclii nepos Romam veniens ſuſtulit: ſimulque omnes ſtatuas ex ære, & marmore ad vrbis ornatum poſitas, omniaq; templorum ornamenta paulo decentiora detraxit, nauibusq; ad id paratis impoſitis aſportauit. Portæ vero templi æreæ, miræ magnitudinis, veteri ſtructura, cum æreis ſupra valuas cancellis. In pronao Auguſti, & Agrippæ fuere ſimulacra. In Ipſo vero templo Martis, & Veneris, ex cuius auribus pendebat vnio miræ magnitudinis, & taxationis, quẽ, vt ſcribit Macro. Cleopatra in auribus gerebat, cuius magnam partem, aceto cõſumpſerat in cõuiuio, quo M. Antonium ſumptibus ſuperare contendebat, quæ vno hauſtu centies ſeſtertium ebibit, ſed qui ſuperfluit victa regina, capta Ægypto Romam delatus, diſſectusq; eſt, & factæ ex vna margaritæ duæ, poſitæ, vt diximus, Veneris ſimulacro: Phidias inquit Plin. fecit ex ebore Mineruam Athenis, quæ eſt in Pantheo. aſtans. Hercules in Pantheone, ad quem Pœni omnibus annis humanas ſacrificant victimas humi ſtans. Virg. enim Didonis deſcribens templum alludere videtur ad hoc, in quo tot gradibus nũc deſcenditur, quot olim aſcendebatur, vt columnarum baſis in porticu ipſius exiſtentium oſtendit, ſimul & area ex quadrato lapide ſuperioribus annis detecta, ex quo deprehendi poteſt quantum ruinis creuerit Vrbis ſolum. Notandumq; etiam hoc in loco omnia templa apud veteres in ſublimi condita gradibus aſcendi, atq; vnum tantum habuiſſe aditũ. Vnde Var. Omne enim templum debet eſſe continuo ſeptum, nec plus quam vnum introitum habere. Agrippa autem templo porticum addidit, à quibuſdam prothyrum appellatam, cuius verbi ſignificationem Accurſius Iurecon. ſe ignorare fatetur. Eſt autem locus ornamenti cauſa ante ianuam, veluti veſtibulum, aut porticum, quaſi πρόθυρα θυρῶν. Hæc vero porticus pulcerrima, & ferme integra adhuc ſtat, cuius tectum æreis, ac inauratis trabibus canalium modo compactis ſuſtentatur: rotundis ingentibusq; attollitur columnis, de qua Baptiſta Leo hæc habet verba: Extant in hunc vſque diem ad porticum Agrippæ contignationes æneis trabibus pedum XL. opus in quo neſcias impenſam ne magis, an artificis ingenium mirere. Præter columnas rotundas, habet quaſdam alias quadratas, quæ dicuntur anthæ, anthes quadraturam ſignificare Nonius affirmat. In huius frontiſpicio literæ cubitales, operis authorem oſtendentes, ſunt hæ.

M. AGRIPPA L. F. COS. TERTIVM FECIT.

De inſtauratione vero eiusdem templi infra minores literæ leguntur hæ.

IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS SEVERVS PIVS PERTINAX ARABICVS ADIABENICVS PARTHICVS MAXIMVS PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. PP. PROCOS.

IMP. CÆS. M. AVRELIVS ANTONINVS PIVS FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PROCOS. PANTHEON VETVSTATE CORRVPTVM CVM OMNI CVLTV RESTITVERVNT.

Spartianus autem ait Hadrianum prius Pantheum inſtauraſſe. Iulius Capit. in vita ipſius Antonini pij de ipſa inſtauratione ita meminit: Opera eius hæc extant, templum

Hadriani honori patris dicatum , instauratum Amphitheatrum, sepulcrum Hadriani, templum Agrippæ. Porticus autem numinibus priscos dedicare consueuisse , probat in marmore excisus hic index.

SILVANO SANCTO. L. VALLIVS SOLON PORTICVM EX VOTO FECIT DEDICAVITQVE KAL. APRILIB. PISONE ET BOLANO COSS.

In area autem Pantheonis visuntur pari forma duo leonum simulacra ex marmaridum lapide subnigro, sub suis basibus collocata, cum hierogliphicis literis, inter duo porphyretica labra, quæ in proximis Agrippæ, aut Neronis thermis fuisse multi opinantur. Templi Boni euentus vestigia quadrata, & oblonga spectantur inter Mineruæ, & Sancti Eustachii plateas. Colebatur autem Euentus, vt omnia prospere, feliciterque eueniret : quare Var. ad Fundaniam scribens ipsum inuocauit, cuius simulacrum erat habitu pauperis, dextera manu pateram, sinistra vero tenens spicam. Praxitelem huius diui simulacrum in Capitolio fecisse, testatur Plinius.

CAP. CVI.

De Thermis Neronianis, & Alexandrinis, ac de Circo, qui Agon dicitur.

THERMARVM olim Neron. fornices, & arcus quidam adhuc extare videmus, post S. Eustac. ædem, inter Pantheonis & Longobardorum plateas: de quibus Mar. Quid Nerone peius, quid thermis melius Neronianis? Has Alexandrum instaurauisse nonnulli arbitrantur. Lampridius vero nouas iuxta Neronianas Alexandrum excitauisse: cuius sunt hæc verba: Thermas sui nominis fecit, iuxta eas, quæ Neronianæ fuerunt, aqua inducta, nunc Alexandrina quæ dicitur. Nemus thermis de priuatis ædibus suis, quas emerat, diruptis ædificiis fecit. Pulcherrimum fere omnium artium vectigal instituit : ex eoque iussit thermas, & quas ipse fundauerat, & superiores populi vsui exhiberi. Syluas & in thermis publicis deputauit, & quia thermarum vestigia late patent, à S. Eustachio vsque ad domum Gregorii Narnien. viri optimi & humanissimi, in cella vinaria, cuius vidimus thermarum pauimenta, & plumbeas fistulas, Lampridii opinionem potius probamus, videlicet Alexandrum nouas prope Neronianas excitauisse thermas, præsertim quod in eadem domo, & in proximis, sunt putei aquis limpidissimis, qui nulla arte possunt exiccari, vt existimem esse ductum illius aquæ, quæ ab Alexandro inducta, eiusdem adquisiuit nomen. Iuxta autem has P. Victor thermas Hadriani posuit : quidam ferunt fuisse, vbi nunc S. Aloysii templum, sed cum nulla ibi appareant Thermarum vestigia, certum locum illis non audeo assignare. Visuntur hodie in celebrrima Vrbis planæ parte vestigia spacioſissimi Circi, quem nunc Agonem vocitant, quod in eo ad nonum diem Ianuarii Agonalia Iano sacra celebrarentur, à Numa, vt scriptum reliquit Antias, instituta. Is enim Deus rebus agendis præsidere credebatur. Ego vero crediderim ibi non solum Agonalia, verum varios ludos, variaque edita spectacula, & communi nomine Agonem denominatum, quo nomine cuiuslibet generis spectacula appellant Græci. Non enim placet, quod vult Ful. huic loco Equiriæ nomen fuisse, quia, vt diximus, rectior erat via ab Augusti Mausol. ad S. Mariæ in Equiro ædem, vt inde currus in circum Flaminium, sicuti Cassio. ait, dimitterentur. Præterea ædes ipsa in Equiro dicitur, non in Aquiro, neque legitur vsquam locum ibi fuisse paludosum, vt ab aquis ædes ipsa nomen sit adepta. Leue sane est argumentum, quod æreæ annates in ea fuisse dicantur, solent enim antiqua hominum, & deorum signa simul, & animalium ad locorum ornatum, huc, illuc transferri, sicuti videmus æneos pauones in S. Petri basilica, quos olim in pinu ænea ad Scipionum sepulcrum fuisse memorant. Quare cum solerent principes, vt supra patuit, omnia sui monimenta vno in loco extruere, Neronis, siue Alexand. circum existimauerim. Sunt enim harum thermarum vestigia prope, & ferme contigua. Non negamus tamen in eo Equiria sicut alia certamina, fuis-

na, fuisse celebrata. Sunt autem Equiria ludi, quos apud Elidem Græciæ ciuitatem Oenomaũ primum omnium edidisse scribit Sex. Pom. & Pindari interpretes. Romulus postea eum imitatus eosdem in raptu Sabinarum Italiæ ostendit, de quibus Ouid. 2. fast. ita meminit.

Iamq; duæ restant noctes de mense secundo,
Marsq; citos iunctis curribus vrget equos.
Ex vero positis permansit equiria nomen.
Quæ Deus in campo præstitit ipse suo.

Quidam autem aiunt in via triumphali Arcum Theodosii, Valentiniani, & Gratian. Im. fuisse, quo in loco nunc pecunia signatur, nos vero de his nil certi inuenimus, nisi quod fragmenta quædam superioribus annis apud ædem S. Celsi inuenta dicuntur, horum principium de arcu inditium facientia. Aliqui dicunt in eo arcu titulum insculptum esse huiusmodi.

IMPP. CÆSSS. D. D. D. N. N. N. GRATIANVS VALENTINIANVS ET THEODOSIVS PII FELICES ET SEMP. AVGG. ARCVM AD CONCLVDENDVM OPVS OMNE PORTICVM MAXIMARVM ÆTERNI NOMINIS SVI PECVNIA PROPRIA FIERI ORNARIQ. IVSSERVNT.

CAP. CVII.

De Templo Neptuni, Terento, Ara Ditis ac Palude Caprea.

IN ripa autem Tyberis, vbi nunc S. Basilii, olim Neptuni stabat Ædes, ab Hadriano restituta, quemadmodum in marmore ibi inuento titulus nobis significauit. In Neptuni naufragio seruati solebant tabellas naufragium ipsum pictum habentes ponere, auth. Fulgentius: Terentus, inquit Pom. locus in campo dictus quod eo loco ara Ditis patris occultaretur, vel quod profluentis Tyber. ripas aquarum cursus tereret. Quo in loco Euand. ex Arcadia profectus cum classe substitisse dicitur, hinc Ouid.

Iamq; ratem doctæ monitu Carmentis in amnem.
Egerat, & thuscis obuius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada iuncta Terenti
Aspicit, & sparsas per loca sola casas.

Notandum autem non solum Ditis, sed & Proserpinæ aram subterraneam fuisse quam Val. Max. tradit egesta terra ad XX. pedum altitudinem, apud Terentum inuentam Valesio quodam authore, è Sabinis locuplete, & rusticæ vitæ homine, qui liberatis tribus filiis ibi trinoctium furuæ hostiæ sacrificium exhibuit. vnde Ausonius.

Terna terentino celebrata trinoctia ludo.

Ipsam quidam aram Romani bello Albano constituerant, atque alta occultauerant terra, vt omnibus, præterquam ipsis, esset ignobilis. Capream Paludem in campo Martio ante Vrbem statuit Liuius. Plut. vero locum esse dicit versus mare in rheumatibus Tyberis, ad quem vnus erat aditus, & propterea tutus; vbi Romulus cum exercitum recenseret, subita orta tempestate, sublatus è medio apparere desiit.

* * *

CAP.

CAP. CVIII.

De Domo Coruina, Via Lata, & Templo Isidis.

ALTERA autem pars Vrbis planæ, secundum radices Quirinalis, à foro Traiani ad portam Flaminiam producta, habuit prope Capitolium Domum Coruinam: à qua locus in hanc vsque diem nomen seruat, Macellum enim Coruorum vulgo dicitur. vbi in pariete domus Virgilii de Mantaco tiburtinis saxis insculpta leguntur hæc.

C. POBLITIO. L. F. BIBVLO ÆD. PL. HONORIS VIRTVTISQVE CAVSA SENATVS CONSVLTO POPVLIQVE IVSSV LOCVS MONVMENTO QVO IPSE POSTERIQVE EIVS INFERRENTVR PVBLICE DATVS EST.

Vbi notandum honoris, virtutisque causa additum, quia Duellio Cos. cautum fuerat S. C. ne quis in Vrbe sepeliretur, nisi qui virtutis causa, legibus non tenerentur. Vnde Cic. Hominem mortuum, inquit, lex in XII. tabulis, in Vrbe ne sepelito, neve vrito. credo propter ignis periculum, atqui in Vrbe sepulti sunt clari viri. Credimus eos, quibus ante hanc legem, virtutis causa tributum est, vt Publicolæ, vt Tiburtæ, quod eorum posteri iure tenuerunt: aut eos, si quibus hoc, vt C. Fabricius virtutis causa soluti legibus non sunt secuti. Propterea Imperatores, & virgines Vestæ, quia legibus non tenerentur, in ciuitate habebant sepulcra. Denique etiam nocentes virgines Vestæ, licet viuæ, tamen intra Vrbem campo Scelerato obruebantur. Sed vnde digressi, eo reuertamur. A Macello Coruorum ad septa campi Martii via Lata, adhuc priscum obtinens nomen, producitur: à qua ædes S. Mariæ in via lata nomen accepit: prope quam nunc multa eruuntur marmora, in quibus trophæa, triumphalesque imagines vidi, cum hac inscriptione. VOTIS. X. ET. XX. qualem esse in arcu Constantini dictum est supra, ex quo coniicimus arcum triumphalem ibi stetisse. hactenus tamen nihil aliud apparuit, vt cuius esset, iudicaremus. Ferunt Innocentium octauum Pontificem, in renouatione prædictæ ædis, hunc diruisse. In hac ipsa via Isidis Templum extitit. Blo. autẽ ex Sex. Ruff. descriptione, vbi ædes nunc S. Marcelli ponit: in quo Vespasianum & Titum nocte illa, quæ triumphum præcessit, quieuisse memorat Suet. Iuuenalis vero prope septa statuit, cum inquit:

A meroe portabat aquas, quas spargat in ædem
Isidis, antiquo quæ proxima surgit ouili.

Et licet ædes prædicta non multum à Septis distet, non tamen proxima dicetur. Vnde alii posuere Isidis in Platea nunc Sciarræ, nonnulli apud ædem S. Mariæ in Equiro. At certum locum nobis non licet assignare, nisi quod prope S. Marcelli templum inuentum est marmor hoc titulo insculptum.

TEMPLVM ISIDIS EXORATÆ.

Fuit autem Isis Ægyptiorum dea, & in magna apud ipsos veneratione, cuius sacra Romam aduecta esse testatur Lucanus. Lampridius in Com. Ant. Imp. vita Sacra, inquit, Isidis ita coaluit, vt & caput raderet, Isiacos vero pineis vsque ad perniciem pectus tundere iubebat. Colebatur autem Isis cum Osiride viro, qui Serapis est nominatus; à quibus Iseũ & Serapeum loca publica in regione Flaminia nomen sumpsere. In Isidis autem templo magna dabatur adulteriorum occasio, vnde Ouid. ad amantem.

Ne fuge niliacæ memphitica sacra iuuencæ,
Multas illa facit, quod fuit ipsa Ioui.

Quo in loco non de latrociniis, quemadmodum opinatur Fuluius, verum de adulteriis & stupris intelligit Ouid. Nam & Iosephus commemorat iuuenem quendam nomine Mundum Paulinam generosam, & pudicam alioquin matronam, cum impatienter amaret,

amaret,ſacerdotes Iſidis pecunia corrupiſſe, qui nouo religionis commento mulierem in templum vocarent,eosque finxiſſe,per noctem cum Oſiride collocutos, perſuaſiſſeque eam à deo deſiderari, illam vero cum in templum veniſſet à iuuene, tanquam ab Oſiride, compreſſam,& cum mox petulãtius ſtuprum ei exprobraſſet, mulierem marito rem detuliſſe Tiberio. atque ipſum indignatum ſacerdotes cũ Mundi liberta, quæ facinoris fuerat conciliatrix,crucibus affixiſſe,temploq; Iſidis euerſo,ſimulacrũ eius in Tyberim præcipitari iuſſiſſe. De incendio autem huius templi meminit Dion. his verbis:Ignis diuinitus, potius quam ab homine Romæ excitatus,eamq; depopulatus. Nam Serapis & Iſidis templum,& Septa,Neptuni ædem,thermas Agrippæ,Pantheum, Diribitorium, Balbi theatrum,Pompei Porticum,Octauiæ domum cum Bibliotheca. Templum Iouis Capitolini cum ædibus & ſacellis coniunctis exhauſit. Pluribus autem in locis fuiſſe Iſidis templum teſtatur Spartianus in vita Caracallæ. Idem ait ſacra Iſidis Romam deportauiſſe, & templa vbique magnifice eidem deæ feciſſe.

ADNOTATIO.

Cum de viis, quæ noſtris temporibus in Vrbe apertæ ſunt, aliquid non ab re fuerit hic inſerere:ſciendum itaq; eſt anno 1561. à Pio IIII. Pont. Max. vbi olim alta ſemita fuerat,ductam & ſtratam eſſe viam,quæ de ſuo nomine Pia vocata, hæc autem ab equis Tiridatis incipiens in ipſo Quirinali,vsque ad portam eiusdem quoque nominis ducit, & inde etiam recta ad pontem qui Nomentanus,vulgo Lamentano,dicitur,triũ circiter mill. paſſ. Tempore vero Gregorii Papæ XIII. anno 1575. via quæ à diuæ Mariæ Maioris ad baſilicam Lateranenſem ducit,aperta eſt,vt ex inſcriptione in porticu illius Eccleſiæ ab Eugenio III. exſtructo apparet. At S.D.N. Sixtus V. qui nunc viget Viam Felicem de ſuo nomine, quæ ab ipſius diuæ Mariæ Maioris templo ad ædes Sanctiſſimæ Trinitatis in colle Hortulorum, ſeu monte Pincio duxit. Aperuit & eam qua à diuæ Mariæ Maioris ad Sanctæ Crucis in Ieruſalem in agro Seſoriano recta tenditur, eamque pariter, qua ab ædibus diuæ Mariæ Maioris ad portam S. Laurentii recto tramite itur. Dum vero hæc ſcribebamus agebatur de aperienda via,quæ à Capitolio recta ad Lateranum duceret, ac etiam alia,quæ à templo diui Pauli extra mœnia in via Hoſtienſi ad Lateranum ipſum pariter deueniret,quæ Deo adiuuante quam primum aperiendas fore creditur.

CAP. CIX.

De Arcu Camilli, Templo Mineruæ, & Foro Suario.

DIscedens quis à via Lata verſus Pantheona, non multo poſt illi occurret rudis,nullisque ornamentis inſignis arcus:cæterum, vt videtur, antiquiſſimus,quem Camillianum, tanquam Camillo erectum, nunc vocitant. At neſcio quo modo velint Camillum arcum habuiſſe triumphalem, cuius vſus multis ſeculis poſt Camillum inuentus à multis dicitur. prius enim triumphalia tantum ſigna cum ſtatuis, & trophæis, ducibus & triumphatoribus erigi ſolebant, qualia Marii eſſe adhuc videmus. quod ſi, vt par eſt, triumphalem arcum eſſe concedimus,non alicuius imperatoris,aut ducis fuit, quam ex iis, qui poſt C. Cæſarem fuerunt. Sequitur ſtatim inter Pantheona, & hunc arcum, Templum Mineruæ,à quo nunc diuæ Mariæ ſacrum, nomen retinet. Illius autem antiqui exſtant in cœnobio fratrum parietes, oblongam & quadratam formam templi oſtendentes, ſed non magnam. Quod templum olim teſtudinatum, multisque ornamentis inſignitum Pompeius condidit;in quo triumphalia, & geſtorum breuiarium poſuit, vt in marmorea tabula legimus, & eiſdem fere verbis Plin. ſic teſtatur. Toties Imperator antequam mitales,poſtea ad tot maria,& deinde ſolis ad ortus miſſus hos retulit patriæ titulos, more ſaeris certaminibus vincentium,neque ipſi coronantur,ſed patrias ſuas coronant. hos ergo honores Vrbi tribuit in Delubro Mineruæ, quod ex Manubiis dedicabat Cn. Pompeius

Magnus Imperator. Bello XXX. annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, & in deditionem acceptis hominum centies vicies semel LXXXIII. millibus, depressis aut captis nauibus DCCCXLVI. Oppidis, castellis mille quingentis. XXXVIII. in fidem receptis. terris à Mæotis lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Mineruæ. hoc breuiarium eius ab oriente. Ad radices autem Quirinalis in hortis Cõlumnensium prope cliuum, qui nũc in montem Caballum ducit, Forum Suarium olim fuerat, ita denominatum, quod eo in loco sues venundarentur. quapropter Sancti Nicolai ædes inibi nunc sita, in Porcilibus cognomentum retinet. M. quidem Var. docet antiquos habuisse loca constituta, vbi res peculiariter venderentur, quæ loca nomen sortirentur ab ipsis rebus, vt Boarium vbi boues, Piscarium vbi pisces, Holitorium vbi holera, Suarium vbi sues. Quidam in radice eiusdem montis, in regione viæ Latæ, campum Agrippæ, & Septa fuisse authore Lampridio, asserunt. Sed certum locum non ostendunt Lampridii verba, quæ sunt hæc. Instituerat & Alexander Seuerus basilicam Alexandrinam inter campum Martium & sepia Agrippina.

CAP. CX.

De Campo Martio siue Tyberino.

QVANQVAM in eo capite, quod est de vario Vrbis ambitu, satis declaratum arbitror, quid de campi Martii terminis, finibusq; sentirem: tamen cum ad eum peruenerimus, libet quædam inter sese contraria quæ videntur, addere, quo euidentiorib. coniecturis, & argumentis pateat. Ful. haud recte hunc montium radicibus, fluminisque ripa terminauisse. licet Liuius, quem habet authorem, agrum Tarquiniorum Marti consecratum inter Vrbem & Tyberim iacere dicat. quia aliud est inter Vrbem & Tyberim, ab eo, quod ipse vult, inter montes & Tyberim. ex quo Liuii verba non repugnant iis, quæ diximus, videlicet mœnia à porta Collina deducta per mediam Vrbem planam ad ripam Tyberis fuisse, eregione murorum structorum ab Anco rege in Transtyberina regione. At melior est ratio. Si Vrbis mœnia montes non excedebant, cur idem Liuius in pratis Flaminiis ea omnia acta dixit, & non in campo Martio, cum Flaminii prata inter montes & Tyberim quin iaceant, negare possit nemo, nempe, quia non erant campi Martii pars. Non fit quippe verisimile eum agrum, qui fuerat Marti sacer, in ius priuatum transiuisse. Præterea cũ Diony. omnia circum Vrbem habitata commemoret, domusque priuatas in hac planitie fuisse legerimus, vt Coruinorũ, Pompei, Martialis, in campo Martio has statuemus; iusq; priuatis hominibus struendi domos in loco sacro dabitur, aut forum in quo sues venundentur instituetur. Quare huius planiciei partem ædificiis, tanquam Fo. Rom. proximiorem, secũdum Diony. occupatam, Martii campi non esse partem, tenemus. Nunquid Vrbis? & intra mœnia receptam? Licet locorum natura, quibusdam ue coniecturis quandoque muris septam coniicere videar; Liuius tamen sexto belli pu. facit, vt quo tempore fuerit sepia, non ausim affirmare. Scribit enim ab æde Apollinis boues fœminas duas, albas, porta Carmentali in Vrbem ductas. cui portæ cum sub Capitolio fuerit locus, omnia ab ipso ad Tyberim extra Vrbem extitisse videntur. Illud autem non prætereundum. Ful. non satis de campo Martio sibi constare. Nam in eo capite, quod est de Quirinali, ex Suet. refert Domitianum natum ad malum Punicum in domo, quam postea in Templum gentis Flauiæ conuertit, iuxta hortos Sallustianos, quorum, inquit, vestigia adhuc exstant in profunda valle inter portam Salariam, montem Quirinalem, & collem Hortulorũ; & sic ipsos hortos in Vrbe ponit. vbi vero de obeliscis agit: Alter, ait, obeliscus Lunæ dicatus adhuc cernitur in colle Hortulorum, in hortis Sallustianis, qui locus Gyrlus ab incolis nunc dicitur. & cũ collis Hortulorum fuerit extra Vrbem, necesse est eosdem hortos extra fuisse. & ita non solum de loco, verum & de vulgari nomine titubat. Hic enim Gyrlum: illic Sallustricum ait. Quinimo campum ipsum Martium totum, nedum partem, mœnibus modo excludit, modo, portam Aureliam prope Hadriani molẽ transferendo, intra Vrbẽ recipit.

Sed

Sed ad Campi descriptionem aggrediamur, qui Martius ideo cognominatus dicitur, quia Marti à maioribus fuerat consecratus. Nam cum cæteri campi regis Tarquinij, qui ob iustitiæ contemptum dictus est superbus, post eius exilium dati iis essent, qui agros non haberent, vnus hic ager Marti fuit consecratus, campusque Martius dictus auth. Liuius & Dionys. meminit & Strabo in hæc verba: Veteres illi Romani necessariis rebus magis intenti, Vrbis pulchritudinem contempsere. Posteri vero, & ij præsertim qui nostris fuere temporibus, innumerabilibus, & præclarissimis impleuerunt insignibus. Pompeius enim & D. Cæsar, & Octauius, & eius filii & familiares, & vxor, & soror cunctorum studium simul, & impensas ad præparanda decora superauerunt. Maximam autem horum partem Martius campus habet, præter natiuam locorum amœnitatem, artis, & solertiæ exercitationes admittens. Campi enim admirabilis magnitudo, simul & curules pariter cursus, & alia equestria certamina expedita suppeditat. nec minus tam multis, pilam, circulum, palæstram exercitatione tractantibus aliaque incumbentia simul opera. Quid perennes solo herbas, coronatosque ad fluminis alueum colles? Scœnicarum ostentatio picturarum, eiusque generis spectacula, præstant, vt difficulter, & inuitus abscedas. Priusquam enim Marti consecraretur, Tyberinus, auth. Gellio, dicebatur Campus, sicut Tyberis Martius, vt testis est Statius secundo Syl. Belisarium autem huius campi partem (erat enim ad pontem Miluium vsque productus) muris per radices collis hortulorum, & inde ad Tyberim ductis, intra Vrbem recepisse, scribit Procopius. Sciendum quod in campo Martio, veluti in Capitolio, statuæ virorum illustrium erigebantur. Vnde Caligula quasdam ab Augusto ex capitolina area, propter angustias illo translatas, ita subuertit, atque disiecit, vt restitui saluis titulis non valuerint. Sed alia eius ornamenta iam percurramus.

CAP. CXI.

De Porticu, Templo, Columna, & palatio Antonini Pij, ac de Septis, siue Ouilibus.

EXSTAT hodie inter Sciarræ, Pantheonisque Plateas, iuxta ædem S. Stephani de Trullio, Porticus, cuius principium & finis licet non appareat, columnæ tamē marmoreæ, ingentes, numero vndecim, quæ supersunt, ita dispositæ cernuntur, vt stadiatam porticum Antonini Pii Impe. fuisse multi arbitrētur. quo in loco Templum etiam habuisse dicitur, argumento quod literæ cubitales, in marmore ibi inuento incisæ, huius templi memoriam continerent. Sunt tamen qui Martis templum ibidem fuisse contendunt. Hinc enim ipsius Antonini cochlidis Columnam parum distare videmus quam instar Traiani ipse sibi erexit. altitudinis pedum CLXXVI. cum interiore cochlea, & gradibus CVI. ac fenestellis LVI. incendio parum deformatam, circumquaq; res à se gestæ incisæ nunc spectantur. in vertice vero eius olim simulacrum nudum, quale in ipsius numismatibus cernere licet. Columnam aut Sex. Ruffus in ara Flaminii esse scribit. inter quam, & porticum Imper. ipse Palatiū habuit. ex cuius ruinis locus paulo eminentior factus videtur. Inter ipsam autem columnam, & aquam Virginem Septa fuere. Erant enim sepia loca tabulis inclusa, & vallata, in quibus Po. Ro. suffragia laturus claudebatur. Martialis. In septis Mamurra diu multumque rogatus. Ouilia etiā sumpta similitudine ab ouiū septis, sunt appellata. licet Blon. velit Ouilia fuisse minoris ambitus loca, in quibus centuriæ à tota tribu separatæ de agendis, priusquam citarentur, consultabant. de iis Lucanus. Et miseræ maculauit Ouilia Romæ. Hæc iuxta viam Fornicatam, Flaminiamq; à Liuio ponuntur. Notandum & hoc in loco Fuluii contrarietatem. Lucanus, inquit, non de Septis, vt creditur, sed de villa Publica intellexit, vbi IX. debitorum millia cæsa dicuntur authore Sylla. Demus autem in villa Publica istos cæsos fuisse, nunquid ipsam villam Ouilia appellauit Lucanus: certe non: sed ideo Ouilia maculasse ait Syllam, quia ex ea nonnulli fugientes in Ouilibus sunt interfecti, nisi dicemus ratione vicinitatis locum pro loco posuisse. cui opinioni verba

ipſius Fuluii aperte repugnant, quæ ſunt: Satis conſtat ſepta fuiſſe in eo ambitu, vbi nunc columna cochlidis Antonini pii. Supra vero villam Publicam ſub Capitolio ponit, quæ, ex verbis Ciceronis, per ipſum etiam adducta, prope ſepta fuiſſe, mox apparebit.

CAP. CXII.

De Monte Citatorum, Villa Publica, Templo Neptuni, & Ponte in Campo Martio.

SVRGIT inter columnam Antoninam, & S. Laurentii in Lucina ædem tumulus, nunc Citorus mons, pro, Citatorum, vocatus. non quod ibi eſſet mons, verum quod eo Po. Rom. ad creandos magiſtratus citatus olim conueniret. Sunt qui Acceptorium ab acceptandis ſuffragiis, ſiue Septorum à proximis ſeptis, nomen obtinuiſſe volunt. Non placet autem, quod putat Fuluius, locum editum factum ex egeſtione terræ ex fundamentis columnæ Antonini, quia non fit quippe veriſimile tumulo terræ, & ruderibus eum locũ occupatum eſſe, qui celeberrimus erat ædificiis & comitiis, aliisq; publicis negociis deſtinatus. Et cum planities illa æqualis late pateat, niſi ab ea parte, vbi mons ipſe Citorus attollitur, abſurdum eſt etiam dicere, quod Fuluius, poſitum pro aggere ad reprimendum Tyberis inundationes. quia circularem propemodum habens formam, nullam præ ſe fert aggeris ſpeciem. Quare credimus potius ex ruinis alicuius ædificii, veluti porticus, Amphitheatri, aut villæ publicæ locum excreuiſſe. Erat enim Villa Publica domus ampla, veluti Curia, in qua hoſtium legati, quibus neque in Vrbem aditus patebat, neque in Grægoſtaſi hoſpitium concedebatur, recipiebantur; & de publico alebantur. Liuius. Macedones deducti extra Vrbem in villam Publicam, ibique iis locus, & lautia præbita. Quod autem hoſtium legati intra vrbem non ſuſciperentur, Rhodiorum legati apud eundem Liuium quinto dec. quintæ conquerentes, ita probant. Antea Carthaginenſibus victis, Philippo, Antiocho ſuperatis, cum Romam veniſſemus, ex publico hoſpitio in curiam gratulatum vobis P. C. ex Curia in Capitolium ad deos veſtros dona ferentes, nunc ex ſordidiſſimo diuerſorio vix mercede recepti ac prope hoſtium more extra Vrbem manere iuſſi, in hoc ſqualore venimus in Curiam Romanam Rhodii. Notandum eſt etiam, eodem authore, Romanos conſueuiſſe ſumptum, & locum præbere de publico, non ſolum legatis verum etiam amicis Pop. Roma. eius ſunt hæc verba ex quarto eiusdem dec. Oneſimo Pythonis filio nobili Macedoni ad Romanos cum transfugiſſet Senatus locum, Lautiam præbere iuſſit. Sed ad Villam Publicam reuertamur, in qua etiam cenſum haberi ſolitum ferunt. Sylla, inquit Val. Max. in Publica villa, quæ in campo Martio erat, quatuor legiones contrariæ partis fidem ſuam ſecutas, obtruncari iuſſit. Meminit etiam L. Florus, & Cic. ad Atticum his verbis. Efficiemus rem glorioſam. nam in campo Martio Septa tribuniciis comitiis marmorea ſumus, & tecta facturi, eaque cingemus excelſa porticu, vt mille paſſuum conficiatur, ſimul adiungetur huic operi Villa Publica. Quo in loco innuit villam publicam prope Septa excitari ſolitam eſſe. neque intelligit Cicero ſe ſepta alibi, quam vbi prius erant, ſed lignea, quæ erant ex marmore, facturum. Quod tamen nec Cicero ipſe, neque alius poſtea fecit, bello ciuili, poſt eam epiſtolam ſuborto, prohibente. Iuxta autem Septa Neptuni Templum cum Porticu pulcherrima fuiſſe, ſcribit Dionyſ. quem locum M. Agrippa multis decorauit ornamentis. Erat autem apud Citatorum montem, Antoninique columnam Pons, per quem citati, poſtquam tulerant ſuffragia, ne laturis ſe immiſcerent, & cui fauiſſent dicere poſſent, tranſeuntes ſeparabantur. de quo Sueto. intelligit, vbi de conſiliis coniuratorum his differit verbis. Qui primi cunctati vtrum illum in campo per comitia, & tribus ad ſuffragia vocantem partibus diuiſis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent, an in Sacra via, vel in aditu theatri adorirentur. Nonius Mar. refert ſexagenarios per pontem non mittendos, quia ſuffragium non ferant, quod pro ponte fiebat.

CAP.

CAP. CXIII.

De Aqua Virgine, Lacu, & Æde Iuturnæ, ac Pietatis.

AQVA autem Virgo, quæ nunc potu ſuauis antiquum retinet nomen, prope pontem Solarium concipitur, & profundiſſimo fluens cuniculo, per Collatinamque ingrediens portam, ſub colle Hortulorum attollitur. opere deinde arcuato per Marcium campum deducta multis fiſtulis priuatis ædibus, & accolis commodiſſime aquam ſubminiſtrat. Sub hortis vero Lucullanis in eodem campo, ſicut Appia & Alſietina olim finiebatur. In eius aquæductu marmor incluſum, hunc indicem inciſum continet.

TIBERIVS CLAVDIVS DRVSI FILIVS CÆSAR AVG. DVCTVS AQVÆ VIRGINIS DESTINATOS PER CÆSAREM A FVNDAMENTIS NOVOS REFECIT AC RESTITVIT.

In hortulo vero Angeli Colotii antiquitatis viri ſtudioſiſſimi, tiburtino lapide ſculpta huiuſmodi leguntur.

TI. CLAVDIVS DRVSI. F. CÆSAR AVGVSTVS GERMANICVS PONTIFEX MAX. TRIB. POT. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IV. ARCVS AQVÆ DVCTVS VIRGINIS DISTVRBATOS PER C. CÆSAREM A FVNDAMENTIS NOVOS FECIT AC RESTITVIT.

Sueton. tamen aquæ Virginis in Vrbem perductæ M. Agrippæ laudem attribuit, vt infra oſtendemus. Forma autem huius aquæ magnam Martii campi obibat partem. Ouidius:

Te quoque lux eadem Turni ſoror æde recepit,
Hic, vbi virginea campus obitur aqua.

Ex quo apparet Iuturnam Ædem in campo habuiſſe, iuxta eiuſdem nominis lacum. Fuit enim Iuturna Turni ſoror, quæ lacui, in quo ſubmerſa eſt, nomen dedit, qui locus nunc pro Iuturna corrupto nomine dicitur Lotreglio. Hæc autem aqua apud veteres ſalubris habebatur. Vnde Varr. Nympha, inquit, Iuturna quæ iuuaret: Quare ægroti propter id nomen ex eo fonte aquam petere ſolebant. Pietatis Templum, vt quidam tradidere, fuit in campo Martio, vbi nunc ædes Sancti Saluatoris de Pietate.

CAP. CXIV.

De Arcu Domitiani, Obeliſco Campi Martii, Amphitheatroq; Claudii Imperator.

TRIVMPHALIS arcus mutilatus, ſuiſque ſpoliatus ornamentis & titulis inter S. Sylueſtri & Lauren. in Lucin. ſacras ædes, viam amplexus Flaminiã, Domitiano Imp. adiudicatur, argumento, quod in ipſo cernitur talis, qualis à Suet. deſcribitur, videlicet ſomnians ſe à Minerua deſtitutum, & illam excedere ſacrario, negantemque ſe vltra tueri eum poſſe, quod exarmata eſſet à Ioue. De arcu autẽ ipſo ſic meminit Mart. Stat ſacer, & domitis gẽtibus arcus ouans. Domitianus. n. per omnes regiones fecit Ianos, arcuſq; cum inſignibus triumphalib. quos in ipſius vnius titulũ. ac nomẽ ſubſtructos, poſtea diſturbatos eſſe affirmat Dion. Qui v. nunc exſtat arcus Tripholi vulgo appellatur, quaſi tripolis, vt quibuſdã placet, ob victoriam trium vrbiũ. vel, vt aliis, à deuicta Tripoli Theſſaliæ ciuitate; de qua Liuius ſecundo 5. dec. ſic meminit: Conſul cum III. milia ferme abeſſet à Tripoli (Sceam vocant) ſuper Peneum amnem poſuit caſtra. Vetus autem huius arcus inſcriptio patrum noſtrorum memoria adhuc legebatur. Auguſtus ex vrbe Hieropoli duos Obeliſcos Romam tranſtulit, quorum maiorem in circo Maximo iacere dictum eſt. Alter vero minor

ped. IX. in campo Martio, prope S. Laurentii in Lucina ædem, in cella vinaria cuiusdam ciuis Rom. visitur confractus; in cuius base huiusmodi legitur titulus.

CÆSAR. DIVI. IVL. F. AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS IMP.
XII. COS. XI. TRIB. POT.
XIV. ÆGYPTO IN POTESTATEM.
POPVLI
ROMANI REDACT.
SOLI DONVM DEDIT.

De quo loquitur Plin. his verbis. Is obeliscus, qui est in campo Martio centum decem pedum est à Mersodide inscriptus, rerumque interpretationem Ægyptiorum philosophiæ continet. cui Augustus addidit mirabilẽ vsum ad deprehendendas solis vmbras, dierumque ac noctium magnitudines, strato lapide ad obelisci magnitudinem, cui par fieret vmbra Romæ, confecto die, sexta hora, paulatim per regulas, quæ sunt ex ære inclusæ, singulis diebus decresceret, ac rursus augesceret. digna cognitu res, & ingenio fœcundo. Manlius mathematicus apici pilam auratam addidit: cuius vertice vmbra colligeretur in semetipsam alia, atque alia incrementa iaculante apice, ratione, vt ferunt, à capite hominis intellecta. hæc dierum obseruatio triginta fere annis non congruit, siue solis ipsius dissono cursu, & cœli aliqua ratione mutato, siue vniuersa tellure aliquid à centro suo dimota, vt deprehendi, & in aliis locis accipio, siue Vrbis tremoribus ibi tantum gnomone intorto, siue inundatione Tyberis sedimento molis facto. Ibidem autem effossum fuit Horologium cum lineis, & gradibus deauratis, in singulis vero quatuor ventorum imagines ex opere musico sculptæ visebantur, cum hac inscriptione. VT BOREAS SPIRAT. Claudium autem Imp. Amphitheatrum iuxta septa ædificauisse statuis, & columnis pulcherrime exornatum, quod à Tiberio imperfectum fuerat relictum, scribit Suet. item, Neronem ludos spectauisse è proscenii fastigio munere, quod in amphitheatro ligneo, in regione Martii campi intra anni spacium fabricato, dedit. Iunonis Lucinæ ædes vbi nunc Sancti Laurentii in Lucina.

CAP. CXV.

De Valle Martia, Palatio & Porticu Augusti, & de Domitiani Naumachia, ac Flauiæ gentis Templo.

VALLIS autem Martia à campo, cui cohæret: vel in quo est, nomen sortita, iacet inter Tyberim & collem Hortulorum. In hac autem ad radices eiusdem collis, loco maxime depresso, apparent Naumachiæ Domitiani vestigia. Nam Suet. ait ipsum edidisse nauales pugnas pene iustarum classium effosso, & circumstructo iuxta Tyberim lacu, atque inter magnos imbres spectauisse; struxisseque Stadium Methodeum, & Naumachiam, ac ex eius lapide postea circum Maximum, deustis vtrinq; lateribus, exstructum. Hanc quidem Domitiani Naumachiam, vbi prius Augusti fuisse opinamur, Augustique stagnum longa dissuetudine limo repletum, ab ipso expurgatum, denominationemque accepisse. Sed cum circa Tyberim dicat Suet. non sub colle hortulorũ, de loco dubium facere videtur. Solutio est. Quod parum distat, iuxta dici potest. Nam & Strabo colles, qui plus distare cernuntur, coronatos ad fluminis alueum dixit. Legimus autem Augusti, & Domitiani monimenta quædam circa hunc locum fuisse, vt par sit credere (sicut & natura loci ostendit) ibi vtriusque Naumachiam stetisse. Iuxta quam idem Suet. gentis Flauiæ Templum collocauit. cuius quadratos lateres amplissimos ex ruinis, quæ ecclesiam S. Syluestri, eiusque monialium monasterium sepiunt, extractos se vidisse ait Blon. quorum nonnulli

literas

literas haberent in hæc verba. DOMITIANA MAIOR PARS. DOMITIANA MINOR.

Ex quo ſe coniicere dicit, quidquid, ſiue Thermæ, ſiue Methodeum, ſiue Naumachia fuerit, Domitiani opera omnia quæ ad S. Syluestrum vndique nunc cernuntur, vſque ad S. Laurentii in Lucina ædem. Illud autem incertum. Naumachia & lacus vnum & idem, vno in loco: an nomine & loco diuerſa. Iulius Capitolinus refert Auguſtum inſtituiſſe Porticum in campo ſub colle pedum mille, ita vt ab altera parte porticus mille pedum fieret, atque inter eas ſpatium hinc inde viridaria eſſent, lauro, myrto, & buxo frequentata. medium vero lithoſtratum breuibus columnis intrinſecus poſitis, & ſingulis per pedũ mille, quod eſſet deambulatorium, ita vt à capite eſſet Baſilica pedũ quingentorum. cuius veſtigia in radicibus collis Hortulorum ſecus Naumachiam adhuc apparere dicuntur. Sunt qui putant eiuſdem principis Palatium fuiſſe inter ædem S. Felicis in pincis & Auguſtam.

CAP. CXVI.

De Auguſti Mauſoleo, & ad eum de duobus Obeliſcis; ac de Marcelli ſepulcro.

AVGVSTVS in valle Martia, interque viam Flaminiam, & ripam Tyberis, ſexto ſuo conſulatu Mauſoleum, non ſuum modo, ſed omnium Imperatorum & cognatorum ſepulcrum, exſtruxit. Hinc Sueton. in ipſius Auguſti funere: Reliquias, inquit, Mauſoleo cõdiderunt. de eodem Caſſio. ita ſcribit: Sed mundi dominus ad potentiam ſuam opus extollens mirandum Romanis, etiam erigens fabricam in vallem Martiam tetendit Auguſtus, immenſa moles firmiter præcincta montibus continetur, vbi magnarum rerũ inditia clauderentur. Biſſena quippe oſtia ad XII. ſigna poſuerunt. Commemoratione, inquit Strabo, digniſſimũ eſt, quod Mauſoleum appellant, in excelſis fundatum molibus, lapide niueo, & perpetuæ viriditatis arborib. coopertum. In ſummum vſque ad verticem cubitorum CCL. ad fluminis ripam aggeratum. In ſummo autem poſitum eſt Cæſ. Auguſti ſimulacrum ex ære fabricatum. Sub aggere ipſo ſunt eius loculi, & cognatorum & neceſſariorum. A tergo vero locus eſt mirifica continens ambulacra. In medio autem campi ſpacio buſti exſtat ambitus, & hic ipſe niueo perfectus lapide, in circuitu ferreos cancellos habens, & plantatas interius præ ſe ferentes populos. Huius autem Mauſolei meminit & Hieronym. primo contra Iouianum. Exſtat adhuc vbi vulgo Auguſta dicitur, iuxta S. Rochi eccleſiam interior circumferentia reticulato opere. olim vero tres circumferentias fuiſſe, veſtigia ſatis oſtendunt, inuicem ita diſtantes, vt in plures partes interſecarentur, pluresq; efficerent loculos, quo quiſq; ſeorſum à cæteris ſepeliretur. Habuit enim hic locus in honorem Auguſti, Pacis, ac Victoriæ, & P. P. inſcriptionem. Quod vero cognati, & non modo Imperatores in eo conderentur, probat Virg. in Marcelli funere, cum ait:

Quantos ille virũm magnam Mauortis ad Vrbem
Campus aget gemitus? vel quæ Tyberine videbis
Funera, cum tumulum præterlabere recentem?

Quanquam nonnulli molem illam inſtar turris, quæ eſt ad portam nunc Populi ornamentis ſpoliatam, Marcelli ſepulcrum eſſe putent. ſed cum vltra Scorpionis iactum diſtet à Tyberi, rectius intelligemus de Mauſoleo Tyberi incumbenti. Nam poeta eo verbo præterlabere, innuit Marcelli ſepulcrum iuxta fluuium. Et in Mauſoleo etiam libertos, vel certe apud, conditos eſſe probat epitaphium cuiuſdam liberti Auguſti in marmore exciſum, ibique inuentum, quod eſt.

D. M.
VVLPIO MARTIALI AVGVSTI LIBERTO A MARMORIBVS.

Mauſolei autem nomen impoſuit Auguſtus, quia ad ſimilitudinem ſepulcri Mauſolei regis

lei regis Cariæ ab Artemisia eius vxore structi fabricauerat. Apud hoc enim duo fuere Obelisci magnitudine pares, singuli pedum XLII. quorum alterum inter ipsum Mausoleum & Tyberim confractum iacere in via videmus. Alter vero inuentus, nec effossus, post S. Rochi ædem sub tellure latet.

ADNOTATIO.

Iacuit ad nostram vsque ætatem, per multa sæcula (vt creditur) vnus ex Obeliscis Mausolei Augusti Cæsaris fractus ante ædes diui Rochi, in ipsa valle Martia, seu via Flaminia, quem inde Anno 1586. Sixtus V. Pont. Max. ornandæ basilicæ D. Mariæ Maioris gratia, vbi etiam sacellum eminens instar templi, maximo sumptu & ornatu erexerat, ac Natali Saluatoris Domini nostri ad Præsepe, insigni pietate dicauerat, asportari iussit, Dominico Fontanio Architecto vehente & erigente; qui hodie ante ipsas ædes è conspectu viæ Felicis, quam idem summus Pontifex de suo nomine eodem anno aperuit, & strauit, sublatus cernitur.

CAP. CXVII.

De Via Flaminia, Trophæis Marii, & quibusdam aliis ornamentis campi Martii in genere.

VIAM Flaminiam, quæ olim iuxta Antonini Pii columnam inchoabat, Cn. Flaminius M. Lepidi collega in consulatu victor Ligurum strauit. Hæc autem per Narniam, Fulignum, Nuceriam, Callium, Fanum fortunæ, Pisaurum, Ariminum ducebat, Liuius vero scribit: M. Æmilium Cos. Liguribus subactis, viam à Placentia productam Flaminiæ coniunxisse, & Q. Flaminium viam, quam flaminiam appellauit, strauisse, innuitque habuisse fines ab Isauro, nunc Folia, ad Vaternum Fori Cornelii amnem. Æmiliam vero inde ad Trebiam Placentiæ vrbis fluuium. Sed flaminia erat consularis; de qua Suet. in Augusto ita meminit: Quo facilius vndique Vrbs adiretur, desumpta sibi Flaminia via Arimino tenus munienda, reliquas triumphalibus viris ex nauali pecunia sternendas curauit. Et Cicer. ad Atticum; propterea, inquit, quod Thermus curator est viæ Flaminiæ, quæ cum erit absoluta; & reliqua. In hac autem Augusti Mausoleum inter, & collem Hortulorum Trophæa Marii de Iugurtha fuere, argumento quod ibi marmorea tabula inuenta est, cum indice C. Marii de triumpho Iugurthino huiusmodi.

PR. TR. PL. Q. AVGVR. TR. MIL. EX SORTEM BELLVM CVM IVGVRTHA NVMID. VEL PROCOS. GESSIT. EVM COEPIT ET TRIVMPHANS IN IOVIS AVTEM SECVNDO CONSVLATV ANTE CVRRVM SVVM DVCI IVSSIT. III. CONSVL. APSENS CREATVS EST. IV. TEVTONORVM EXERCITVM DELEVIT. V. CONSVL CIMBROS FVGAVIT EX EIS ET TEVTONIS ITERVM TRIVMPHAVIT. REMP. TVRBATAM SEDITIONIBVS ET TR. PL. ET PRÆTOR QVI ARMATI CAPITOLIVM OCCVPAVERANT. VI. COSS. VINDICAVIT POST LXX. ANNVM PATRIA PER ARMA CIVILIA PVLSVS ARMIS RESTITVTVS. VII. COS. FACTVS EST DE MANVBIIS CIMBRICIS ET TEVTONICIS ÆDEM HONORI ET VIRTVTI VICTOR VESTE TRIVMPHALI CALCEIS PVNICEIS.

Trophæi autem significatio à V.. Humarco ita traditur. Fuga hostium græce vocatur τροφὴ, hinc spolia capta fixa stipitibus appellantur trophæa. Syllæ sepulcrum Martio in campo statuit Appianus, Liuius Hircii & Pansæ, Florus vero Iuliæ. Nam Augustus Iulias filiam, neptemque, si quid eis accidisset, vetuit sepulchro suo inferri. auth. Suet. In eodem campo Cor. Tac. Britanici sepulcrum posuit, in quo prius expugnationem fecerat. Suet. Drusi, diui Claudii patris. In domo autem & hortulo Angeli Colotii hæc visuntur, Socratis Statua Alcibiadem amplexantis. Iouis Hammonis, Protheique & Æsculapii simula-

simulacra. Menses cum signis, & diis tutelaribus. Scyphius, & Arion equi, quos in Thessalia, percussa terra tridente, Neptunus eduxit, Mensuraq; pedis Romani, qua nos Vrbem sumus dimensi. Verum in priuatis ædibus, quæ nunc sunt ex priscis ornamentis si numerare vellemus, longum simul, & laboriosum vtiq; foret, fructus vero pertenuis: cum ibi non sint inuenta, sed hinc, inde translata. Quare hæc plus satis curiosis relinquimus. Martio autem alterum minorem campum proximum fuisse quidam volunt, propter, qui sequuntur, Catulli versus.

Si me quæsieris minore Campo.

Tum innumerabiles circumcirca porticus, horti numerosi, theatra tria, simul & amphitheatrum, templa magnificentissima inter se contigua, vt quasi aliud agentia, reliquam vrbis venustatem ostentare videantur. Viam rectam appellatam, in campo Martio fuisse scribit Sen.

CAP. CXVIII.

De Tyberino Flumine.

TEMPVS erat in Ianiculum, siue, vt nunc aiunt, in Transtyberinam regionem transeuntes antiquæ Vrbis monumentis extremam manum imponere: occurrente autem Tyberino flumine, quem regionem ab Vrbe disterminare supra declaratum est, non videtur alienum de eius etymologia, variis nominibus, latitudine, altitudine, natura & lapsu, pauca quędam prius exponere. Tyberis igitur vnde dictus varia est opinio. Aliqui dicunt quodam tempore Syracusanos victores cœpisse Athenienssium hostium ingentem multitudinem, & eam cœsis montibus feciſſe, vt adderent munimenta ciuitati, & tunc auctis muris, & fossam intrinsecus factam esse, quæ flumine admisso repleta munitiorem reddidit, Vrbem hancque fossam per hostium pœnam, & contumeliam factam Thybrim vocasse ἀπὸ τῆς ὕβρεως. i. à contumelia, & postea profectos Siculos ad Italiam, eam tenuisse partem, vbi nunc Roma est, Albulamq; flumen ad imaginem fossæ Syracusanæ Thybrim, quasi ὑβρίζειν vocauisse. Alij vero Thybrim regem Thuscorum fuisse, & iuxta hunc fluuium pugnantem cecidisse, fecisseque ei nomen. Alii volunt istum ipsum regem latrocinatum esse circa huius fluminis ripas, & transeuntib. crebras iniurias intulisse, Thybrimque quasi ὑβρίζειν dictum. Quidam à Tyberi vicino regulo Veientum Tebrim appellatum putant, auth. Varr. Quod autem à Tiberino Albanorum rege sit Tiberinus nuncupatus, vt scribit Ful. non procedit, ideo quia etiam ante Albam Tybris dictus inuenitur. In sacris quidem Tyberinus: in communi sermone Tyberis; in poemate Tybris vocatur. Sed quod prius Albula diceretur, ostendit Virg. cum inquit: Amisit verum vetus Albula nomen, quod à colore aquarum prius obtinuerat. Antea vero Rumon vocabatur, quasi ripas ruminans & exedens, & in sacris Serra. vnde est. Et pinguia culta secantem. In aliqua etiam Vrbis parte, Terentum, eo quod ripas tereret. Idem poeta cæruleum, Horatius vero flauum appellat. Oritur autem ex Apennino paulo supra Arnum, tenuis primum, deinde XLII. amnibus auctus, excrescit, præcipue Nare & Aniene. Thusciam primum ab Vmbris, deinde à Sabinis, nouissime à Latinis dirimens, Vrbemque à septentrione ingrediens, à meridie inter Hostiensem & Portuensem viam à dextris Ianiculum, à sinistris Vrbem relinquens, egreditur, in mareque Tyrrhenum prope Hostiam vno legitimo ostio se exonerat; qualibet magnarum nauium mercator placidissimus. hinc Dion. Ex Ianiculo conspicua est Roma, latitudo Tyberis quatuor est iugerum, altitudo tanta, vt possit magnas perferre naues, neque pedibus transiri queat, nisi per pontem, qui Coss. L. Ebutio. & P. Seruilio vnicus erat. Sinum autem, vt dictum est, Tyberis effundebat vsque ad radices Capitolii, Tarquinius enim primus omnium Alueum direxit. Postea Agrippa ædilis, & cursum direxit, & alueum mutauit, magnisque saxorum molibus in vtraque ripa locatis solidauit. Augustus vero ad coercendas inundationes eundem laxauit ac repurgauit. Longo tempore post Aurelianus Imperator firmissimo muro vtrinque vsque ad mare extructo, coer-

cuit; cuius operis vestigia multis in locis adhuc cernuntur. Ancum autem Martium naualia exstruxisse commemorat Dionys. his verbis : Cumque esset amnis vsque ad pontes fluuialibus scaphis latis, magnis nauigari idoneus : ad Romam autem maritimis quoque nauibus, onerariis, magnis, nauale aliquod excogitauit ad egressum eius exstruere, vtens, vt portu, ostio amnis ipsius. Panditur autem multum in latitudine coniungens se mari, sinusque concipit magnos, quales portuum maritimorum illustrium, nec distruitur ad ostium marino litore, incorruptus sicut pleraque alia flumina, nec paludibus, aut stagnis errans aliquo in loco consumitur priusquam mare contingat riuus : sed est peruius vbique nauibus, vno tantum effluit ostio legitimo, persecans dorsum maris. Naues igitur actuariæ per ostium eius intrant, & Romam vsque remigio, & funibus tractæ adducuntur, maiores vero ante ostium & anchoram fluctuantes fluuialibus cuacuatæ scaphis exonerantur. Plinius. Pluribus prope solus in omnibus terris amnis accolitur, aspicitur que villis, nullique fluuiorum minus licet inclusus vtrinque lateribus, nec tamen ipse pugnat, quanquam creber, & nunquam magnis aquas, quam in ipsa Vrbe, restagnantibus. quinimmo vates intelligitur potius monitor auctu semper religiosus. Plura autem erant hoc in loco dicenda de huius flu. natura, & cur Plin. auctu suo religiosum esse velit. Sed cum Ludovicus Gomecius (quem iuris diuini, & humani scientia, ac vitæ integritas præstantissimum Rotæ auditorem fecere) de his libellum eleganti oratione in lucem ediderit, eadem in nostrum transferre superuacaneum esse duximus. Quare de Tyberino flu. hactenus. Illud tamen vos monitos velim, priscis temporibus non licuisse in huius ripa quidpiam ædificare, tanquam numini sacra, fuisseque aluei & riparum curatores, vt ex indice, apud pontem Ælium reperto habetur huiusmodi.

EX AVCTORITATE IMP. CÆS. VESPASIANI AVG. P. M. TRIB. POT. IIII. IMP. X. P. P. COS. IIII. V. CENSOR. CAIVS CALPETANVS RANTIVS QVIRINALIS. VALERIVS CESTIVS CVRATOR RIPARVM ET ALVEI TYBERIS TERMINAVIT, R. R. PROXI. CL. P. P. CLXXIIII.

CAPVT CXIX.

De pontibus supra Tyberim exstructis.

CVM Tyberis, nisi per pontes, in transtyberinam regionem transmittat, operæpretium erit videre, quis omnium primus supra Tyberim pontem struxerit, quot nunc exstent, quibus appellentur nominibus, à quibusue excitati singuli dicantur. Epicardus enim memoriæ prodidit Herculem, occiso Gerione cum victor per Italiam armenta duxisset, pontem supra Tyberim ad tempus struxisse. Vnde si quis situm locorum & ea, quæ de Caco, ipsoque Hercule narrantur, consideret, facillime iudicabit non alibi Herculem ipsum posuisse, quam ad radices Auentini, vbi postea Sublicius fuit. Ful. autem scribit ante Vrbem conditam fuisse pontem Sacrum, ex authoritate Dionys. cuius sunt hæc verba: Nã cum per cædes hominum Saturno sacrificaretur, ad placandam dei iram, hoc more sublato ab Hercule, factum est pro hominibus, qui in Tyberim deiiciebantur, simulacra eorum scirpea deiicerent, quos argeos vocabant. creditur ibi ante fuisse, vbi postea Sublicius, vel idem pons, argumento est, quod etiam inde simulacra scirpea eodem more in Tyberim deiecta scribit M. Var. cum inquit: Argei fiunt ex scirpeis virgultis simulacra hominum, & quotannos é ponte Sublicio à sacerdotibus iaci solent. Ouid. in Fast.

Tum quoq; priscorum virgo simulacra virorum,
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Sed in his verbis nulla fit mentio de ponte Sacro. Sublicium vero post Vrbem conditam positum esse satis constat. Lactantius vero de ponte Miluio præcipitari solere ait, in hæc verba: Saturnus in Latio ita cultus est, vt homo in Tyberim de ponte Miluio mitteretur, quod ex responso quodam factitatum Varro est author. Sunt autem pontes numero octo;

octo; Miluius, Ælius, Vaticanus, Ianiculenſis, Ceſtius, Fabricius, Palatinus, Sublicius quos præter Sublicium, Totilas olim demolitus eſt.

CAP. CXX.

De ponte Miluio.

MILVIVS Pons, quem nunc vulgo Mollium vocitant, in via Flaminia ſitus, vltra primum lapidem diſtat ab Vrbe. Ferunt autem hunc ſæpius euerſum, ſæpiusque inſtauratum, nihil ex veteri ſtructura, præter fundamenta retinere. de quo meminit Plinius de viris illuſtribus, & Ammianus Marcellinus, atque à M. Scauro (qui fuit tempore Syllæ) in centura exſtructum: ad quem pontem Neronem venitaſſe, ſupra demonſtratum eſt. In eodem legati Allobrogum nocturno tempore cum literis ad Catilinam deprehenſi ſunt, quibus coniurationem patefactam eſſe ſcribit Cicero. Apud eundem pontem Conſtantinus Magnus Imper. Maxentium tyrannum Maximiani filium magicis artibus deditum, militari ſtratagemate materia, ac nauibus ſupra Tyberim diſpoſitis certaſſet præliis, conſpecto demum in æthere crucis vexillo, clamantisque voce audita, ἐν τούτῳ νίκα, id eſt, in hoc victoria: tandem victor fuit, quæ victoria exſtat in eius triumphali arcu ſculpta, & in aureis numiſmatibus ſæpe vidimus ipſi.

CAP. CXXI.

De ponte Ælio, nunc S. Angeli, Vaticano, ſiue Triumphali, ac Ianiculenſi ſiue Aurelio.

SEQVITVR, poſt Miluium, Pons nunc S. Angeli, olim Ælius, ab Ælio Hadriano, qui eum iuxta ſui ſepulcri molem excitauit, denominatus. Spartianus; Fecit, inquit, & ſui nominis pontem, & ſepulchrum iuxta Tyberim. Quem pontem nulla alia de cauſa poſuiſſe credendum eſt, quam vt per ipſum tranſeuntes propius molem ipſum ſpectarent; eo maxime, quod inferius erat pons, quod in Vaticanum montem & campum mitteret, Vaticanus, alio vero nomine Triumphalis nuncupatus: quia per ipſum triumphantes tranſeuntes via eiuſdem nominis, in Capitolium Ioui gratulatum aſcenderent. & cum nobilium tantum eſſet, nulli ruricolæ per ipſum tranſire licebat. Huius pontis pilę eregione hoſpitalis S. Spiritus in Tyberi adhuc exſtant. Tertius eſt in ordine, à proximo Ianiculo, Ianiculenſis, qui & Aurelii, à via, vel portu Aurelia, nomen obtinuit. Legebatur olim in eo titulus huiuſmodi.

IMP. CÆS. DIVI TRAIANI PARTHIGI DIVI NERVÆ NEPOTIS TRAIANI ET HADRIANI AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. IMP. IIII. COS. III. DERESIVS RVSTICVS CVRATOR VALETRIARVM TYBERIS ET CLOACARVM VRBIS. R. R. RESTITVIT SECVNDVM PRÆSIDENT. TERMINATIONEM PROXIMAM. CC. P. P. C. II.

Traduntautem Antoninum Pium marmoreum feciſſe, & ciuilibus bellis demolitum, pontem ruptum vocitatum. Longitudo eſt pedum CCXV. Xyſtus vero quartus Pon. Max. multis poſt ſeculis in eam, quam cernimus, magnificentiam & pulchritudinem inſtaurauit, quemadmodum titulus, ibidem in marmore exciſus oſtendit. vnde ab eodem nomen accepit.

CAP. CXXII.

De Ponte Fabricio & Ceſtio.

POST Aurelium pontem ad ſtadium, eregione theatri Marcelli, ſurgit in mediis Tyberinis fluctibus inſula, quam vrbi coniungit Pons prius Tarpeius à Tarpeia rupe propinqua: deinde Fabricius à L. Fabricio, qui eum faciendum curauit, denominatus. vt teſtatur index in arcu pontis inſculptus huiuſmodi.

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR. FACIVNDVM COERAVIT. IDEMQVE PROBAVIT. Q. LEPIDVS. M. F. M. LOLLIVS. M. F. COS. S. C. PROBAVERVNT.

Nunc dicitur pons quatuor Capitum, à quatuor marmoreis ſimulacris quadrifrontibus in aditu pontis collocatis. Qui vero eandem inſulam tranſtyberinæ regioni connectit, Exquilinus, ſiue Ceſtius olim, nunc vero Pons S. Bartholomæi, à propinquo huius diui templo, nuncupatur, quem Valentinianum & Valentem inſtauraſſe à dextris & ſiniſtris, in tabulis marmoreis ibi collocatis hæ inſcriptiones teſtantur.

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CÆSARES FL. VALENTINIANVS. PIVS FELIX. MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAXIMVS GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRAN. MAX. GOTH. MAX. TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. PPP. II. &

FL. VALENS PIVS FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. MAX. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX TRIB. POT. VII. IMP. VI. COS. II. P. P. P.

&

FL. GRATIANVS PIVS FELIX MAX. VICTOR AC TRIVMF. SEMPER AVG. PONTIF. MAX. GERMANIC. MAX. ALAMANN. FRANC. MAX. GOTHIC. MAX. TRIB. POT. III. IMP. II. COS. PRIMVM. P. P. P.

PONTEM FELICIS NOMINIS GRATIANI IN VSVM SENATVS AC POPVLI ROM. CONSTITVI DEDICARIQ. IVSSERVNT.

Longitudinem autem paſſuum noſtratium LX. habere dicitur, ſuperior vero LXX.

CAP. CXXIII.

De Inſula Tyberina.

PRIVS QVAM autem ad reliquos pontes deueniamus, videndum eſt, vnde origo Inſulæ tyberinæ, quam formam habeat, quanta ſit, quidue in ea fuerit. Principium vero huius nihil magis cognoſcitur, quam ex verbis Dio. Poſtquam, n. Tarquinii in Lucretiam ſtuprum commemorat, ob idque Tarquinios omnes ad vnum vrbe eiectos oſtendit, ſubdit: Decretum conſilium, deinde bona omnia tyrannorum ferentes in publicum ciuibus omnibus expoſuerunt, vt quicunq; ex eis caperent, quisquis obtineret, agrumq; omnem, quantum illi poſſederant, iis, qui nullam haberent ſortem, diuiſerunt; vnum tantum capientes campum, inter Vrbem & Tyberim iacentem, quem ſacrum eſſe Marti antea decreuerunt, equis gratum, atque iuuenibus ad bellicas exercitationes ludum opportuniſſimum. Hunc campum, priuſquam Marti ſacrum, aſcribens ſibi Tarquinius fuerat. Nam cum cætera tyrannorum bona populo auferenda conceſſiſſent, ſed quod in campo illo natum erat frumentum, aliud in areis adhuc iacens, aliud in culmis, & quoddam tritum erat auferre nemini permiſerunt, ſed vt execrabile, nec idoneum quod in ædes portaretur, iaciendum furcis in flumen eſſe decreuerunt, vnde inſula creuit Tyberina. Liuius etiam eadem fere, quæ Dion. de origine inſulæ dicit. Formam autem biremis habet, vt malus ſit inter ipſos pontes, parsque ſuperior in acutum magis tendens prora, inferior

vero

vero tanquam latior puppis. Latitudo, vbi maior, teli iactum non excedit. longitudo vero stadiorum duorum, vel circa. Hanc quidem describit Ouid. his carminibus.

Scinditur in geminas partes circumfluus amnis.
Insula nomen habet, laterum quæ à parte duorum
Porrigit æquales media tellure lacertos:

Priscis autem temporibus Insula lycaonia vocabatur, licet tota Æsculapio esset sacra, propter eius simulacrum ex Epidauro in eam aduectum, vnde formam eius nauis, qua aduectum est, locus accepisse dicitur. Quum enim ciuitas pestilentia vexaretur, inspectis libris sibyllinis sacerdotes animaduerterunt non aliter pristinam recuperari salubritatem posse, quam si ab Epidauro Æsculapius esset accersitus. Itaq; missi legati Epidaurum in templum Æsculapii perducti, benignissime deum inuitarunt. Numen autem ipsius subsecutum est. Siquidem is anguis, quem Epidaurii venerabantur, in triremem Romanorum perrexit, vbi Q. Ogulini legati tabernaculum erat. Legati læti Vrbi aduexere in insulam, vbi ei templum dedicatum. Plin. Atqui inquit, anguis Æsculapius Romam aduectus est, vulgoque pascitur, & in domibus. Visitur adhuc in hortis S. Bartholomei forma nauis ex lapide tasio, & in eius latere reptantis serpentis simulacrum. Ædis vero Æsculapii exstant adhuc vestigia quædam in eisdem hortis, cui iuncta erat aui sui Iouis Ædes. Ouid.

Quod tamen ex ipsis licuit mihi dicere fastis
Sacrauere patres hæc duo templa die.
Accepit phœbo, nymphaq; Coronide natum
Insula, diuidua quam premit amnis aqua.
Iuppiter in parte est, cæpit locus vnus vtrumq;,
Iunctaq; sunt magno templa nepotis auo.

Iouis autem C. Seruilius duumuir dedicauit, votam sex annis ante Gallico bello à L. Furio Purpurione prætore, & ab eodem consule locatam. In insula ideo ægroti exponebantur, quia Æsculapius medicinæ deus habetur: & ob hanc scientiam in deorum numerum acceptus, auth. Cor. Celsus. Ad Æsculapii templum, fuit Nosocomion, id est, locus vbi ægroti curabantur. Vnde Aristophanes in Pluto inducit languentes in æde Æsculapii, vt medelarum fomentis refocillentur, & Plut. in Curt. Lenonem Capadocem, lienosum, iecorosum, pulmonarium in eiusdem dei ædem incubantem. Sunt qui velint Æsculapio ædem in insula, ideo constitutam, quod ægroti in primis aqua indigere arbitrarentur, vel auth. Plut. quod fluxu, motuque aquarum aer esset salubrior, nam alioquin huius sacræ ædes extra Vrbem excitari solebant. Claudius Imper. quum quidam ægra & affecta mancipia in insula tædio medendi exponerent: liberos esse sanxit. Liuius tertio quintæ dec. commemorat Lucretium prætorem tabulis pictis ex præda fanum Æsculapii exornauisse. Habuit hæc insula in prora, & Fauni ædem, quæ ita fluctibus cessit, vt ne vestigia quidem, appareant. Meminit huius Vitruuius, in hæc verba: Prostyli exemplar est in insula Tyberina, in æde Iouis & Fauni. Ouidius.

Idibus agrestis fumant altaria Fauni
Hic, vbi discretas insula rumpit aquas.

Liuius autem ait Cn. Domitium Ænobarbum, & Cn. Scribonium ædiles multos pecuarios ad populi iudicium adduxisse, tresque ex his damnatos esse, & ex eorum multaticia pecunia ædem Fauni in insula fecisse. Probus scribit Faunum primum ædificia numinibus, lucosque sacrasse, & ab eo Fana dicta esse. In hac insula fuit Statua D. Iulii, quæ sereno & immoto die ab occidente in orientem conuersa est: sicuti Cor. Tac. & Sueton. testantur.

CAP. CXXIV.

De Ponte Senatorum, siue Palatino, & Sublicio.

INFRA insulam autem succedit, ad teli iactum, septimus pons, à Senatoribus Senatorum, qui & Palatinus à Palatino monte propinquo est denominatus. Nam aucta Vrbe & mœnibus, & ciuium numero, cum Sublicius non satis videretur facere, hunc, qui via Aurelia in maritima, Thusciamq; mitteret, addidere; de quo intellexisse opinantur Liuium, cum inquit: M. Fuluius maioris vsus locauit portum, & pilas ponti in Tyberi, quibus pilis fornices post aliquot annos P. Scipio, & L. Mumius censores locauerunt imponendos. Est enim pons multiplici fornice compactus ad excipiendos bifidos proximæ imminentis insulæ alueos, hodie Pons S. Mariæ Ægyptiacæ à propinqua eius æde nuncupatur, in eo autem insculpta sunt hæc, videlicet:

NVMINI DEORVM AVG. IOVI OPT. MAX. ÆDEM VOTO SVSCEPTO. Q. LEPIDVS. M. F. M. CVRIVS. M. F. COS. III.

S. P. Q. R.

IMP. CÆSAR DIVI TRAIANI PARTHICI NERVÆ NEPOTI TRAIANO HADRIANO AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. II. COS. II. QVOVIS OMNIVM PRINCIPVM ET SOLVS REMITTENDO SEXTERTIVM NAVES MILLIES CENTENA MILLIA ENIM DEBITVM FISCI PATRES EIVS SVAQ. ET POSTEROS SVOS RESTITVIT HAC LIBERTATE SECVROS IVLIA AVG. MATER AVGG. ET CASTORVM MATRONIS RESTITVIT.

SABINA AVGVSTA
MATRONIS
DIVVS AVG. PON. MAX. EX. S. C. REFECIT.

Vltimus vero & antiquissimus omnium sequitur Sublicius, ab Anco Martio rege non ad tempus, vt prius Hercules, at in vsu Po. Rom. perpetuo mansurus, exstructus, licet totus ligneus. Nam sine ferreo clauo, sine fulturis ita dispositus erat contignatione, vt trabes per bella eximerentur, ac reponerentur. quod quidem sic facere religiosum fuerat, postquam Coclite defendente ægre reuulsus est, auth. Plin. Sublicius autem dictus, quia ilex species est quercus, ex qua confici solebat. vel, vt alii, à sublicibus lignis. lingua enim Volsca magnæ trabes sublices vocantur. Lapideum deinde Æmilium Lepidũ prætorem fecisse memorant, & ab eo Æmilium pontem denominatum. Vnde Ant. in itin. Post iterum, inquit, vnus effectus (de Tyberi enim loquitur) per pontem Lepidi, qui nunc abusiue lapideus dicitur, & reliqua. Hunc tyberinis fluctibus læsum restituit Tiberius. Cor. Tac. refert Othone imperante subita inundatione fuisse perruptum. quem longo tempore post Antoninum Pium restituisse, author est Iulius Capitolinus. Quidam marmoreum posuisse dicunt, & in hunc vsq; diem pontem marmoratum appellari. Huius enim vestigia in medio alueo ipsius fluminis, parum supra Naualia, adhuc cernuntur. Et quanquam de loco varia traduntur, constat tamen ad Auentini montis radices fuisse, quod innuit Appianus, cum inquit: Auentinum ascenderat Gracchus; mox inde fugiens per pontem ligneum ad alteram fluminis partem euectus est. In Sublicio autem ponte considebant pauperes stipem à transeuntibus petentes. Sen. In sublicium pontem me transfer, & inter egenos abige, non ideo tamen me despiciam, quod in illorum numero considero, qui manum ad stipem porrigunt. Ex eodem facinorosi præcipitabantur in Tyberim: ex quo & Heliogabali Imp. cadauer annexo pondere, ne fluitaret, deiectum est. Post vero incensam à Gallis Vrbem ob inopiam cibariorum decretum tulerunt, vt sexagenarii è ponte Sublicio in Tyberim, tanquam patriæ inutiles, deiicerentur, vnde depontanei sexagenarii dicebantur. Veritas tamen hoc habet, quod sexagenarii à suffragio repellebantur, & ita eos ponte deiici solitos ferunt. qui pons, vt retuli, olim erat apud

Septa.

Septa. Illud autem sciendum pontes, tam qui extra, quam qui in Vrbe erant, variis temporibus à diuersis fuisse restitutos hominibus, & inter alios ab Vrso Alo, vt hoc eius epitaphium testatur.

VRSVS ALVS CIVIS SATRAPES EX VMBRIA IN ARMIS FLORVIT ADVLESCENS VERO POSTQVAM FACTVS EST ÆQVATVM CAPITOLIVM RECONDIDIT TABVLARIVM LEGES SERVAVIT. R. P. A FALISCIS LIBERAVIT QVIRITES IN EXILIVM PONTES REFECIT PLEBEM PACAVIT DIVISVM IMPERIVM RECONCILIAVIT.

VIX. AN. XLIII. MEN. X. D. IIII.

ADDITIO.

Pons Senatorius, seu Palatinus nunc Sanctæ Mariæ, qui vi & impetu fluminis Anno M.D.LVII. deiectus fere medius fuerat, S.P.Q.R. An. M.D.LXI. tempore Pii Papæ IV. ex ligneis machinis illum reficere curauit. Sed cum opus iam absolutum esset, dum hinc illuc, ex latere nempe ad latus conantur attrahere, perfracto vno ex validioribus rudentibus, quo maxime tota machina subnitebatur, præceps in Tybrim proruit, quassata mole, & abrupta; in qua ad nummum octonum millium impensum fuisse constat; sicque ad vsque tempora Gregorii XIII. hoc est, An. M.D.LXXIV. inuius perstitit. quo demum tempore, cum sacri Iubilei annus aduentaret, idem Pop. Rom. auctoritate Pontificis, substructione arcuata, ingenti solidaque parastata Flumini iniecta, duobusque eminentibus fornicibus è Tiburtino lapide superimpositis, ad pristinam formam, & decorem restituendum curauit: in quo opere impensi summa ad quatuor & quinquaginta millia nummum aureorum extitit; vt ex Matthæo Typhernate illius fabricæ Architecto accepimus. In cuius lateribus vtrinque legitur in tabulis marmoreis sequens inscriptio.

EX AVCTORITATE GREGORII XIII.

PONT. MAX.

S. P. Q. R.

PONTEM SENATORIVM CVIVS FORNICES VETVSTATE COLLAPSOS ET IAMPRIDEM REFECTOS FLVMINIS IMPETVS DENVO DEIECERAT IN PRISTINAM FIRMITATEM AC PVLCHRITVDINEM RESTITVIT ANNO IVBILEI M. D. LXXV.

Sed pontibus exstructis, in Transtyberinam regionem transeamus.

CAP. CXXV.

De Transtyberina regione, Rauennatium, & Fortis Fortunæ Templo, Thermis Seuerianis, Hortis Cæsaris, ac de Aqua Alsietina, & de Pratis Mutiis.

REGIO TRANSTYBERINA priscis temporib. Ianiculi à monte, qui plurimus ei imminet, nomen accepit. Rauennatium etiam Vrbem nominatam inuenio. Augustus enim contra Antonium & Cleopatram victoria potitus, binam instituit classem, vnam apud Mesenium Lucaniæ portum, qua Italiç insula, oramq; Galliarum maritimã, Hispanias, Africã, Mauritaniasq; tueretur. Alteram apud Rauennam, cuius partes essent Adriatici sinus, Illyrici, Dalmatiæ, Græciæ, Thraciæ, Ponti & Asiæ, atque Ægypti oræ necessitatibus subuenire. Cum itaque Romano Senatui ea in primis esset cura, vt nulla posset Romam frequentare multitudo, cui non esset habitandi locus publice assignatus, attributa est Rauennatis classis militibus regio Transtyberina, quæ exinde vrbs Rauennarium dicta est, sicut

ſicut & Templum, Meritoriaque taberna; vbi nunc S. Mariæ ædes. In hac autem regione pauca admodum memoratu digna extitere, quia addita cum fuiſſet Vrbi non inopia loci ſed ne Ianiculus mons arx hoſtium quandoque eſſet, propter peſtiferos auſtros, quibus infeſtabatur, à viliſſimis tantum hominibus, tordidiſſimaſq; exercentibus artes, cúlta erat. Quare minime mirum videri poteſt, ſi paucis tranſigi verbis videbitur. Spartianus tradit Seuerum Imp. Thermas ſui nominis in regione Transtyberina feciſſe. & Vopiſcus, Aurelianum hyemales, quod aquæ frigidi aeris illic deeſſent. Quarum veſtigia, licet quidam inter montem aureum, & S. Franciſci ædem eſſe dicant, nullibi tamen certa apparent. Cæſar Hortos, & Naumachiam iuxta Tyberim habuiſſe dicitur, vbi Fortis Fortunæ templum, Tiberii tempore dicatum, Alſietina aqua, quæ & Auguſta dicebatur, ex lacu Alſietino via Claudia miliario XIV. ab Auguſto in hortos & naumachiam perducta Transtyberinæ ſeruiebat regioni, de qua ita ſcribit Fron. Quæ ratio mouit Auguſtum prouidentiſſimum Principem, producere Alſietinam aquam, quæ vocatur Auguſta, non ſatis perſpicio nullius gratiæ, imo & parum ſalubrem, & nuſquam in vſus populi fluentem; niſi forte cum opus naumachiæ aggrederetur, ne quis ſalubrioribus aquis detraheret, hanc proprio opere perduxit, & quod naumachiæ cœperat ſupereſſe, hortis ſubiacentibus, & priuatorum vſibus conceſſit. Solet tamen ex Tranſtyberina regione, quoties pontes reficiuntur, & à citeriore ripa aquæ ex neceſſitate in ſubſidium publicarum ſalientium dari. Hanc autem aquam Hadrianum primum Pontificem reſtituiſſe, eiuſque aquæ fontem in platea S. Mariæ tranſtyberinæ exſtare, tenet fama; Albionamque in hac regione agrum ab Albionarum luco, quo in loco bos alba immolabatur, fuiſſe. Prataque Mutia e regione Naualium. Dionyſ. Mutium autem mori eligentem pro patria regionem Tranſtyberim donauere de publico. hic locus prata Mutia vſq; ad hanc ætatem vocatur. Ludi piſcatorii in ripa Tiberis, prope vbi nunc Naualia, olim celebrabantur. auth. Sex. Pomp.

CAP. CXXVI.

De Sepulcro Numæ & Cecilii poetæ, Tribunali Aurelio, Ianiculo, & Hortis Martialis.

NVMA rex ſub Ianiculo ſepultus eſt, inquit Solinus. Dionyſ. Iacet autem Numa in Ianiculo tranſtyberim. Caſſius Hemina quarto annalium libro prodidit. Cn. Terentium ſcribam agrum ſuum in Ianiculo repaſtinantem offendiſſe arcam, in qua Numa ſitus fuiſſet, in eademque libros eius repertos P. Cornelio L. filio Cethego M. Bebio Q. filio Pamphilo Coſ. ad quos à regno Numæ colliguntur anni D.XXXV. & hos fuiſſe ex Cartha. De Numæ libris & ſepulcro Liuius hæc habet verba: In agro L. Petilii Scribæ ſub Ianiculo, dum cultores altius moliuntur terram, duæ lapideæ arcæ octonos ferme pedes longæ, quaternos latæ, inuentæ ſunt; operculis plumbo deuinctis, literis latinis, græciſque vtraque arca inſcripta erat. in altera Numam Pompilium regem ſepultum eſſe, in altera libros Numæ ineſſe. Eas arcas cum ex amicorum ſententia dominus aperuiſſet, quæ titulum ſepulti regis habuerat, inanis inuenta: ſine vllo corporis humani veſtigio: aut alterius rei, per tabem tot annorum omnibus abſumptis. in altera duo faſces candelis inuoluti ſeptenos habuere libros, non integros modo, ſed recentiſſima ſpecie. ſeptem libri latini de iure Pontificio, ſeptem græci de diſciplina ſapientiæ: in quibus cum animaduerteretur pleraque friuolas religionum cauſas continere, ex S.C. in Comitio cremati ſunt. Tribunal Aureliũ in tranſtyberina regione fuiſſe arbitramur. de quo Cicero ad Quirites ita meminit: Ego cum homines in tribunali Aurelio palam conſcribique vidiſſem. Naualia autem priſcis temporibus vbi & nunc, de quibus Liuius quinto quintæ dec. hæc ſcribit L. milio Coſ. naues, quæ in Tyberi paratæ, inſtructæque ſtabant, vt ſi rex poſſet reſiſtere in Macedoniam mitterentur, ſubduci, & in naualibus collocari, Senatus iuſſit. Sed in Ianiculum tempus eſt aſcendere, quem montem Ouid. arcem appellauit, his carminibus:

Arx mea collis erat, quem cultrix nomine noſtri
Nuncupat hæc ætas, Ianiculumq; vocat.

Hoc

Hoc illi nomen fuisse putant, quod Ianus ibi, vel sit sepultus, vel habitauerit, Virgilius.

Hic duo præterea disiectis oppida muris
Reliquias, veterumq; vides monumenta virorum.
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit vrbem.
Ianiculum illi, huic fuerat Saturnia nomen.

Alii quod ex Ianiculo Romani primum iter in Hetruriam fecere, & ab eo transitu Ianiculum dictum. Ianus enim transitus vocatur, vt visum est supra. Plinius: Saturnia, inquit, vbi nunc Roma est, Antipolis, vbi Ianiculus, in parte Romæ. In hoc colle Martialis hortos amœnissimos habuit, quos ipsemet libro primo multis celebrat versibus. Idē Plin. tradit Q. Hortensium dictatorem, cum in Ianiculum secessisset legem in æsculeto tulisse. Eusebius vero Cecilium Statium, poetam, in eodem sepultum esse. Huius autem collis forma in longum porrigitur, auspicatur à porta nunc Turrionis, & sex plus minus stadiis in meridiem extenditur: assurgit plurimus ad portam Aureliam.

CAP. CXXVII.

De Monte & Campo Vaticano, Templo Apollinis & Martis, Naumachia, Circo; & hortis Neronis, ac de Obelisco Cæsaris.

EXPOSITIS iis, quæ ad Transtyberinam regionem, siue Ianiculum, pertinere videbantur, Vaticanum dico montem, & campum (quanquam extra Vrbem) his proximum addere, ex situs descriptione, admonemur. Vaticanus igitur Mons is est. in quo S. Petri templum, Pontificisq; Palatium spectatur. Vaticani autem varia traditur etymologia. Gellius enim scribit agrum Vaticanum, & eiusdem agri deum præsidem appellatum à Vaticiniis, quæ vi & instinctu dei eius in eo agro fieri solita essent. Var. in libris diuinarum aliam tradit istius nominis rationē. Nā sicut Aius, inquit, deus, ara q; ei statuta, quæ est in infima Noua via, quod in eo loco diuinitus vox edita erat, ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent vocis humanæ initia, quoniam pueri simulatq; parti sunt eam primum vocem edunt, quæ prima in Vaticano syllaba est. Sex. vero Pompeius, vult collem hunc Vaticanum nuncupatum, quod pulsis Hetruscis eo potitus sit Po. Rom. vatum responsis. Plinius refert tempestate sua Ilicem in Vaticano fuisse, in qua titulus æneis literis, Hetruscis religione iam tum dignum arborem fuisse, signaret. Apollinis templum eo in loco statuunt, vbi nunc sacellum S. Petronillæ, sicut Martis, vbi Sanctæ Mariæ cognomento de Febribus, in via olim triumphali Iulium Paulum Poetam, Prædiolum in Vaticano possedisse commemorat Gellius. Cor. autem Tac. Neronem clausisse in valle Vaticani spacium in quo equos regeret, apudque nemus, quod nauali stagno circumposuit, consuevisse. Conuenticula & cauponas exstruxisse, obtulisseq; hortos suos ad varia in Christianos tormē torum genera; spaciumq; illud circum appellatum. In quo idem Nero circense ludicrum habitu aurigæ edebat, permixtus plebi, vel * circulo insistens. Et quia Plinius Obeliscum Vaticani in Caii & Neronis circo ponit, arbitrantur nonnulli nauale stagnū, siue Naumachiam secus ipsum montem, qua ad portam Pertusam itur, fuisse: Hortos vero à clausura illius circi ad Tyberim. Obeliscus autem secus ecclesiam Apostolorum in via olim triumphali, solus ex maioribus omnibus, nunc est erectus, his titulis inscriptus.

DIVO CÆSARI DIVI IVLII F. AVGVSTO. TI. CÆSARI DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRVM.

Ab altero vero latere.

DIVO CÆSARI DIVI IVLII. F. AVGVSTO. TI. CÆSARI DIVI AVGVSTI. F. AVGVSTO SACRVM.

In cuius vertice pila aurata posita est. De hoc autem obelisco Plin. ita scribit. Tertius est in Vaticano Caii, & Neronis principium circo, ex omnibus vnus omnino fractus in

molitudine eius,quem fecerat Soſtridis filius Nuncoreus,& poſt cœcitatem, viſu reddito,Soli ſacrauit,altitudine cubitorum centum. Idem vbi de magnitudine arborum tractat hæc habet verba: Abies admirationis præcipuæ viſa eſt in naui, quæ ex Ægypto Caii principis iuſſu Obeliſcum in Vaticano circo ſtatutum,quatuorq; truncos lapidis eiuſdem ad ſuſtinendum eum adduxit.qua naui nihil admirabilius viſum in mari certum eſt: centum viginti modii lentis pro ſaburra ei fuere. Longitudo ſpatium obtinuit magna ex parte Hoſtienſis portus, latere læuo:ibi namque demerſa eſt à Claudio principe. Arboris eius craſſitudo quatuor hominum vlnas complectentium implebat.

ADNOTATIO.

Obeliſcus Vaticanus qui vnicus ad ætatem vſque noſtram erectus permanſit, antequam è priori illa ſua ſede amoueretur,in eo ſtabat loco qui ſacrario baſilicæ Principis Apoſtolorũ eſt proximus,è regione celeberrimi Vrbis cœmeterii,totumq; baſi, & vltra obrutus,quod vulgo Campi Sancti fertur via publica; At Sixtus V. Pont. Max. Pontificatus ſui anno primo,qui fuit ſalutis humanæ 1585.de eo transferendo in forum Principis Apoſtolorum,ſanctiſſimæque Cruci conſecrando ſtatuit,gentium ſuperſtitione amota. Itaque paratis iis quæ ad tantam molem amouendam,vehendamq; neceſſaria erant,anno ſequenti 1586.ingenti ſumptu eſt translatus,ingenio & opera Dominici Fontanii Architecti è pago Mili Agri Monocomenſis,impoſita Cruce,magna populi frequentia, & deuotione.

CAP. CXXVIII.

De via Triumphali, Aqua Sabbatina,& ſepulcro Scipionis.

TRIVMPHALIS autem viæ mentio licet facta ſit ſupra,tamen libet hic oſtendere quo tramite in Capitolium perduceret. Parata igitur triumphali põpa in territorio triumphali,per viam procedebant triumphalẽ,cuius ſtratæ ſilicib.particula adhuc cernitur ſub S.Spiritus hoſpitali,vt per nunc dirutum pontem Tyberis triumphalem;cuius ampla cernere eſt fundamenta,in vrbem, & ad Capitolium duceretur. Continuabatur autem via triũphalis ad poſteriorem olim porticum S. Celſi.inde S. Laurentii in Damaſo eccleſiam, & poſt Floræ campũ petebat.idque hinc maxime proximis temporibus cernere fuit, quod in continuatis ſuper eam domibus fundamenta iacere,aut puteos effodere molientes,ſiliceam veterem offenderunt,ſpacioſiſſimam,à campo Floræ ad nunc plateam Iudæorum inde Iunonis templum,nunc S. Angeli eccleſiam,poſtea ad S. Georg.in velabro procedẽs via,ſub nouis ædibus,ruinisq; ab effodientibus inuenitur,quouſq; Iani templo, velabroq; proxima in cliuum deſitura capitolinum detecta cernitur,Blon. In hortis Pontificis viſitur hodie Nili ſimulacrum,& circumquaque animalium genera in eo flu.naſcentium, ac Tyberis, cum pueris vrbis conditoribus lupæ mammam tractantibus. Apollinis cum arcu & ſpiculis Signum, Laocoontisq; Virgiliani cum duobus filiis, de quo ſupra facta eſt mentio: Veneris paruum Cupidinem iuxta ſe deſpicientis, & Cleopatræ fonti appoſitum, exangui ſimilis. Quæ omnia exornandi locum gratia hinc inde eo ſunt translata. Exſtant & multa alia antiqua monimenta in porticu eiuſdem Pontificis, ac in vinea ad primum lapidem ferme eregione pontis Miluii,quæ,cum ibi non ſint inuenta, nullam antiquorum locorum præbent cognitionem. Quare his omiſſis ad vtiliora veniamus. Sabbatina aqua à Sabbatino Anguillariæ lacu Romam perducta erat, cuius formæ veſtigia quædam extra portam Aureliam exſtare dicuntur. hanc Adrianus primus pontifex reſtituit, perduxitque in Baſilicam diui Petri ad vſum ſacerdotum,&ad lauandos pauperum pedes in cœna domini. In campo Vaticano, haud procul á mole Hadriani fuit ingens Meta, ſiue Pyramis,quam Alexander ſextus Pontifex deſtruxit, vt viam ad eandem baſilicam aperiret:vel ne eſſet hoſtibus, tanquam propugnaculum contra propinquam arcem, cũius

funda-

fundamenta vidimus effodi ſuperioribus annis. Sunt autem qui velint Septem Epulonũ fuiſſe ſepulcrum, vel Scipionis de quo Acron Horatii interpres ſic meminit. Deuicta Carthagine virtute Scipionis Africani, cum Afri aduerſus Romanos denuo rebellarent, conſulto oraculo reſponſum eſt, vt Sepulcrum Scipionis fieret, quod Carthaginem reſpiceret, tunc leuati cineres ſunt de pyramide in Vaticano, & humati in ſepulcro eius in portu, vt Carthaginem reſpiceret. Gentile tamen Scipionum ſepulcrum in via Appia fuiſſe declarabimus. Huius autem pyramidis forma viſitur in porta ænea eccleſiæ Apoſtolorum celata.

CAP. CXXIX.

De iis quæ extra portam Flumentanam, & Collatinam fuere, vel nunc ſunt.

QVANQVAM ex ſitus deſcriptione antiquæ Vrbi, & nouæ iure optimo finẽ imponere liceret, tamen cum maiorem quandoq; ambitum adepta ſit, ſuburbiaq; in eum producta eſſent ſpacium, vt hinc Tyrrhenum mare, indè Ocriculi attingerent pontem, multa memoratu digna extra relinquuntur, ex quibus & temporis vetuſtate, & bellorum iniuria pauca quædam in noſtram peruenere cognitionem, quę percurriſſe non minus conducere, gratoq; fore arbitramur iis, quæ intra Vrbis mœnia ſunt comprehenſa. Quare, ex ordine inſtituto, à porta Flumentana exordium ſumamus : à qua vltra primum lapidem occurrit Miluius pons: de quo paulo ante ſatis declaratum eſt, ſicut de ortu, naturaq; Tyberis, ac via Flaminia: quæ, vt diximus, à Cn. Flaminio Ariminum vſque ſtrata, ab eodem etiam denominationem accepit. Vias enim vrbis ex ſilice ferme omnes ſtratas fuiſſe indicant veſtigia, tam extra, quam intra Vrbem multis in locis exiſtentia. Ideo, ferme omnes, dictum eſt, quia Liu. primo dec. quintæ ait, M. Æmilio Coſ. Cenſores vias ſternendas ſilice in Vrbe, glarea extra vrbem ſubſtruendas, marginandasq; omnium primos locauiſſe. & Plutarch. Cn. Gracchum certis regionibus vias direxiſſe, & eas paſſim lapide ſtrauiſſe, partimque arenæ muniuiſſe aggeribus, iniqua adæquantem, & quantum valles, torrentesque abrumpebant, pontibus æquali altitudine coniungentem. Quibus verbis patet non omnes ſilice fuiſſe ſtratas. Idem autem Gracchus dimenſo viarum ſpacio ſingulis miliariis columnas lapideas, ſpacii ſigna præferentes, conſtituit, lapidesque parum inter ſe diſtantes ex vtraque viarum parte diſpoſuit, vt ex illis facile in equos eſſet aſcenſus. In Flaminia Auguſtus quatuor pontes, præter minorum pontium turbam, maximo exſtruxit opere, atque impendio, ex quibus nunc integer ſolus exſtat, qui Ariminum, ſuburbiumque coniungit. Miluius multa, quæ ab eo accepit ornamenta, prorſus amiſit: & qui Tyberim item ſub Ocriculo iungebat parte vnam ſucciſus, in arcis fundamenta conceſſit. Is vero qui ſub Narnea Narem amplectebatur Flu. multis, vt videtur, ſeculis, vel ſucciſum, vel collapſum vetuſtate, fornicem medium amiſit, Blon. In eadem autem via ſepeliebantur defuncti. Iuu.

Quorum Flaminia tegitur cinis, atque Latina.

Viſuntur & hodie in ea magnæ ſepulcrorum moles. Plinius docet in Flaminia Cæſaris villam, quæ ad Gallinas dicebatur, poſitam eſſe eius ſunt hæc verba: Sed & circa diuũ Auguſtum cuncta eius digna memoratu. Namq; Liuiæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſta matrimonii nomen accepit, cum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris ſedenti aquila ex alto abiecit in gremium, illæſam: intrepideq; miranti acceſſit miraculum, quoniam tenentem roſtro laureum ramum onuſtus ſuis baccis: conſeruari alitem, & ſobolem iuſſere aruſpices, ramumque eum ſeri, ac rite cuſtoditi, quodq; factum eſt in villa Cæſarum fluuio Tyberi impoſita, iuxtã nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad Gallinas. Eadem ferme ſcribit Suet. in Galbæ vitã. Huic autem viæ iuncta erat Claudia, vbi Horti Ouidii, vt ipſe teſtatur his verſibus.

Nec quæ pomiferis positos in collibus hortos
Spectat flaminiæ Claudia iuncta viæ.

Æmilia via à Lepido Flaminii collega strata,vt quorundam est opinio,ab Æmilia regione Bononiam vsque,cuius vestigia multis in locis adhuc cernuntur.Fuerunt autem Æmiliæ duæ,altera,quæ Flaminiam excipiebat, altera quam strauit Scaurus per Pisas , & Lunam in Sabatios vsque. Fuit & Tyberina via , & Cassia extra portam nunc Vicilariam, quæ Sutrium,Vetrallam,Viterbiumq;, & Vulsinensem mittebat,cuius quota pars, ex saxo quadrato strata,alicubi adhuc videtur. Clitellæ,inquit SextusPompeius,dicuntur non tam hæ,quibus sarcinæ colligatæ mulis portantur,sed etiam locus Romæ per similitudinem,& in via Flaminia loca quædam deuexa,& accliuia. Galienus autem Imperator parauerat porticum Flaminium vsq; ad pontem Miluium,vt tetrastice fieret,siue pentastice, vt primus ordo pilas haberet,& ante se columnas cum statuis, secundus & tertius deinde diatessaron columnas, auth. Tremellius. Perfecerit ne, incertum.Extra autem portam Collatinam via eiusdem nominis exit , in qua Virgo aqua concipitur : Collatiam olim mittebat,nunc vero,haud procul à porta,Salariæ viæ iungitur. Et quia mœnia Collinam portam non excedebant, Collatina priscæ Vrbis porta non erat, ideo pauca , quæ extra hanc fuere,in cognitionem nostram possunt peruenire.

CAP. CXXX.

De iis quæ extra Portam Collinam fuisse traduntur.

EQVITVR porta Collina,cuius via nunc,vt olim,Salaria nũcupatur,quod per eam Sabini salem in Vrbem deferebant:ducit in Sabinos,& apud Eretum in ipsam incidit Numentana.De Salaria meminit Cor. Tac. hoc modo: Tertium agmen per Salariam Collinæ portæ appropinquabat. In hac Veneris Erycinæ Templum fuisse diximus,vbi restagnante Tyberi Apollinares celebrabantur. hoc autem templum prope portam fuisse Appianus sic docet. Cum copiis subinde prouectus Sylla ad Collinam portam castra locat, non longe à Veneris templo.& Ouid.sic.

Templa frequentari collina proxima, portæ
Nunc decet,à Siculo nomina rege tenet,
Vtq; Syracusias Aretusidas abstulit armis
Claudius,& bello te quoque cœpit Erys.

Votum quidem ferunt à Fabio dictatore:dicatum vero L. Portio,idq; insignẽ Porticum habuisse scribit Strabo. Veneri autem virgines paruas imagunculas, quas in delitias habebant,olim offerebant.Persius. Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine Pupæ. Ad id etiam matronæ virilis membri figuram diuinis præcolentes honoribus , magna sacrorum pompa perferebant. vbi fuit & simulachrum Veneris Verticordiæ, quod homines ab effusa libidine auerteret. Ouidius.

Roma pudicitia proauorum tempore lapsa
Cumæam veteres consuluistis anum.
Templa iubet Veneri fieri,quibus ordine factis
Inde Venus verso nomine corda tenet.

Pudicissima,inquit Plin. fœmina semel matronarum sententia iudicata est Sulpicia Paterculi filia,vxor Fuluii Flacci, electa ex centum præcipuis, quæ simulacrum Veneris ex Sibyllinis carminibus dedicaret.Eadem via, ad II. lapidem insigni monumento sepultus fuit Licinus tonsor Augusti,prædiues. Secus eandem viam extat sepulcrum quoddam, in templi formam constructum,in quo Cereris,Bacchique picturæ cum vitibus.& hydriis cernuntur. Extra vero Collinam portam Honoris templum statuit Cic. secundo de le. cum inquit: Nostis extra portam Collinam Ædem Honoris?& aram in eo loco fuisse memoriæ proditum est:Ad eam cum Lamina fuisset inuenta,in qua scriptum,domina honoris,ea

ris,ea cauſa fuit ædis eius ædificandæ,Sed cum multa in eo loco ſepulcra fuiſſent,exarata ſunt. Statuit enim Collegium locum publicū non potuiſſe priuata religione obligari. Per Collinam autē memorant Gallos Senonas ingreſſos,vrbem diripuiſſe. Ab ipſa porta tertio miliario procul Annibal caſtra cū poſuiſſet, ad Herculis templum progreſſus eſt, vrbem expugnaturus,ſed ter imbribus, & grandine repulſus, obſidione Vrbem ſoluit. Via ſalaria ad III. lapidem ſupra Anienem occurrit pons Salarius,priſcum adhuc ſeruans nomen,ſicut & via:In eo autem inciſa ſunt huiuſmodi

IMPERANTE. D. N. PIISSIMO. AC. TRIVMPHALI. SEMPER. IVSTINIANO. P. P. AVG. ANN. XXXVIII. NARSES. VIR. GLORIOSVS. EX. PRÆPOSITO. SACRI. PALATII. EX. CONS. ATQVE. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS. CELERITATE. MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS. LIBERTATE. VRBIS. ROMÆ. AC. TOTIVS. ITALIÆ. RESTITVTA. PONTEM. VIÆ. SALARIÆ. VSQVE. ADAQVAM. A. NEFANDISSIMO. TOTILA. TYRANNO. DISTRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO. IN. MELIOREM. STATVM. QVAM. QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT.

Item carmina hæc.

Quam bene turbati directa eſt ſemita pontis,
Atq; interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas ſubiecti gurgitis vndas,
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles per gaudia veſtra Quirites,
Et Narſin reſonans plauſus vbiq; canat,
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes,
Hic docuit durum flumina ferre iugum.

Anio, inquit Dionyſ. ex vrbe Tybure effuſus per excelſum ſcopulum multus per planiciem Sabinorum,Romanorumq; fertur,diſterminans vtranque regionem,influitq; in Tyberim parum infra pontem Salarium,aſpectu pulcher, & potu dulcis. Et quia ex ſublimi in vallem ſubiectam fertur,& præcipitem Horatius appellauit: ſicut & Statius primo Syl. In hoc ſepultam fuiſſe Iliam ſcribit Acron. Apud eundem pugnauit Torquatus. Meriique ſepulcrum fuiſſe teſtis eſt Cic. de legib. Simulacrum Sibyllæ Tiburtinæ, quæ Tiburi colebatur,vt dea, in gurgite Anienis inuentum eſt,tenens in manu librum, cuius ſacra ſenatus in Capitolium tranſtulit.

CAP. CXXXI.

De ijs quæ extra portam Numentanam,& Interagge-res fuere,vel hodie ſunt.

QVARTO ordine ſuccedit porta Numentana, ab ipſa incipit eiuſdem nominis via,qua itur Numentum, quod eſt in Sabinis. Dicta eſt etiam Ficulnenſis via. Liuius:Decemuiri Numentana,cui tum Ficulnenſis nomē fuit, profecti,caſtra in monte Sacro locauere. Ficulnenſem autem appellauit à loco vbi figulinæ,ſicut apud Teſtac. fiebant. Extra eandem portam Nenię quæ cantu querulo funeribus adeſſet, templum fuiſſe legitur. Nam Deorum,quos obeſſe putabant, Templa,extra Vrbem,vt plurimum,ponebantur,ideo,vt plurimum dicimus,quia in Palatio Febris Fanum, in Exquiliis Malæ Fortunæ, ad radices Auentini Socordiæ,& apud Auguſti forum Martis Vltoris templum fuiſſe, viſum eſt, quæ numina,non vt opem ferrent,ſed ne obeſſent,colebantur. Via Numentana,citra ſecundū lapidem, occurrit à ſiniſtra S. Agnetis ædes, prope quam viſitur veruſtiſſimum Bacchi Templum,Sphærica forma,columnis circumquaque in gyrum diſpoſitis, templique teſtudinem ſuſtinentibus,vbi è muſiuo opere ornamenta picturæ,& ipſius Dei geſta effigiata cernuntur,& Porphyreticum ſepulcrum vitibus, & vuis inſculptum, quod Bacchi

esse multi fabulantur. Apparent autem apud hoc templum, versus septentrionem, magni cuiusdam ædificii ruinæ, vbi theatrum extitisse memorant, nos vero nihil certi habemus, quod de ipso dicatur. Hinc vero ad stadia quatuor iterum se offert Anio, super quo est pons Numentanus, priscum retinens nomen, sicut & via, quem pontem Narses eunuchus exstruxit. Inter hanc quidem viam, & Salariam ad IV. miliarum fuit Suburbanum liberti Neronis, quo fugiens ipse Princeps, se ipsum interfecit, auth. Suet. Extra autem portam Interaggeres occurrit statim locus planus, instar magnæ areæ, quadrata forma, parietibus circumseptus, qui dicebatur Castrum Custodiæ, vbi fuerant olim in statione milites prætoriani Dioclitiani Imp. Procopius vero scribit eregione Viuarii forinsecus veteres Romanos alterum breuem murum modico interuallo adiecisse, non ad tutelam, sed ad delicias, vt leones eo loco, & alias bestias seruarent. Vnde olim locum ipsum Viuarium, hodie vero Viuariolum vocant.

CAPVT CXXXII.

De iis quæ extra portam Exquilinam, Næuiam, Cœlimontanam, & Gabiusam fuere, vel sunt.

EXIT à porta Tiburtina eiusdē nominis via, quæ Tybur mittit. In hac apud S. Laurentiū iacet Obeliscus in vinetis confractus, haud ita multo post obuius fit supra Anienem pons Mammeus, vulgo Mammolo appellatus, ab Antonino Pio extructus, qui à Mammea Alexandri matre instauratus, eius nomen acquisiuit. Quartus pons super eundem fluuium Lucanus nuncupatur, qui propior est Tiburi, quam Romæ, ibique est sphærica moles. In ponte vero legitur index Ti. Plantii authoris. Supra Tibur autem XX. miliar. concipitur Anio vetus, partim in Tiburtinum vsum, partim Romam deductus, qui minus salubris in hortorum rigatorem, atque vrbis sordidiora extaret ministeria: hanc aquam post annos XL. quam Appia perducta est, an. ab vr. co. CCCCLXXX. Curius enim dentatus censor cum L. Papir. deducendam curauit ex manubiis de Pirrho captis. Item post biennium actum est in Senatu de consummatione eius, tamen ex S. C. duumuiri aquam perducentes creati, Curius, & Fuluius Flaccus locauerant. Curius intra quintum diem decessit, gloria perductæ pertinuit ad Fuluium. Sed quoniam duæ Anienis aquæ in vrbem fluebant, vt facilius dignoscerentur, Anio nouus cœpit vocari, priori vero cognomen vetus adiectum. Nouus autem Anio Sublacensi concipitur via, ad miliar. XLII. iungitur ei riuus Herculaneus, oriens eadē via ad miliarium XLIII. Ductus Anienis noui efficit pas. LVIII. milia, cuius riuum Frontinus à Nerua Imp. procurator aquarum constitutus, restituit, & in vrbem deduxit. Strabo extra Exquilinam portam Labicanam, & Prænestinam viam egredi ostendit, his verbis. Porro in vnum cadit Labicana via à porta quidem Exquilina, à qua & Prænestina, à sinistra vero hanc, & Exquilinum campum omittas, vltra centum viginti stadia pergit, tum & Labio propinquat, & Thusculum relinquit. Ab hac eadem porta haud procul, erat locus, qui olim Puticulæ dicebatur, quod ibi essent frequentes putei in quibus condebantur combustorum ossa ex propinquo campo Exquilino. Puticulæ inquit Elius, quod putrescant ibi cadauera proiecta, qui locus publicus vltra Exquilias. Via prænestina, inter sextum, & octauum miliarium, in agro Lucullano concipitur aqua Appia, diuerticulo sinistrorsus passuum DCCLXXX. habet longitudinem à capite vsque ad Salinas, hæc M. Valerio Max. P. Decio Mure Cos. anno XX. post initium Samnitici belli inducta est ab Appio Claudio censore, cui postea Ægro fuit cognomen. Collegam autem habuit C. Plautium, cui ob inquæsitas eius venas Venocis cognomen datum est, sed is intra annum, & sex menses deceptus à collega, tanquam idem facturo, abdicauit à censura, nomen aquæ ad Appii honorem tantum pertinuit, qui multis tergiuersationib. extraxisse censuram traditur, donec & viam, & aquæductum consummaret, Plin. Agrippa, inquit, &

Virginem

Virginem adduxit ab octauo lapide diuerticulo II. mil. paſ. via prænestina, iuxta Herculaneum riuum, quem refugiens Virginis nomen obtinuit, & rursus: Agrip. in ædilitate sua adiecta virginea aqua, cæterisque corriuatis, atque emendatis lacus septingentos fecit. Ex quo Augustum Po. Ro. vinum petenti subiratum respondisse ferunt: Tot aquas introduxit Agrippa gener meus, & vinum quæritis: Addidit autem Agrippa omnibus aquis signa ærea, aut marmorea, vtpote dei aquarum, qualia nunc quædam in vrbe cernuntur. Quod etiam testantur carmina insculpta in marmore, iacenti inter spineta, in platea S. Pauli, quæ sunt hæc:

PERDIDERAT LATICVM LONGEVA IN CVRIA CVRSVS.
QVOS TIBI NVNC PLENO CANTHARVS ORE VOMIT. & Propertii hæc.

Et leuiter lymphis tota crepitantibus vrbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.

Ædicula, inquit Frontinus, fonti apposita hanc virginem pictam ostendit. Alii autem Virginem appellatam tradunt, quod quærentibus aquam militibus, Virgunculæ venas quasdam monstrauit, quas secuti ingentem aquæ modum inuenerunt. Fuluius autem ab ea porta, quæ maior nunc vocatur, tanquam olim ab Exquilina, aut certe prope quæ fuerit, Labicanam, & Prænestinã viam nunc egredi, scribit. Labicana à dextris, iuxta formam aquæ Claud. ad Columnam oppidum, Prænestina vero Gallicanum nunc, olim Gabios, deinde Prænestè, à quo nomen accepit, tendit. A Cœlimontana vero incipit via Cãpana, quæ statim extra portam in duas dirimitur semitas, sed post pauca stadia vtraque Latinæ iungitur. Inter Cœlimontanam, & Latinam Gabiusam locauimus portam, à qua olim exibat via Gabina, de ea ita meminit Liuius: P. Valerius T. Herminium cum modicis copiis ad II. lapidem Gabina via occultatum obsidere iubet. Idem ad III. lapidem venere via Gabina, fuerunt autem Gabii, vt diximus, via prænestina, Strabo: Sunt & Romanorũ oppida à sinistra Latinæ, inter eam, & Valeriam Gabii extant, in via prænestina, vbi lathomiæ sunt plusquam reliquæ, lapides Romæ suppeditantes, distantes Roma, & Prænestè ex æquo stadiis centum.

CAP. CXXXIII.

De iis quæ extra portam Latinam; & Capenam fuere, vel sunt.

ALATINA autem porta Via, eiusdem nominis exit, quæ in Latinos populos ducit, videlicet per Leuicanum, nunc Valmontonum, & nunc Campaniã vsque ad Casinatem S. Germani Saltum, de qua Strabo sic scribit: Præclarissimæ sunt viæ, Appia, & Valeria, media inter has Latina est, ad Casinum oppidum iungitur Appiæ XIX. à Capua distans stadiis. In hac IV. ab Vrbe lapide, fuit Templum Fortunæ Muliebris, eiusdemque deæ simulacrum nephas attingi nisi ab ea, quæ semel nupsit, Valer. Maxim. Muliebre inquit, Fortunæ simulacrum, quod est in via Latina ad quartum miliarium eo tempore cum in æde sua consecratum Cal. Decembris, quo Coriolanum ab excidio Vrbis maternæ preces repulerunt, non semel, sed bis locutum constitit, his verbis: Rite me vidistis: Rite me dedicastis. Eadem concipitur aqua Tepula XI. miliario diuerticulo euntibus ab Roma dextrorsus, sub terra prius: deinde arcuato opere, Iuliæ post admista. M. Agrippa ædilis proprias vires collegit, & Tepulæ riuum intercœpit, acquisitæque ab inuentore nomen Iuliæ datum, Iulia autem reuocatis deriuationibus, per quas subripiebatur, modum suum, quamuis notabili siccitate, seruauit. Tepula igitur inuenta, & deducta ab Agrippa est, anno ab Vrbe condita DCCXIX. Imp. Cæs. Iulia vero ab Aureliano, vt scribit Ant. in Itinerario. Via autem Valeria ad miliarium XXXIII. Fron. aquam Marciam concipi scribit, de qua plura superius locuti sumus. Penultimam enim omnium portarum cis Tyberim, Appiam appellauimus, à qua eiusdem nominis, cuius & portæ, egreditur via; Ab Appio Claudio Censore, qui

qui Capuam vſque eam ſtrauit, denominationem accepit, ea latitudine, vt plauſtra duo, ex aduerſo inuicem occurrentia, libere exciperet. Liuius: Memoriæ felicitatis nomen Appii, & viam muniuit, & Appiam aquam in Vrbem deduxit. Quam quidem viam Cæſar Dictator, vel exornauit, vel reſtituit. Plut. Commiſſa dehinc illi Appiæ viæ cura, ingentes prodegit pecunias. Nouiſſime vero Traianus eam reſtituens Brunduſium vſque ſtrauit, deſiccatis paludibus, exciſis collibus, aggeratis vallibus, ſaxis conſtratis reliquis iis circum, ac pontibus magnificentiſſimi operis excitatis, permeabilis fecit. auth. Dionyſ. Traianum autem quamplurima ædificia reſtituiſſe, ex literis in marmore apud circum Maximum inuento inciſis, ſatis apparet, quæ ſunt huiuſmodi.

IMP. CÆS. DIVI NERVÆ, F. TRAIANO GERMANICO DACICO PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. IX. COS. PP. TRIB. QVOD LIBERALITATE OPTIMI PRINCIPIS COMMODA EARVM ETIAM LOCORVM ADIECTIONE AMPLIATA SINT.

Appia, inquit Strabo, ad mare protendit: prius tamen in Albæ, Aritiæque ruinas perducit, & muros olim Pontinæ paludis ad Terracinam, inde per Fundos, Molas, & poſtea Sinueſſam, & medium ſtellatum campum vſque Brunduſium, mox tranſuerſo itinere per Atellam nunc aduerſam, Puteolis, & circum Baianum olim ſinum, nunc Tripergulæ Balneas vſq; Cumas. Huic viæ & Claudiæ nomen datum inuenio. Sen. in Ludo mortis Claudii ait, Auguſtum, & Tiberium Cæſ. Appia via ad deos iuiſſe. Templum Martis celeberrimum eadem via. Ouidius:

Lux eadem Marti feſta eſt, quem proſpicit extra
Appoſitum rectæ porta Capena viæ.

Liuius. Viam Cenſores ſternendam à porta Capena ad Martis templum locauere, ſemitamque ſaxo quadrato ſtrauerunt, hoc templum à Sylla in ædilitate ſua conſecratum fuit, ſupra centum columnas poſitum. Memorant autem Martis duo fuiſſe templa, vnum intra vrbem Quirini, quaſi cuſtodis, & tranquilli, alterum, de quo nunc, extra vrbem, quaſi bellatoris vel gradiui. In Marr. Anyle fuiſſe ſcribit Ser. gram. Verum cum præter hoc, & in vrbe, & in Campo Martio fuerint Martis Templa, de quo intelligat Ser. ignoratur, ſicuti & de Senatulo, quod erat apud Bellonæ, iuxta Martis fuit Manalis lapis, quo perficitatem in Vrbem relato, pluuia ſtatim manabat, hinc Manalem dixere, Sextus Pomp. author. Martis Signum in via Appia, idque Cneio Seruilio, & Flaminio Coſſ. ſudaſſe memorat Liuius. In eadem fuit Bonæ deæ Sacrarium, apud quod Clodium & M. Papirium interfectum fuiſſe, ait Cic. Lucus, & ædes Camœnarum extra portam Appiam à Fuluio Nobiliori condita fuit, auth. Aſcan. Ara Apollinis Ædis ſpei, Mineruæ, extra eandem portam præterea Lucus Honoris, Virtutis Ædes: Liuius. Ædem Virtutis ad portam Capenam Marcellus dedicauit. At Honoris, & Virtutis intra vrbem fuſſe crediderim, ad ipſam tamē portam, vt dixi. Sunt enim hæc numina optimi ominis, quorum templa in vrbe excitanda venirent, potiuſquam extra. Ad portam autem quaſi admonerent proficiſcentes ad bella, niſi per virtutem res ſtrenue geſſiſſent, aditum ſibi non futurum ad honorem, & gloriam, hoc eſt, ad triumphum: Hinc eſt quod Auguſtinus ait: Neminem honoris templum ingredi poſſe, niſi prius virtutis eſſet ingreſſus. Marcel. autem in Corſicam & Sardiniam nauigans, grauiſſimam paſſus eſt tempeſtatem: cumque naufragio eſſet ſeruatus, Romam reuerſus Tempeſtatis Ædem extra portam Capenam excitauit. Ouidius:

Te quoque tempeſtas meritam delubra fatentur,
Cum pene eſt Corſis obruta puppis aquis.

Extra eandem portam, ad II. lapidem, Templum Ridiculi, cui nomen inditum eſt, quod ibi Annibal caſtrametatus illuſus reuerſus eſſet. Via Appia hortos Terentianos XX. iugerum fuiſſe legimus. Eadem via ad ſecundum lapidem inter ædem Sancti Sebaſtiani, & Caput Bouis in prælonga conualle extat Circus, ſiue Hippodromus, ſatis rudis, ab Antonino Baſſiano (vt creditur) extructus, vbi in medio adhuc apparent metarū ſignā,

& Obe-

& Obeliſcus miræ magnitudinis, in plures contractus partes, cum notis Aegyptiorum, v-bi olympici olim fiebant ludi, ad exercendos milites prætorianos, qui illic contubernia à Tyberio Cæſare conſtituta habebant. Calori amni ſecundo ſupra Sabbatum miliario Valentinus pons fuit, in via Appia poſitus, & appellatus à Valente Imperatore, nunc dirutus. In eadem via vbi ea primum attingit Maſicum montem, vrbs eſt Sinueſſa, olim Pometia. Fuit priſcis temporibus Appia veterum ſepulchris à dextris, & ſiniſtris frequentiſſima, quorum multa adhuc cernuntur veſtigia, velut ex Tyburtino lapide extructa ſphærica forma ſine apice meta, cognomento nunc caput bouis, quod illic vndique bubulorum capitum ſimulacra lapide cælata viderentur, vbi ſepulcrum Metellæ vxoris Craſſi fuiſſe hic index oſtendit.

CÆCILIÆ. Q. CRETICI. F.
METELLÆ CRASSI.

Cic. primo Tuſc. an tu egreſſus, inquit, porta Capena cum Colatini, Scipionum, Seruiliorum, Metellorum ſepulcra vides, miſeros putas illos? in eadem Appia. VI. ab vrbe lapide M. Tullii, & Tullior. monumenta fuere, vt marmora inſcripta ibique inuenta aperte ſignificarunt. In gentili autem Scipionum ſepulcro Ennium poſitum commemorat Cic. pro Archia. Charus, inquit, fuit Africano ſuperiori noſter Ennius, itaque in ſepulcro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus. Ad huius ſepulcri ornamentum tres fuerant ſtatuæ, duæ P. & L. Scipionum, tertia ipſius Ennii, auth. Liuius, qui de loco vbi Publius mortuus, & ſepultus anceps, ſic ſequitur. Alii Romæ, alii Literni, & mortuum, & ſepultum, vtrobique monimenta oſtenduntur, & ſtatuæ. Nam & Literni monimentum monimentoque ſtatua ſuperimpoſita fuit, quam tempeſtate diſiectam nuper vidimus ipſi, & Romæ extra portam Capenam in Scipionum monimento tres ſtatuæ ſunt, duæ P. & L. Scipionum dicuntur eſſe, tertia Poetæ Q. Ennii. Et tamen quinto quintæ dec. pro certo videtur tenere Africanum Literni eſſe ſepultum. Sunt enim apud ipſum M. Seruilii Coſſ. contra Ser. Galbam pro L. Paulo Æmilio verba hæc. Satis peccatum in Camillo à maioribus noſtris eſt, quem tamen ante receptam per eum à Gallis vrbem violauerunt. Satis inſuper vobis in P. Africano, Literni domicilium, & ſedem fuiſſe domitoris Africæ, Lit. ſepulcrum oſtendi. In baſi autem ſtatuæ Ennii, hæc erant inciſa carmina.

ASPICITE. O. CIVES. SENIS. ENNII. IMAGINIS. FORMAM. HEIC. VOSTRVM,
PANXIT. MAXIMA. FACTA. PATRVM. NEMO. ME. LACRVMIS. DECORET.
NEQVE FVNERA. FLETV. FAXIT. CVR. VOLITO. VIVVS. PER. ORA. VIRVM.

Sepulcrum ſororis Horatii, eius qui ex tergeminis ſuperſtes ipſam interfecit, ex ſaxo quadrato conſtructum fuit ante portam Capenam, quo in loco ipſa ceciderat. Extra eandem portam Horatiorum ſepulcra, Campusque vbi pugnauerunt collocatur, & locus Mercurio ſacer, Aquaque Mercurii appellata, ad quam cum conueniſſet Po. Ro. vnuſquiſque lauri ramo alterius caput ea aſpergebat aqua, Mercurium inuocans vt aſperſis peccata, præſertim periuria dilueret.

Eſt aqua Mercurij portæ vicina Capenæ.
Si iuuat expertis credere, numen habet.

Statius autem Appiam omnium aliarum viarum reginam appellauit, in qua ad quintum lapidem ſepultus eſt Pomponius Atticus, in monimento Q. Cecilii auunculi ſui, vt inquit Cor. Nepos. Cæditiæ Tabernæ in via Appia, Domini nomine ſunt vocatæ. Sextus Pom. Lucus Egeriæ extra portam Capenam, quod Camœnis ſacrauit Numa. Via Laurentina in Appiam incidebat, in qua ſexto ab Vrbe miliario, ferme vbi S. Sebaſtiani eſt paſſionis locus, Terminalia, id eſt feſta Termino Deo ſacra, magno populi concurſu celebrabantur. Eſtque is Terminus, qui cum in Capitolio ædes Iouis dedicaretur, cæteris diis cedentibus cedere noluit.

CAP. CXXXIV.

De iis quæ extra portam Hostiensem, & reliquas in genere.

VLTIMA Vrbis porta cis Tyberim, & ab ea, quæ egreditur via Hostiensis dicitur: quod Hostiam Tyberinam, ab Anco rege conditam, mittat, hæc autem porta prius Tergeminorum sortita nomen ad radices Auentini, vt visum est, steterat, extra quam Liuius primo dec. quintæ Emporium sic ponit. Ædiles extra portam Tergeminam Emporium lapide strauerunt, stipitibusque sepserunt, & Porticum Æmiliam reficiendam curarunt, gradibusque ascensum ab Tyberi in Emporium fecerunt. Sed nunc locum intra vrbem esse opinamur, quod innuunt verba Li. vltimo loco posita, emporium ipsum prope Tyberim ostendentia. In Transtyberina regione tres extant portæ: Portuensis, Aurelia, Fontinalis, siue, vt alii volunt, Septimiana. A Portuensi inchoat via eiusdem nominis, quæ ducit ad portum Hostiensem: à quo, sicut & porta, nomen accepisse fertur. In eo autem portu fuit ædes Portumni, qui portubus præest, in cuius ædis ædificatione portumnalia celebrata esse traditur. Via autem Aurelia egreditur à porta eiusdem nominis, quæ vt diximus, tendit per maritima Thusciæ, Pisas versus, ab Aurelio consulari viro, & strata, & denominata, vnde consularis erat via, huius meminit Cic. in Catil. & Eutropius sic. Etruriæ per Aureliam vsque ad Alpes maritimas ingentes agri sunt. Traiana etiam est dicta à Traiano Imper. qui eam restituit: In hac fuerunt Horti Galbæ Imp. vbi idem princeps sepultus fuit auth. Suet. Fontinalis, siue Septimiana porta, in Campum Vaticanum olim mittebat & Ianiculum, sicut Vaticana, seu Triumphalis, de qua supra facta est mentio: Sueto. tradit viam Viteliam fuisse ab Ianiculo vsque ad mare.

CAP. CXXXV.

Zethi, Amphionis & Dirces fabula, quam egregia simulacra vnico saxo ab Apollonio, & Tauriſco præstantissimis artificibus olim insculpta repræsentant, sic se habet.

LYCVS Beotiæ rex, Antiopam Nictei regis filiam, vxorẽ duxit: quam postea, cum à Ioue in satyrum conuerso compressam cognouisset, repudiauit, Dircenq; vxorem duxit, quæ verita ne Antiope cum Lyco in gratiam rediret, arctissimis eam vinculis asseruauit, quibus Iouis miseratione dissolutis, in Cithæronem profugit, vbi Amphionem & Zethum peperit: qui postea à pastore, qui ipsos nutrierat, de Lyci iniuriis edocti, eum interfecerunt, Dircem vero caudæ indomiti equi, vel, vt alii malunt, cornibus ferocissimi tauri alligarũt, quæ diu ita per terram raptata, tandem Deorum commiseratione in sui nominis fontem conuersa est. De qua Propert. lib. 3. eleg. 13. fere per totam, sic meminit:

Testis erit Dirce tam vero crimine sæua
Nycteos Antiopem accubuisse Lyco.

Et paulo inferius sic subsequitur:

Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircem sub trucis ora bouis.
Antiope cognosce Iouem, tibi gloria Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis, &c.

Amphionem vero Dirces filium, adeo lyra suauiter cecinisse traditur, vt saxa ad struendos muros Thebanos traxisse dicatur: de quo Horatius de arte poetica:

*Ductus & Amphion Thebanæ conditor * vrbis* * *al. arcis*
Saxa mouere sono testudinis, &c.

Quod ideo fictum, quia eloquii suauitate homines rudes, & incultis morib. ad obsequii ciuilis pellexerit disciplinam. Item de Amphione habetur in Apollonii Rhodii Argonaut. lib. 1. Sed, vt eo quo cœpi pergam, simulacra hæc, quæ C. Asinii Pollionis fuerunt, commemorauit Plin. lib. 36, cap. 5. his verbis: Pollio Asinius, vt fuit acris vehementiæ, sic quo-

sic quoque spectari monumenta sua voluit. In iis sunt Centauri nymphas gerentes Archesitæ, Thespiades Cleomenis, Oceanus, & Iupiter Eutochi, Hippiades Stephani, Hermerotes Tauriſci, non cælatoris, sed Tralliani, Iupiter Hospitalis Pamphili Praxitelis discipuli: Zethus, & Amphion & Dirce & Taurus. vinculumque ex eodem lapide à Rhodo adueta opera Apollonii, & Tauriſci. Parentum ii certamen de se fecere. Menecratem videri professi, sed esse naturalem Artemidorum &c. Hactenus Plinius de huiusmodi simulacris, qui ad ostendendam eorum, & artificum excellentiam, pluribus in iis verbis immoratus est. Verum cum hæc variis temporum casibus agitarentur tandem M. Antonini Pii L. Septimii Seueri filii temporibus, cum Thermas, quæ in hunc vsque diem Antonianæ dicuntur, prope piscinam publicam sub Auentino construxisset, eadem ornatus causa adhibuit, quæ tandem ibi reperta sunt in effodiendis ruinis, & ruderibus Thermarum earundem Pauli III. Pontificis Max. tempore, ac restaurata: nunc vero in ædibus celeberrimis illustriss. Alexandri Cardinalis Farnesii, maxima admiratione tum præstantissimorũ artificũ opere, tũ & auctoris celeberrimi mentione, nempe Plinii, qui eorum, vt superius vidimus, cõmeminit, visuntur in posteriori atrio ipsarum ædium Farnesiorũ, & licet vndique clausa sint, venia tamen impetrata, ad introspiciendum perhumaniter patet aditus.

CAPVT CXXXVI.

Taberna meritoria.

TABERNA meritoria insigne, legitur ædificium fuisse Transtyberina in regione. vbi præsens templum ingens beatæ Mariæ Virginis cernitur, à populo Rom. pietatis ergo olim erectum, quasi Nosocomium, aut Xenodochium quoddam esset veteranis militibus qui pro Romana republica aliquandiu meruissent, vnde forte meritoriæ nomen sibi vendicauit, in ea namque milites ii, qui aut senio confecti, aut vulneribus in prælio susceptis, claudi seu manci quoquomodo effecti fuissent, quoad reliquum supererãt alebantur, ne victum emendicare cogerentur, aut à mæreo forte mæritoria dicta est, eo quod in ea non nisi senes & claudi degerent, qui vt plurimum mæsti & tristes esse solent: alii vero existimant, hanc militibus tantum prætorianis erectam fuisse, ac inibi tanquam in castris constitisse, atque castra Rauennatum diu postea appellata. Hic autem Deum Opt. Max. eius pietatis, & misericordiæ signa ostendisse pro comperto est: nocte enim ea qua Saluator noster in mundum prodiit, fontem ibi olei vberrimum scaturisse testantur, quem toto insequenti die, populo inspectante & admirante, ad Tyberim vsque procurrisse: quod signum & inditium fuit, natum esse in mundo Dominum Iesum nempe Saluatorem mundi, cuius nomen oleum effusum est, testante scriptura Cantic. 1. de fama Domini: atque ita extanti memoria miraculi, templum ibi primum à Callisto summo Pontific. huius nominis primo, beatæ Virgini est erectum, quo postea diruto, à Gregorio Papa III. à fundamentis denuo est constructum, quod templum S. Mariæ in Transtyberim vocitatum est. Sed quid de hoc dixerit Marlianus, videndum: ille enim lib. 5. cap. 19. loquens de Transtyberina regione, sic scriptum reliquit: Rauennatum etiam vrbem nominatam inuenio. Nam Augustus victoria contra Antonium, & Cleopatrã potitus, binam instituit classem, vnam apud Mesenium Lucaniæ portum, alteram vero apud Rauennam. Cumq; Senatui esset cura, vt nulla Romam frequentaret multitudo. cui non esset habitandi locus publice assignatus, militibus Rauennatis classis hæc regio fuit assignata, quæ exinde Rauennatium vrbs cœpit appellari: quo nomine appellatum est templum, & meritoria taberna, quam vbi nunc est ædes diuæ Mariæ fuisse legimus. Ex quo templo Augusti tempore fons olei ex terra exundauit, ac per totum diem largissimo riuo fluxit, significans ex gentibns gratiam Christi, vt scribit Eutropius. Sed hæc regio propter pestiferos austros, à vilissimis sordidasq; artes exercentibus habitabatur: vnde pauca memoratu digna continet, &c. Hactenus Marlianus.

CAP. CXXXVII.

Domus Flauiorum.

FLAVIORVM domus in Exquiliis fuisse, authorum testimonio comprobatur, Marlianus enim lib. 4. cap. 23. de Flauii Sabini domo hæc innuit: Alta semita à thermis Constantini ad portam Viminalem vsque per dorsum Quirinalis erat producta, cuius vestigia sæpe nec vno tantum loco vidimus: & prope eum locum, qui dicebatur ad Malum Punicum, fuit Flauii Sabini domus, in qua natum esse Domitianum testatur Suet. consentitque hic titulus ibidem repertus, & adhuc iacens

INTER DVOS
PARIETES
AMBITVS PRIVAT.
FLAVI SABINI

C. enim Suetonius Tranquillus in initio vitæ ipsius Domitiani, hæc habet verba: Domitianus natus est IX. Calend. Nouembris, patre Cos. designato, inituroque mense insequenti honorem, Regione vrbis sexta, ad Malum Punicum, domo, quam postea in templum gentis Flauiæ conuertit, &c.

CAP. CXXXVIII.

Asylus.

ASYLVS quidnam fuerit, quo tempore, vbi & à quo institutum, facile innuere videntur Liuii verba libro primo circa principium, ita scribentis: Crescebat interim vrbs munitionibus cum alia atque alia appetendo loca, in spem magis futuræ multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent. Deinde ne vana vrbis magnitudo esset, adiiciendæ multitudinis causa vetere consilio condentium vrbes, qui obscuram, atq; humilẽ conciendo ad se multitudinem natam è terra sibi prolem mentiebantur, locum, qui nunc septus densis sentib. inter duos lucos est, Asylũ aperit, eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine liber an seruus esset, auida nouarum rerũ perfugit: idq; primum ad ceptã magnitudinem roboris fuit, &c. Hactenus Liu. Plut. vero in vita Romuli de Asylo Romano hæc inquit: Primis deinde Vrbi fundamentis iactis, sacrum quendam locum eo cõfugientibus perfugium statuentes, Asylum vocarunt: eoque omnes sine vllo discrimine exceperunt, nec domino seruus, nec debitor creditorib. nec homicida magistratib. debebatur, cum dicerent firmum ac ratum id omnibus Pythico oraculo esse oportere. Itaq; quã celebertrime Vrbs hominibus abundabat, &c. Marlianus autem cum de colle Capitolino ageret, lib. 2. cap. 2. ostendens Asylum fuisse in summo Capitolio, diffusius in hæc verba protulit: Veiouis ædem in area nunc Capitolina locum obtinuisse hæc verba Gellii docent. Est autem etiam ædes Veiouis Romæ inter arcem, & Capitolium, & mox subdit: Cum Iouem igitur, & Diiouem à iuuando nominassent, eum quoq; contra, Deum qui nõ iuuandi, sed vim nocendi haberet (nam deos quosdam, vt prodessent, celebrabant, quosdam ne obessent placabant) Veiouem appellauerunt, dempta atque detracta iuuandi facultate. Eius simulacrum, quod est in æde de qua supra dixi, sagittas tenet, quæ sunt videlicet paratæ ad nocendum. Quapropter eum Deum plerique Apollinem esse dixerunt: immolaturq; illi ritu humano capra, eiusq; animalis figmentum iuxta simulacrum stat: & paulo post subdit: Asylũ templum in dicta area fuisse significat Dionysius, sic enim inquit Lucum vmbrosum medium Capitoliique & arcis, quod vocatur inter montium duorum quercetorum templum Romulus constituit, de eodem Strabo: Romulus Asylum aperiens inter collem & Capitolium, huc perfugientes ciuitate donatos designat, & Liuius

(quem

(quem supra citauimus) locum, inquit, qui nunc septus densis sentibus inter duos lucos, Asylum appellat. Ex eo finitimus populus omnis turba sine discrimine, & seruus & liber, auida nouarum rerum perfugit, & hunc locum Ouidius attigit his versibus:

Romulus, vt saxo lucum circundedit alto
Quilibet huc, inquit, confuge, tutus eris.

Ex eo enim nemo extrahebatur. Varios autem terminos habuisse testatur Strabo his verbis: Templum & nunc, & olim Asylum erat, cuius libertatis termini sunt mutati: Alexander ad stadium extendit: Mitridati vero dimissa ab angulo Cerami sagitta vitium est paululum ipsum stadium transcendere: Antonius huic proxime accessit, & cum eo termino Vrbis partem comprehendit. Postea Cæs. Aug. cum id damnosum existimaret, & nihil aliud esse, quam multis malefaciendi causam exhibere, irritum fecit. Suet. de Tiberio loquens: Abolcuit, inquit, & vim moremq; Asylorum, quæ vsquam erant. Primi autem omnium Herculis nepotes timentes insidias illorum, quos auus, priusquam è terris migraret affixerat, Asylum instituisse dicuntur, hinc Statius:

Asylum herculeos fama est fundasse nepotes.

Et quia nonnulli ex quibusdam Ouidii carminibus, sub rupe Tarpeia Asylum stetisse volunt, quid de hac opinione sentiam, vbi de basilica Sempronii erit sermo, dicetur. Et subdit postea idem auctor lib. 4. cap. 13. vbi de ipsa basilica & de aliis agit, in hæc verba: Apud ædem nunc D. Georgii fuit domus P. Africani, vbi deinde T. Sempronius basilicam fecit, de qua Liuius quarto decadis quintę sic loquitur: T. Sempronius ex ea pecunia, quę ipsi attributa erat, ædes P. Africani pone veteres ad Vertumni signum laneasque & tabernas coniunctas in publicum emit, basilicamq; faciendam curauit, quæ Sempronia appellata est. Qui autem volunt Asylum, de quo dictum est, fuisse sub rupe Tarpeia, vt id comprobent citant Ouidii hæc carmina:

Tum quoq; vicini lucus celebratur Asyli,
Qua petit æquoreas aduena Tybris aquas.

Et quanquam hi versus non faciunt de loco Asyli certam fidem, tamen cum in Capitolio, in quo prius fuerat constitutus, fuissent multa templa, atque ædificia excitata, credendum omnino esse censemus, in alium locum esse translatum, atque in eum quem dicunt totum id spatii occupauisse, quod est à rupe Tarpeia, hinc ad forum boarium vsque, inde ad pontem Senatorium, & ad radices vsque Auentini montis. Hactenus Marlianus de Asylo, nos autem quod de hac re apud auctores scriptum inuenimus, retulimus: quod satis esse factum desiderio legentium existimauimus.

CAP. CXXXIX.

Templum Carmentæ.

DICTVRI de templo, seu Fano Carmentæ, non abre videtur aliquid prius de ipsius Carmentæ nomine, & quænam ea fuerit, attingere: Plutarchus namque in vita Romuli sic habet: Carmentam quidam proprium hominum procreationis fatum opinantur esse, ob id hæc sacra matres agitare. Alii Euandri Arcad. matrem fatidicam, eam Phæb. dicatam fuisse tradũt, & Carmentam, quod carmine responsa ederet nuncupatam: Nicostratæ enim proprium illi nomen fuerat: hæc communior de Carm. opinio est, quæ plurimos auctores habet. Nonnulli tamen nomen Carm. sane haud inepte interpretantur, vt sit Carmenta amens & mente carens quod numine afflata furere, atq; insanire sit solita. Hactenus Plutarchus de nomine ipsius Carmentæ, Marlianus vero lib. 1. c. 3. vbi de portis vrbis Romuli agit, postquã de porta Carmentali nõnulla disseruit, citat Solinũ his verbis: pars infima Capitolini montis habitaculum Carmentæ fuit, vbi Carmentale fanũ nunc est, à qua Carmentalis portæ nomen est, &c. Deinde vero libro tertio, capite duodecimo, vbi de Foro Holitorio, & de quibusdam Templis agit, hæc infert: Fanum Carmentæ sub Capitolio esse scribit Dionysius: meminit & Gellius li. 18. ca. 7. Obiter tangens Fanũ Carmẽtis (vt

tis(vt ipſe ait)Poſitum autem fuit apud portam Carmentalem à Carmenta, vt ſupra diximus, nuncupatam: vbi reliquiæ S. Catharinæ hodie cernuntur. Quod ſi fanum mulieres Romanæ ei deæ ædificarunt, gratiam referentes, quod vehiculo, quibus S. C. priuatæ fuerant, ipſis eſt reſtituta. Carmenta enim Euandri mater fuit, Nicoſtrata prius appellata: quæ quia carminibus oracula edebat, Carmenta poſtea eſt dicta, ab eaque carmina auctore Plutarch. in problem.

CAP. CXL.

Templum Æſculapij in Inſula Tyberina.

MArlianvs de templo Æſculapii in Inſula Licaonia(ſic enim vocitata eſt Inſula Tyberis, à templo nempe Iouis Licaonii ibidem conſtructo)ſic ſcriptum reliquit, collectis ex authoribus fide dignis iis, quæ ſequuntur: ait enim lib. 2. cap. 16. loquens de Inſula Tyberina, ac templis quæ in ea fuere in hunc qui ſequitur ordinem: Tota erat Æſculapio ſacra, propter eius ſimulacrum ex Epidauro in eam aduectum, vt refert Liuius. De eo autem Plin. lib. 29. cap. 4. num. 50. ſic meminit: atqui anguis Æſculapius Romam aduectus eſt, vulgoque paſcitur, & in domibus. Vnde forma nauis, qua ſimulacrum aduectum dicitur, non modo Inſulæ eſt data, verum memoria eius rei cauſa, nauis etiã ex lapide thaſio ſculpta in eiuſdem Inſulæ puppi collocata fuit, quæ etiam hodie viſitur, & in altero eius latere ſerpentis ſimulacrum. Ædes eiuſdem Dei poſita erat vbi nunc S. Bartholomæi, eſt templum: de qua Sex. Pom. ſic meminit: In Inſula Æſculapio facta fuit ædes: quod ægroti à medicis aqua maxime ſuſtententur: Eiuſdem eſſe tutelæ draconem aiunt, quod vigilantiſſimum ſit animal: quæ res ad tuendam valetudinem ægroti maxima eſt. Canes adhibentur eius templo, quia is vberibus canis ſit nutritus: bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis. Laurea coronatur, quod ea arbor ſit plurimorum remediorum. Huic gallinæ immolabantur, eo quod infirmis eiuſmodi præcipue altilibus opus ſit. Aliqui vero voluntædem hanc in Inſula fuiſſe conſtitutam, quod fluxu & motu aquarum aer ſit ſalubrior: alioquin extra vrbem collocari ſolebat, quod Plin. etiam affirmat lib. 29. ca. 1. his verbis: Ideo Romani templum Æſculapii, etiam cum reciperetur is deus, extra vrbem feciſſe, iterumque in Inſula traduntur. Hoc templum Lucretium Prætorem tabulis pictis ex præda exornauiſſe commemorat Liu. tertio decad. quintæ. Prope ipſum fuit Noſocomion, vbi ægroti curabantur. Quo in loco cum quidam ægra, & affecta mancipia tædio medendi expoſuiſſent, Claudius Imp. liberos eſſe ſanxit. Ad Æſculapii autem fuiſſe Iouis templum docent Ouidii hæc carmina:

Quod tamen ex ipſis licuit mihi dicere faſtis
Sacrauere patres hæc duo templa die.
Accepit Phœbo, nymphaq; Coronide natum
Inſula, diuidua quam premit amnis aqua.
Iupiter in parte eſt, cœpit locus vnus vtrunq;:
Iunctaq; ſunt magno templa nepotis auo.

Hæc à Marliano de templo Æſculapii, quod in Inſula Tyberina fuit.

CAP. CXLI.

Balnea Pauli Æmilij.

BAvli Æmilii Balnea prope Quirinalem fuerunt, qui locus olim dicebatur, Mons ad Balnea Pauli, nunc autẽ corrupto vocabulo Mons ad bagnanapoli, vel magnanapoli vulgo dicitur: in eo maxime loco vbi ad præſens cœnobium monialium Sancti Sixti, & in ſequenti cliuo vergens ad Eccleſiam Sanctæ Agathæ, quo loci dum in exæquanda via, quæ ſtrata eſt à Sixto Papa V. de menſe Septembri anni 1586. reperta ſunt balinea quædam tabulis

bulis marmoreis incruſtata: prope hæc ſunt ædes hinc Vitellior. inde Comitum, ac turris quæ militiarum dicitur ſed videndum quid de illis ſpecifice Marl. dicat, ipſe enim lib. 4. cap. 22. eius Vrbis Topographiæ loquens de monte Quirinali, ſic ait: Balinea Pauli Aemilium proximo fuere, vbi nunc Monialium eſt habitaculum, locusq; dicitur Bagnanapoli. In deſcenſu cliui qui ad Viminalẽ vergit, à dextra annis ab hinc duodecim vidimus ſacellum variorum piſcium, marinarumq; concharum nobili pictura adornatum, quibus inditis Neptuni fuiſſe omnes aſſerebant, &c.

CAPVT CXLII.

Baſilica Diui Antonini.

BASILICA principio dicta fuit domus ampla & ſpatioſa, cauſarum cognitioni deſtinata, ab eo (vt creditur) dicta, quod principes eo adius dicendũ conuenirent, aut quod Græci τοῦ βασιλέος appellatione, etiam iudicem intelligerent, aſtipulante etiã Heſiod. qui δωροφαγῆς appellat βασιλῆας hoc eſt, doniuoros iudices interprete Budęo. Plinius in epiſtol. Deſcenderam in baſilic. Iuliam auditurus, quibus proxima comperendinatione reſpondere debeam. Erat autem baſilica templo perſimilis, ambulationibus ampliſſimis inſtructa, ad quam multi tota ex vrbe, alii cauſas agendi, alii conſultandi, alii aliud agendi gratia confluebant, Cic. ad Attic. li. 2. Baſilicam habeo, non villam frequentia formianorum. Poſtea etiam baſilicæ ædificatæ in vſum negotiorum, eæque in locis foro proximis, de quo videndus Vitru. li. 5. Baſilica autem Antonina, quam Marlianus porticum, ſeu palatiũ Antonini Pii vocitat, ita de ea lib. 5. cap. 4. aſſerit: Extat, inquit, iuxta ædem Sanct. Stephani de Trullio porticus, cuius principium & finis non apparet: columnæ tamen marmoreæ ingentes numero vndecim ſtantes ita diſpoſitæ cernuntur, vt ex his, aliisque eiuſdem generis nuper à tergo harum effoſſis, porticum quadratã fuiſſe dubium non ſit: ſiquidem ſub ipſis columnis locus eſt ampliſſimus concameratus in modum cellæ vinariæ, vt falſum eſſe conſtet, quod aliqui dicunt, ibi fuiſſe templum eiuſdem Antonini vel Martis, &c. De hac porticu ſeu Baſilica hactenus habet Marlianus, quem primum ex recentioribus in hac re ſequendum duxi, cum explicatius præ cunctis de vrbis locis, ac cæteris aliis agat.

CAP. CXLIII.

Caſtra Prætoria.

CASTRVM quid ſit, vel potius caſtra multitudinis numero, ipſe nominum compilator ſic docet: Caſtra, inquit, appellantur loca in quibus milites tentoria fixerunt, vel ipſa tentoria vbi milites diuerſantur. Cic. ad Atti. Cum Cæſar ad oppidum caſtra haberet: Vnde & de nauibus Virgil. dixit: Nos caſtra mouemus, quoniam in illis milites eſſent. Cæſar. 5. bell. Gall. imperat, vt caſtra naualia adoriantur, dicta à caſtri ſimilitudine, quod foſſa vallo q; quaſi muro circundari ſolent. Hinc Caſtra Prætoria dicta vbi prætoriæ cohortis milites diuerſabantur, Prætorii dicti à Prætore, id eſt, Imper. corporis ſui cuſtodiæ cauſa delecti, Cic. pro Cœlio. Nemini vnquã Præt. maiores honores habuerunt. & Plin. li. 9. c. 6. ſic meminit. Prætendi iuſſit Cæſ. plagas multiplices inter ora portus, profectusq; ipſe cum Prætorianis cohortib. pop. Romano ſpectaculum præbuit, &c. Marlian. vero de his caſtris li. 5. c. 27. loquens de via Appia, ac de aliis quę in ea fuerunt, ſic ait: Circus Antonini Caracallæ is eſt vt pleriq; omnes conſentiunt, cuius ingentes ruinæ, & inter eas Obeliſcus metarumq; veſtigia non procul ab æde S. Sebaſtiani cernuntur, vbi aiunt, prius Prætoria caſtra à Tiberio Cæſare fuiſſe conſtituta. Nã Suetonius ſcribit, hunc Romæ caſtra cõſtitiſſe, quib. Prætorianæ cohortes vagæ ante ea tẽpora, & per hoſpitia diſperſæ cõtinerentur. Hactenus Marlianus. At Pyrrhus Ligorius Neapol. qui noſtra tempeſtate pictor, antiquarius, & ar-

& architectus non contemnendus extitit, in chorographia quam protulit antiquæ vrbis, quæ in hunc vsque diem multis in locis cernitur, Castra Prætoria intra vrbis mœnia locauit. Sed iam videamus quid de hisce castris diffusius quam cæteri Blondus Flauius scriptum reliquerit, ipse enim libro secundo, num. 87. & seq. agens de re militari, ita prosequitur: Res militaris, cuius disciplina rem auxit, & tutata est Romanam, nullum ante violatam à principibus libertatem, locum in vrbe habuit. Nam etsi Capit. Arcem videmus vbique appellari: tamen Romani nullo vnquam præter inuasionis Gallor. Senonum tempore, pro munitione & tutela sunt vsi. Etsi vero Octauianus Augustus locum castris in vrbe primus omnium principum constituit, nulla tamen alia ratione id fecit, quam ne milites vagi, & per vrbem dispersi, rapinis, tumultu, & contentionibus ciuitatem redderent inquietam. Hinc Rauennatium in Ianiculo, & Misenatium, peregrinorumque militum in Cœlio monte castra sunt ab illo constituta. Tiberius autem pernicioſissimam ciuitati libertatique etiam impiorum exorsus, castra, sicut ait Suet. Romæ constituit, quibus Prætorianæ cohortes vagæ ante id tempus, & per hospitia dispersæ continerentur. Fuitque eius arcis, & tyrannidum fomitis locus, quem apud S. Sebastia. via Appia, ad caput bouis appellant. Primus autem qui horum Castrorum & corruptæ præmio eius militiæ præsidio, Consulibus. Senatuque renitentibus, imperium assumpserit, fuit Claudius, quod Sueto. verbis ostendere libet: Claudium latentem forte discurrens gregarius miles animaduersis pedibus ex studio sciscitandi quisnam esset agnouit, exauctumque & præ metu ad genua sibi accedentem Imperatorem salutauit. Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc, quam frementes perduxit, ab his lecticæ impositus, & quia sui diffugerant, vicissim succolantibus, in castra delatus est tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad cœnam raperetur insons. Receptus intra vallum, inter excubias multum pernoctauit, aliquanto minori spe quam fiducia. Nam Coss. cum Senatu cohortibusque vrbanis forum Capitoliumque occupauerant, asserturi Romam in libertatem: accitusque & ipse per Trib. Pl. in curiam, ad suadenda quæ viderentur, vi & necessitate teneri respondit. Verum postero die & Senatu segniore in exequendis conatibus, per tædium, & defensionem diuersa crescentium, & multitudine quæ circumstabat, vnum rectorem iam, & nominatum exposcente, armatos pro concione in nomen suum iurare passus est, promisitque singulis quindena sestertia, primus Cæsarum fidem militis etiam præmio pignoratus. Hactenus Suetoni. & prosequitur idem Flauius. Si quis autem Castra Prætoriana, vtrum in Vrbe sicut aliqui contendunt, an extra Vrbem, sicut diximus fuerint certius nosse cupit, Corne. Tacitum legat, vbi de Galbæ morte, & nouo Othonis Imperio tractans, prælium narrat, quod acerrimum est commissum in Circo Maximo, in Capitolio, & Palatio, vbi apertissime apparet prætorianos milites munimento Castrorum innixos Coss. Senatui, & Romano Populo aliter sentientibus, quos voluerunt tyrannos effecisse, & multorum bonorum cædem in Vrbe commisisse. Helius Spartian. ingressum Seueri Imperatoris in vrbem Romam talem describit: Quum Romam venisset Seuerus, Prætorianis cum subarmalibus inermes iussit sibi occurrere: eosdem sic ad tribunal vocauit armatis vndique circundatus. Eo autem processit Prætorianorum militum, siue auctoritas, siue audacia, vt quem velĕt Imperatorem facerent, factumque Imperio deturbarent. Helius Lampridius narratis Heliogabali flagitiis, talia scribit, per quæ ostendit Imperii ac vitæ, & necis illius arbitrium in Prætorianos fuisse constitutum. Suntque hæc Lampridii verba: In castris vero milites precanti Præfecto dixerunt, se parsuros esse Heliogabalo sic, vt impuros homines, & aurigas ab se dimoueret, atque ad bonam frugem rediret, & Iul. Capitolinus in Maximor. vita ostendit ædem fuisse in Prætorianis castris, in quam Senatus aliquando vocari consueuerit, præsertim cum de abrogando alicui Imperio agendum esset. Sicque abrogato Imperio Maximinis patri & filio, Gordiani duo pater item & filius in æde Castrorum declarati sunt Augusti: cuius Senatus consulti hanc formam Lampridius ponit. Quum ventum esset in ædem castrorum sexto Calendarum Iuliarum &c. Iul. Capitolinus Pupieni, & Balbini Imperatorum gesta describens, quantum Castra Prætoria Romæ obfuerint ostendit his verbis: Et Maximino quidem ad bellum profecto, Romæ Prætoriani remanserunt, inter quos & populum tanta seditio fuit, vt ad bellum veniretur

retur inteſtinum,Romæ pars maxima incenderetur, templa fœdarentur,omnes plateæ cruore polluerentur,& infra; Interea Romæ iterum ſeditiones inter populum, & milites ortæ, vt nec cum edicta proponeret Balbinus audiretur. Veterani ſe in caſtra Prætoria contulerunt cum ipſis Prætorianis, quos cœpit populus obſidere; nec vnquam ad amicitiam eſſent reducti, niſi fiſtulas aquarias populis incidiſſet. Et idem Capitolinus prædictorum Imperatorum vitæ exitum narrans, hæc habet verba, quæ Caſtra Prætoria extra Vrbem fuiſſe demonſtrant; In hac contradictione illis contendentibus, milites ſuperuenerunt, atque eos nudatos ambos veſtibus regalibus, de Palatio cum iniuriis perduxerunt, & per mediam ciuitatem ad caſtra raptare voluerunt magna ex parte laniatos. Sed vbi compertum eſt Germanos ad defenſionem illorum ſuperuenire, ambos occiderunt, & in itinere medio reliquerunt. Inter hæc Gordianus Cæſar ſublatus à militibus, Imperator eſt appellatus Auguſtus, quia non erat alius in præſenti, inſultantibus militibus Senatui,& Pop. Rom. qui ſe ſtatim in caſtra receperunt. Idem quoque Capitolinus ſcribit, Senatuſconſultum de Imperio Valeriani principis optimi in Prætorianis caſtris factum fuiſſe,&c. Hactenus Blondus Flauius de Caſtris Prætoriis: quæ vti ipſe ſcribit, & ex ſuperius narratis, nulli dubium eſſe puto, quin bina fuerint Caſtra Prætoria, altera nempe Vrbana, ſcilicet in ipſa vrbe erant: altera vero externa, quæ extra Vrbem, ſeu mœnia ipſius Vrbis,& via Appia fuiſſe traditur.

CAP. CXLIV.

Circus Antonini Pii Seueri, qui & Caracalla.

CIRCVS M. Antonini Pii Aug. L. Septimii Seueri Imp. filii, qui & Caracalla vocitatus eſt, exſtat adhuc pene integer via Appia ſecundo ab vrbe lapide, vbi Caſtra Prætoria fuiſſe nonnulli prodidere, inter eccleſiam S. Sebaſtiani,& ſepulcrum Ceciliæ Metellæ M. Craſſi vxoris, qui locus hodie dicitur caput bouis, in quo etiam noſtra ætate cernitur iacens obeliſcus confractus, notisq; hieroglyphicis inciſus, ac metarum ſigna,& ſedilia circumiacentia: de quo Marlianus lib. 5. c. 27. loquens de via Appia ita ſcribit: *Via præterea* Appia hortos Terentianos fuiſſe legimus XX. iugerum. Circus Antonini Caracallæ is eſt, vt plerique omnes conſentiunt, cuius ingentes ruinæ, & inter eos obeliſcus, metarũque veſtigia non procul ab æde D. Sebaſtiani cernuntur: vbi aiunt prius Prætoria Caſtra à Tyber. Cæſ. fuiſſe conſtituta,&c. Raphael Volaterranus putat circum hunc ob Prætorianorum exercitationem fuiſſe conditum, lib. 6. Comm. Vrban.

CAP. CXLV.

Amphitheatrum Statilii Tauri.

STATILII Tauri Amphitheatrum, qui inter primarios ciues Roma. Auguſti tempore floruit, videtur adhuc dirutum in cœnobio baſilicæ S. Crucis in Hieruſalem in agro Seſſor. & in ipſis mœnibus vrbis, quod lateritium, vt plurimum eſt. De hoc Marl. lib. 4. c. 9. loquens de Palatio Seſſoriani & ceteris ibi proximis, in hæc habet verba: In proximo loco extant Statilii Tauri Amphitheatri reliquiæ, quod Statilius poſuit, Auguſto ciues Roman. hortante, vt pro viribus quisq; conaretur vrbem exornare, auth. Sueton. qui etiam commemorat Caligulam munera gladiatoria partim in Statilii Amphitheatro, partim in ſeptis aliquot egiſſe,&c. Blondus Flauius Romæ inſtauratæ lib. 1. nu. 87. de hoc Amphitheatro obiter, ſic ait. Viſitur quoq; in Cælio monte portam inter nunc dictam Maiorem, quã olim diximus fuiſſe Neuiam,& Amphitheatrum ſemidirutum, quod Statilii Tauri maiores appellauerunt S. Crucis in Hieruſal. eccleſia, Helenæ Conſtantini Flauii genitricis opus,&c. & Raphael Volaterranus Commentariorum Vrbanorum, lib. 5. ſic infert. Amphithea-

phitheatra duo, primum Titi notissimum fontes habebat duos ad recreandum æstu laborantem turbam : alterius sane fontis, nunc in via inter Amphit. & Arcum Const. supersunt vestigia, habuique ego iam vetus numisma habens à tergo Amphitheatrum cum his fontibus. Alterum Tauri Statilii ex hortis cœnobii S. Crucis ostenditur, &c. Sed de his hactenus.

CAP. CXLVI.

Templum Fortunæ Virilis.

NONNVLLI scriptorum ex recentioribus opinati sunt, templum Fortunæ Virilis fuisse pudicitiæ dicatum, inter quos & Marlianus lib. 3. cap. 16. in figura Vrbis, vt ipse ait, communem est opinionem secutus. Sed tamen ipse quoque fatetur esse fortunæ, quod præter verba Dionysii eius quoq; structura suadeat, cum sit Ionica, quæ media est inter Corinthiam, & Doricã: Nam ex Vitruuii sententia, huic potius Deæ conuenit. Nam & ipsa media est, bona scilicet & mala, cuius templi longitudo est pedum 56. latitudo 26. De hoc itidem ipse Marlianus eodem ferme loco, postquam de foro piscario commeminit, ita scribit: Diuæ autem Mariæ Ægyptiacæ hodie sacratum, olim vero Fortunæ Virili Templum pene integrum etiam nunc extat. De eo Dionysius sic ait: Duobus extructis templis Fortunæ, altero in foro Boatio, altero ad ripas Tyb. quam appellauit virilem. Et quanquam de hoc variæ opiniones sint, nemo tamen suam sententiam probato auctore tuetur. Subdit deinde idem auctor, in hoc templo fuisse statuam ligneam Ser. Tullii auro superfusam, quæ, orto incendio cæteris conrematis, sola incorrupta permansit, auctore Val. Max. Legimus apud Strabonem, Lucull. Fortunæ templum struxisse, eius sunt hæc verba: Lucullus cum ædem Fortunæ construxisset, & porticum quandam, statuas, quas Mamius habebat, petiuit in eum vsum, vt ædem exornaret ad ostentationem: mox deinde fore, vt restitueret, minime restituit, sed eas, vt dona deæ posuit. De qua autem Fortunæ æde Strabo intelligat, dubium est, &c. Hactenus Marlianus.

CAPVT CXLVII.

Viuarium.

QVo loco Viuarium fuerit multi ex Romanis incolis probe norunt, nam & idipsum nomen adhuc retinet, (extat enim prope Vrbis mœnia intra portam quæ nunc Pia vocatur, & S. Laurentii) quid autem fuerit oppido, quam pauci. Nam putant nonnulli hoc fuisse viridarium quoddam, aut huiusmodi quidpiam virens, arboribusq; consitum: sed horum nihil in eo, tantum enim abest virentis quicquam in eo fuisse, vt Sylvestrium animalium belluarumque cubilia & diuersoria totum id spatii passim occupauerit. Nam Pop. Roman. publica cum edere spectacula soleret, in quibus multa variaq; animantium belluarumque siluestrium genera, vtputa leones pardos, pantheras, tygres, rhinocerotas, elephantosque, & id genus similia producere vellet, hæc in aliquo loco publico, suo tempore emittenda, alere, & asseruare consueuit: & quoniam ibi animalia quæq; viua seruabantur ad huiusmodi spectacula, hinc locus ille Viuarium est appellatus. Sed quid Marlianus de eo scripserit, iam videamus. Ille enim libro 5. cap. 25. loquens de Via Nomentana, & aliis, quæ in ea sunt, sic ait: Extra Querquetulanam autem portam, locus est quadratus, parietibus circumseptus, qui dicebatur Castrum Custodiæ, vbi fuerant olim in statione milites prætoriani Diocletiani, vt quidam testatur. Procopius scribit: E regione Viuarii extra muros veteres alterum breuem murum modico interuallo adieciisse, non ad tutelam, sed ad delicias, vt leones, & alias feras ibi seruarent, quem locum olim Viuarium, nunc vero qui ibi prædia habent, Viuariolum vocant. Hactenus Marlianus.

CAP.

CAP. CXLVIII.

Campus Exquilinus.

CAMPVM Exquilinum, in ſummitate Exquiliarum fuiſſe conſtat, vnde nomen ſumpſit, in ea parte qua domus poſtea Mecœnatis exſtructa eſt: Campus namque locus patens, & apertus eſſe videtur, quaſi à capiendo dictus, quod longe lateque in planum pateat. Campus Iudæorum etiam Romæ ætate noſtra, dicitur ager ille Tranſtyberinus ſub Ianiculo poſitus, ac prope portam olim Naualem, quæ & Portuenſis hodie dicitur, vbi Iudæi defunctorum ſuorum cadauera humantur. In Exquilino igitur Campo pauperes qui ob inopiam funus ſibi efferre, & conflare non erat, hic publico officio cremabantur, ac buſta eorum in puticulis, quos vocabant, eodem ferme loco circumquaque diſpoſitis deiiciebantur. Sed cum nidor vſtrinæ huius diu multumque Vrbem affeciſſet, tandem Auguſtus Cæſar ex eo loco funus hoc amouendum curauit, Mecœnatique tradidit locum hunc. Sed quid de hac tota re Marlianus dicat, quæſo videamus; ipſe enim libro 4. cap. 19. dum loquitur de aggere Tarquinii Superbi, & hortis Mecœnatianis, quæ in Exquiliis fuerunt, ita ſcribit: Hi horti fuerunt in Campo Exquilino, inter dictum aggerem & mœnia Vrbis ſito, vbi prius cadauera ſepeliebantur. Locum innuit Sex. Pomp. his verbis: Puticuli ſunt appellati, quod vetuſtiſſimum genus ſepulturæ, vt puteus fuerit: & dicti puticuli, quia ibi cadauera putreſcunt: quem locum publicum vltra Exquilias fuiſſe prodidit Helius. Eundem locum attingit Cic. vbi inquit: Senatum cenſere, atque è Repub. exiſtimare Ædilium Curulium edictum, quod de funeribus habeant Ser. Sulpitii Q. Fil. Lemoniæ Rufi funeri mittere vtique locum ſepulcro in campo Exquilino C. Panſa Coſ. ſeu quo in loco videtur pedes triginta quoquo verſus deſignet, quo Ser. Sulpitius inferatur: quod ſepulcrum ipſius, liberorum, poſterumque eius ſit. Fuit autem poſtea conſuetudo, vt ibidem cadauera comburerentur. Sed cum nidor eſſet Vrbi pernicioſus, Auguſtus ſtudens aerem emendare S. P. Q. R. conſenſu Campum hunc Mecœnati conceſſit, vbi fecit hortos, quos ſuperius demonſtrauimus. In eodem Campo plurima variaque ſepulcra effodi vidimus variis exornata marmoribus. Quædam erant concamerata vnica teſtudine, alia duplici concameratione, vt ex ſuperiore in inferius ſepulcrum eſſet deſcenſus. Erant & pauimenta teſſellata vermiculataque in parietibus per ambitum loculi, in ſingulis vrnæ binæ: extra cameram ſepulcri longitudinis latitudinisque inſcriptio. Quædam vero ſepulcra ex pluribus conſtabant parietibus parum inuicem diſtantibus, in quibus vrnæ ſimiliter binæ fere contiguæ, modicoque interuallo aliæ binæ, & ſuper his totidem, ita vt ex ordine decedentium vrnæ additæ nouo includerentur muro. Hæc pauperum, illa diuitum ſepulcra fuiſſe opinamur. In vrnis autem oſſa, cineres & carbones adhuc erant. Erat & vas vſtrinum appellatum, quod in eo cadauera comburerentur, in quo & vitreum vaſculum fuit repertum, in eoque ſuauiſſimos liquores multi fuiſſe aſſerebant, quibus etiam cadauera aſpergerentur, &c. Hactenus Marlianus de Campo Exquilino. Ego vero Campum hunc extitiſſe crediderim, vbi ad præſens ætate noſtra viſuntur vineta Cœnobii Monachorum Sanctæ Praxedis, qui vallis Vmbroſæ dicuntur; quibus ex multis Carinarum locis patet proſpectus; nam & ea Campi ſuperficies plana eſt & ampla, ac (quod maxime ad rem facit) ſupra ipſarum ædium ruinas, quæ Mecœnatis exiſtimantur, poſita eſt.

CAP. CXLIX.

De Agricultura.

SI figuram hanc rite rectèque consideremus, neutiquam prorsus aliud innuere videbitur, quam quod à præstanti aliquo viro, cuius nomen ignorare me tædet, quod & hic apposuissemus, sequenti interpretatione ostendisse videmus, & licet pluribus locis in Vrbe huiusce simulacri videantur fragmenta, nempe vnum affixum muris ædium S. Marci sub turri in ipsa platea, alterum pene integrum in ædibus Cæsianis prope Vaticanum; tertium vero perfectius aliis vnde hæc sumpta sunt, ex ædibus (vt ipse interpres ait) quondam Octauiani Zeni, prope Theatrum Pompeii integrum adhuc cernitur, cuius tenor talis est, vt sequitur.

Hac vetusta marmorea tabula, quæ Romæ in ædibus Octauiani Zeno prope Theatrum Pompei, & Campum Floræ exstat, vbi satrium dicitur, hisce signis ornata; veteres rerum naturalium periti, optimi Agricolæ munus significare voluerunt.

K M G H C A F D B
Qui assiduo labore die noctuque tribus Solis, quatuor Lunæ stationibus, & naturali
E Q P O I
vtriusque sideris cursu obseruatis, fortitudine, prouidentia, fide, & diligentia ter-
L N T X
ram fatigando, rem agrariam tractat: & proinde earum frugum, quæ lucis & tenebra-
V R S
rum tempore creantur, oriuntur, excolunturque vberrimum prouentum fert.

Declaratio specifica omnium imaginum in hac Tabella contentarum.

A. Sol oriens.
B. Rerum natura solis comes.
C. Tria solis tempora, Oriens, Meridies, Occidens.
D. Luna occidens.
E. Rerum natura velox Lunæ sideri præcipiti comes: ideo alata:
F. Quatuor Lunæ tempora, noua, semiplena, plena, iterum semiplena.
G. Dies facem extollens.
H. Nox facem deiiciens.
I. Coruus, qui diligentiam significat.
K. Terræ laborator optimus & diligens agricola.
L. Bos siue taurus, qui terram designat.
M. Cladius tauro infixus, qui laborem ostendit.
N. Sanguis qui terræ fructus demonstrat.
O. Canis quo amor & fides.
P. Serpens quo prouidentia.
Q. Leo quo robur vel fortitudo significatur.
R. Cancer qui creationem.
S. Scorpio, qui generationem.
T. Spicæ, quæ terræ fructus designant.
V. Arbor nocturna cum Scorpione, quæ generationem.
X. Arbor diurna cum bouis capite laborem significant.

Hactenus de signis quibus totius Agriculturæ scopus designatur.

CAP. CL.

Obeliſcus Sanctæ Mariæ Maioris in Exquilijs.

OBELISCVS qui ætate noſtra hoc anno M.D.LXXXVII. erectus eſt à Sixto V. Pont. Max. ante baſilicam S. Mariæ Maioris in Exquiliis, diu iacuit ante fores eccleſiæ Sancti Rochi; vnus enim eſt è duobus qui erecti erant in Mauſoleo Auguſti prope eandem eccleſiam, multasque erat fractus in partes; cui ſuperimpoſitum eſt ſacroſanctæ Crucis ſignum, vna cum ſtigmatibus, ſeu inſigniis ipſius Pontificis, tribus nempe montibus & ſtella; ac è conſpectu viæ Felicis ab ipſo ſummo Pontifice apertæ & ſtratæ cernitur: cuique quaterna latera talibus ſunt ad memoriam, & perpetuum monumentum inſcriptionibus obſignata, videlicet:

In eo latere qui Orientem ſeu Eccleſiam ipſam ſpectat, ſic habet.

CHRISTVS PER INVICTAM CRVCEM POPVLO PACEM PRÆBEAT QVI AVGVSTI PACE IN PRÆSEPE NASCI VOLVIT.

In eo vero, qui Meridiem Carina verſus.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM ÆGYPTO ADVECTVM AVGVSTO IN EIVS MAVSOLEO DICATVM EVERSVM DEINDE AC IN PLVRES CONFRACTVM PARTES IN VIA AD SANCTVM ROCHVM IACENTEM IN PRISTINAM FACIEM RESTITVTVM SALVTIFERÆ CRVCI FELICIVS HIC ERIGI IVSSIT AN. M. D. LXXXVII. PONT. III.

In latere Occidentis viam Felicem verſus, hæc leguntur.

CHRISTVM DOMINVM QVEM AVGVSTVS DE VIRGINE NASCITVRVM VIVENS ADORAVIT SEQ. DEINCEPS DOMINVM DICI VETVIT ADORO.

Ea vero quæ Septentrionalem plagam, ac aggerem Tarquinii, & Suburbanum ingens ipſius ſummi Pontificis ſpectant, hæc ſunt, in perſonam ipſius Obeliſci:

CHRISTI DEI IN ÆTERNVM VIVENTIS CVNABVLA LÆTISSIME COLO QVI MORTVI SEPVLCRO AVGVSTI TRISTIS SERVIEBAM.

CAP. CLI.

Statua Herculis ænea.

INFANTIS Herculis ſerpentis occidentis duo quam mira antiqua ſimulacra Romæ viſuntur, alterum æneum, alterum marmoreum, illud olim Reuerendiſs. Antonii Fuſconi Nurſini Epiſcopi Aquinatis, vt ferunt; hoc vere quond. Reuerendiſs. D. Hieronymi Garimberti Parmenſis Epiſcopi Galleſani, omnigenæ dum viueret ſe lectæ antiquitatis exultoris: quæ amborum inter ſe operis excellentia æque certare videntur. Sed quid hæc ſimulacra velint, iam videamus. de hiſce enim auctorem non habeo quem ſequar: ſed quod ad hiſtoriam pertinet agamus. Macrobius Saturn. lib. 3. c. 6. vbi de ſacris quæ teſte Virg. Apollini Delio & Herculi fieri ſolita ſcribit, ſic ait: Idem curauit Herculem vocando victorem.

. . . *hæc (inquit) limina victor.*

Alcides ſubiit. Varro rerum humanarum lib. 4. victorem Herculem putat dictum quod omne animalium genus vicerit, & infert, Romæ autem victoris Herculis ædes duæ ſunt, vna ad portam Trigeminam, altera in foro Boario, &c. Hæc Macrobius. Sed cum de ſtatua hac ænea Herculis, in infantia conſtituti noſtrum ſit inſtitutum ediſſere, & quid ſibi velit labor ille in ea ætate cum ſerpentibus dimicare, ac eius hiſtoria, eam rem totam ordine pendamus. Nam vt prætereamus id quod M. Varronem ſcripſiſſe conſtat, nempe 43. quos ipſe nominauit, Hercules fuiſſe, ac quod idem Macrobius, omnes quotquot

robore præstiterunt Hercules fuisse vocatos,& quod Cic.lib.3.de Nat.Deor.sex hoc nomine appellatos fuisse commemorauerit:vnum tantum nobis Herculem Thebanum Iouis nempe & Alcmenæ filium,qui ob fortitudinem & gloriam creditus fuit inter deos esse relatus,ac duodecim eius præcipuos labores quos viriliter sustinuit ad præsens enitendam.Primo itaque cum adhuc in cunabulis infans iaceret, geminos angues (vt in hoc simulacro cernitur)à Iunone immissos,vt eum occiderent,elisit. Sed vt paulo altius id tractemus,sic se res habet. Cum Iuno resciuisset Alcmenam Electrionis filiam Amphitrionisque Thebanorum regis vxorem,à Ioue cognitam,atque ex eo Herculem infantem esse prognatum, odio accensa, misit duos angues , vt puerulum statim deuorarent;quos Hercules in cunabulis adhuc vagiens vtraque manu comprehensos occidit: vt in hoc simulacro ostenditur, & sic primas à Iunone sibi paratas insidias euasit: Secundo vero iam adultus Hydram colubris & capitibus pullulantem, face & ferro in lerna palude oppressit. Tertio Ceruam æripedem,aureaque habentem cornua in Menalo monte cursu comprehendit, atque interfecit. Quarto in Nemea silua, iuxta Cleonas inusitatæ magnitudinis leonem iugulauit,& detractam pellem pro insigni gestauit. Quinto Diomedem Thraciæ regem,qui equos suos hospitum carnibus & sanguine pascebat, deuicit, victumque ipsius equis in pabulum dedit. Sexto in Erimantho Arcadiæ monte terribilem aprum, & omnia circa illum locum deuastantem, cepit, eumque viuum ad Eurystheum Stheneli Mycenarum regis filium attulit. Septimo Stymphalides aues, sagittis, vt quidam volunt, interfecit, vt alii sonitu ahenei crepitaculi, vsque ad insulam Aretiada fugauit. Octauo Taurum cui Neptunus furorem immiserat, eo quod Minos Neptuno sacrificaturus , optasset victimam maiestati illius dignam , cui cum pulcherrimus taurus ab eodem deo fuisset oblatus , ipsum Minos seruare voluisset insulam Cretam fere totam deuastantem, domuit, eumque vinctum ad Eurystheum attulit, qui postea eum Atticæ regioni immisit,cui plurimum damni intulit,sed à Theseo interfectus fuit apud Marathonem, vt canit Ouid. lib. 7. Metam. Nono Busiridem Ægypti regem hospites suos mactantem occidit. Decimo Antæum gigantem in Lybia, luctu victum suffocauit. Vndecimo Calpen & Abilan montes antea coniunctos diuisit. Duodecimo Aurea mala in Hesperidum hortis, interempto prius dracone peruigili, qui ea custodiebat, sustulit, & tandem vt Decimumtertium addamus, Cœlum iam fesso, & succumbente ponderi Atlante , humeris tulit. Multos aliosque tulit Hercules labores,ob quos Alcides est appellatus , hoc est viribus, robore & fortitudine præstans:nam & Geryonem Hispaniæ regem tricorporem,bello superauit , eiusque armenta abduxit. Cacum latronem Vulcani filium semihominem & flammiuorum oppressit. Centauros domuit , Hesionem Laomedontis filiam monstro marino expositam liberauit,occiso prius Ceto:Amazonas debellauit,earumque reginam Hippolyten cepit,cui baltheum abstulit, Eurystheoque regi tradidit: captam vero Amazonem Theseo bellorum socio dedit. Ad inferos descendit, & Cerberum iter prohibentem triplici catena vinctum ad superos traxit. Tandem Eurytum Oechaliæ regem occidit , ipsamque Oechaliam Vrbem deleuit ac Iolem Euryti filiam sibi in vxorem denegatam(quam tamen parens antea ei desponderat)vi obtinuit , eamq; secum in Euboiam adduxit. Quod cum Deianira coniux resciuisset, maritum suum Ioles amore detineri, per Lycham seruum vestem illi misit,Nessi Centauri sanguine infectam, futurum rata , vt ea ratione languentem viri amorem excitaret, eumque ab aliis auulsum ad se vnam reuocaret, quemadmodum Centaurus ipsi persuaserat. Cum itaque Hercules vestem sacrificaturus induisset,in tantam rabiem versus est, vt constructa pyra seipsum combusserit. Post mortem vero in deorum numerum relatus est. Habentur & aliæ res ab eo gestæ apud Diodorum Siculum, quas inde cupidus lector haurire poterit.

CAP.

CAP. CLII.

Pinea ænea quæ in atrio principis Apostolorum cernitur.

PYRRHVS Ligorius, qui nostra tempestate floruit, quique dum viueret pictor egregius, necnon Architectonicæ artis & antiquarius præstantissimus fuit, in sua quam protulit antiquæ vrbis chorographia, in Hadrianicæ molis summitate pineam æneam miro artificio fabrefactam locauit; quam ad præsens, ac diu ab hinc in medio atrio principis Apostolorum in Vaticano videmus, altitudinis pedum duodecim, latitudinis sex. Etlicet alias vulgo prædicetur, hæc tamen coniectura verisimilis sit, cum hactenus auctorum neminem reperimus, qui de huiusmodi singulatim ad vnguem perscripserit: & si de mole Hadriani multi sunt qui tractent, inter quos Marlian. adeundus, qui lib. 5. cap. 22. loquens de aqua Sabatina, seu Sabbatia, ac de sepulcro Scipionis & Hadriani, sic prosequitur: Inter hunc fontem & Hadriani sepulcrum fuit ingens meta, cuius fundamenta nonnullis ab hinc annis effodi vidimus. Sunt qui velint septem Epulonum fuisse sepulcrum, vel Scipionis de quo Acron sic inquit: deuicta Carthagine virtute Scipionis Africani; cum Afri aduersus Romanos denuo rebellarent, consulto oraculo responsum est, vt sepulcrum Scipionis fieret, quod Carthaginem respiceret: tunc leuati cineres sunt de pyramide in Vaticano, & humati in sepulcro eius in portu, vt Carthaginem respiceret. Gentile tamen Scipionum sepulcrum in via Appia fuisse ostendemus. Huius autem pyramidis & molis Hadriani forma, siue simulacrum visitur in porta ænea ædis S. Petri. Sepulcrum Hadriani iuxta sui nominis pontem positum esse adhuc videtur, licet suis ornamentis expoliatum, in quo legitur titulus, qui sequitur.

L. HAELIO CAES. DIVI HADRIANI AVG. F. COS. II. F.

Spartianus: Fecit, inquit, & sui nominis sepulcrum iuxta Tyberim. In hoc autem ipse primus omnium sepultus dicitur. Et deinde omnium Antoninorum cineres conditos esse ostendunt epitaphia quædam in ipso sepulcro incisa, quæ hic apponere superfluum esse putauimus. Lampridius etiam refert Commodum iussu Pertinacis in monumentum Hadriani translatum, Iulius vero Capitolinus Seueri cadauer illatum in Hadriani sepulcrum in quo & Cæsar pater eius naturalis fuerat sepultus. Idem ait, Antoninum Pium Hadriani patris sepulcrum instaurauisse, eique templum dedicasse. Hanc autem molem describit Procopius his verbis: Hadriani quondam Imperatoris sepulcrum extra portam Aureliam iactu lapidis impositum: primus eius ambitus quadrati figuram habet. Constat enim totus ex marmore pario, summa artificum diligentia ædificatus. In medio huius quadrati rotunda moles assurgit excelsa altitudine, & tanta, vt in suprema eius parte area sit, cuius diameter vix iactu lapidis transigitur. Hæc moles in arcis formam redacta est: castellumque Sancti Angeli vocitant, &c. Hactenus Marlianus de Hadriani mole. Sed non abre apposuimus de Scipionis sepulcro mentionem: circum enim pineam, de qua loquimur, superimposita sunt simulacra aliquot ænea pauonum, ac delphinorum, quæ inaurata olim fuisse videntur: quæque ad ornatum huiusmodi sepulcri Scipionis fuisse inter antiquarum rerum existimatores creduntur. Cæterum de pinea ænea satis sit dictum, quam vt superius demonstrauimus, in ipsa summitate Molis Hadriani ad pulchritudinem & ornatum extitisse traditur.

CAP.

CAP. CLIII.

Forma molis, seu ligneæ machinæ, quod castellum vocitatum est, quo subductus est Obeliscus Vaticanus, ac tum idem, & Circenses, & qui in Mausoleo Augusti fuerat, sublati sunt.

CVM Sixtus V. Pont. Max. in ipsis initiis sui pontificatus anno nempe M. D. LXXXV. de transferendo Obelisco Vaticano à sua priori sede (abditus enim quodammodo erat, ac semisepultus in latenti, & angustiori loco) in forum principis Apostolorum, vbi ad præsens cernitur, ageret: multi ex præcipuis architectonicæ disciplinæ artificibus, nedum Vrbis verum etiam variis ex Italiæ locis (fama audita) conuenere; spectaculum enim ingens, & nouum mirandumq; in Vrbe parabatur, qui singula singuli, & plasticen, & modulum (vt aiunt) certatim producentes, varios pro suo quisque ingenio & viribus ostendere modos, & structuras Obeliscum huiusmodi amouendi, atque euehendi. Verum tandem iussu Pontificis negocium, & tota rei summa Dominico Fontanio ex pago Mili agri Nouocomensis demandata est, vtpote qui illius ædificiis longe ante quam ad Pontificatum eueheretur præfuisset: atque ita vt in imagine cernitur erecta est machina ad tollendam, curuandam, erigendamq; molem maximam, Vaticani nempe Obelisci. Primum enim quaternæ vtrinque maximæq; antennæ sublicesue erectæ sunt, ab vno scilicet & altero obelisci latere; dein totidem singulæ suffultæ sunt trabibus à summo ad imum, ne huc illuc cederent, aut quaterentur: eæ vero quatuor quæ in angulis extitere, duplicatis fulturis pronis à duobus nempe lateribus sunt innixæ. Tum variæ dispositæ sunt hinc inde ligneæ colligationes, transuersis vndiq; intrinsecus & extrinsecus ligaminibus ex arte, & ingenio architectonico; rudentibusq; demum in summitatibus antennarum alligatis, easque contra fulcimenta trahentibus. Superius vero ad totius molis attollendæ sustentationem compositæ sunt trabes arculeatæ quatuor, antennis superimpositæ, laquearium seu tignorum instar, quos equos ligneos artifices vocitant: ac multa alia instrumenta & machinæ. quod non facile in hac plastice delineare omnia fuit. Atque ita primum amoueri Vaticanum Obeliscum vidimus pridie Cal. Maii, Anno 1586. tum itidem non diu post, eodem nempe anno, ac die quarto Iduum Septembris, eodemque armamento, seu castello eundem assurgere: quod quidem maius constructum est in erectione, quam in declinatione. Nam prius, quam è sua sede amoueretur, bases ambæ, seu columina ex eodémet lapide, quæ eundem sustinent, sepultæ erant, adeo quod vnusquisque hominum manibus fere antiquam inscriptionem illius Obelisci attingebat, quæ talis est:

DIVO CÆSARI DIVI IVLII F. AVGVSTO TI. CÆSARI DIVI AVGVSTI F. AVGVSTO SACRVM.

qua ostenditur, cui primum dicatus fuerit, à C. Cæsare, vt creditur, qui Caligula est appellatus. Sed vt nonnihil etiam de ipso amotionis actu eiusdem Obelisci pro viribus, & ingenio edisseramus, vnum erit nobis agendum, vt de quantitate rotarum equorumque, quibus motus illius molis est actus breui tangamus, vt posteri (si tamen tenuia scripta hæc tamdiu viuent, vt ad manus eorum perueniant) qui huiusce rei spectaculo non interfuerunt, hisce saltem aliquatenus scriptum inueniant, aut secum perpendant, quonam hoc fieri pacto potuerit. Mane namque summo, fuit autem hoc nonis Maii eiusdem anni, cum parata essent omnia, quæ ad amotionem tanti saxi opportuna erant, circumquaq; Obeliscum pro loci & situs opportunitate quadraginta machinarum volubilium instrumenta, seu rotæ, vt Ammia. Marcell. vocitat (argana nostrates appellant) sunt disposita, singula singulos triplicatos habentia rudentes, quaternosq; equos validos, qui ea in gyrum agerent, vicinosque viros in singulis itidem, qui & auxilium diuerticulis, & vbi esset opus ferrent, ac ad alia suppeditandum extra adminicula præsto essent, nam & ipsis machinis,

nis centum & sexaginta equi, quatuor nempe in singula, ac octingenti homines diuerti-
culis ipsis astitere. Sed vt ordine quodam præuio ad hanc rem procederetur, ac vno eo-
demq; tempore tum simul verterent, tum etiam vbi esset opus sisterent, adhibitus est tibi-
cen ex cohorte equitum leuis armaturæ, à custodia summi Pontificis, vt omnes simul da-
to signo ad tubæ sonitum equos incesserent: tum interim, si quid non æqui processisset, i-
se operis auctor & caput, pulsata campana, quæ ad hoc in summitate molis locata erat, o-
mnes simul consistebant. Inter vertendum vero adeo ingens trochlearum, ac poliarum
strepitus, stridorque rudentum & rotarum erat, vt terræmotui aut tonitrui simile quid-
piam esse videretur, & vix humanæ voces exaudirentur: sed & campana, & manibus, &
pileis ad consistendum annuerent. Deinde cum exactum esset, quod resarciendum &
colligendum erat, tum denuo signo dato ab ipso architecto, ad tubæ sonitum opus instau-
rabatur, atque adeo vicissim pluries, prout opus erat, tum ad motum, tum etiam ad consi-
stentiam est processum, donec primo die ternos circiter pedes à columine sublatus est: at-
que lignea eidem fulcimenta supposita, vt inde ad vehendum curuaretur. Octauo dein-
de subsequenti die, qui fuit Nonis Maii, ad id peragendum paratis eodem ordine structu-
ris: sed magna ex parte dies ea actione consumptus, tandem vesperi incolumis Obeliscus,
& illæsus in via stratus, & coæquatus est. Verum in ipsa coæquatione hic ordo, vt memi-
ni, seruatus: cum enim lapis hic erectus esset prope antiquam tribunam, quod sacrarium
hodie est basilicæ principis Apostolorum, frangendus fuit paries eiusdem sacrarij ab v-
troque latere, (ex eoque sepulcrum Callisti III. summi Pontificis, quod in ea sacrarij par-
te intrinsecus exstabat tollendum, atque in Ecclesia reponendum) vt dum curuaretur
calx Obeliscisensim retrotraheretur, senis (si probe memmi) rotis seu arganis; quo mox
paulatim in ipsa declinatione pondus machinæ ad terram vergentis tum diminueretur,
tum etiam quo rectius res procederet, vt penitus scilicet prostrata mole, radix Obeliscí
leniter in columine reperiretur; sicque ita demum ex animi sententia res processit, vt ma-
nibus propemodum in planum reposita, & collocata moles videretur. De euectione à
suo priori loco ad forum vsque nihil referre attinet, tum modicum ob interuallum, tum
etiam ob facilitatem euehendi, nam via qua vectus est, ab vna ad alteram sedem in æ-
quum strata ac complanata est, aggeribus vbi esset opus additis, qui ad duorum columi-
num ipsius Obeliscí coæquationem extitere, vt facilius eleuaretur. In subleuatione de-
inde, quæ acta est die quarto Iduum Septembris sequentis, postquam in forum est deue-
ctus, vbi ad præsens exstat; fabricata denuo eadem mole lignea, seu castello aliquatenus
altiori, ob altitudinem nempe duorum columinum, seu basarum, quibus superimponi
debebat, eodem ordine, forma, machinis, & instrumentis, quibus ad declinationem
sunt vsi, in pristinam faciem restituerunt. Iam vero quam à primæua sede conspicuus
appareat, Leonumque inauratorum simulacris æneis quatuor, quasi in Obeliscí fulci-
mentum additis, in singulisque angulis dispositis, facile secernere licet, quantum ab eo
quo prius vidimus statu distet, honorificentiorq; sit; superimposito maxime stigmatibus
summi Pontificis sacratissimæ crucis signo in quo est salus, vita, & resurrectio nostra. Nam
etsi antea pila ænea imposita ei erat, (in qua Iulii Cæsaris extitisse circunferebant) quæ
nempe figura est orbis, & mundi huius: nunc demum pila ablata, & cruce reposita. Hæc est
quæ vincit mundum & potestatem diaboli, in qua Saluator noster triumphauit; quam vti-
nam sic recipiamus, vt gloriam in ea triumphati videamus.

Inscriptio autem quæ vndique post Obeliscí translationem à summo Pontifice ad-
dita est, talis exstat.

In superiori primum parte ab occiduo latere, qui nempe basilicæ
principis Apostolorum opponitur,
sic habet.

SANCTISSIMÆ CRVCI SIXTVS V. PONT. MAX. SACRAVIT E PRIO-
RI SEDE AVVLSVM ET CÆSS. AVG. AC TIB I. L. ABLATVM. M. D.
LXXXVI.

In eodem latere in cippo, seu basi, qua Obeliscus sustinetur.

CHRISTVS VINGIT CHRISTVS REGNAT CHRISTVS IMPERAT CHRISTVS AB OMNI MALO PLEBEM SVAM DEFENDAT.

In eo latere, qui Meridiem spectat.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELISCVM VATICANVM DIS GENTIVM IMPIO CVLTV DICATVM AD APOSTOLORVM LIMINA OPEROSO LABORE TRANSTVLIT, ANNO M. D. LXXXVI. PONT. II.

In eo qui ad Orientem vergit.

ECCE CRVX DOMINI FVGITE PARTES ADVERSÆ VICIT LEO DE TRIBV IVDA.

In ea parte, quæ Septentrioni opponitur.

SIXTVS V. PONT. MAX. CRVCI INVICTÆ OBELISCVM VATICANVM AB IMPVRA SVPERSTITIONE EXPIATVM IVSTIVS ET FELICIVS CONSECRAVIT ANNO M. D. LXXXVI. PONT. II.

Inferius vero minoribus litteris, sic habet.
Dominicus Fontana ex pago Mili agri Nouocomensis, transtulit & erexit.

CAP. CLIV.

Equi ænei simulacrum in ædibus Oricellariorum.

EQVI ænei simularum ingens, quod ad præsens in ædibus Oricellariorum visitur, prope arcum Domitiani (decem enim cubitorum, seu maius viginti palmorum altitudinis, totidemq; lõgitudinis exstat) de anno 1563. & 1564. pro Henrici II. Galliarũ regis memoria, & monumento in summitate mõtis Quirinalis, in ipsis Thermis Constantinianis, ac domo Martij Cæcij, prope paruam Ecclesiam S. Hieronymi conflatus est à Daniele Ricciarello Volaterrano, præstanti illius temporis artifice, cui cum Michaele Angelo Bonarota artifice celeberrimo, ac præstantissimo summa familiaritas interceſſit: qui cum plasticen, seu formam ipsius equi, antequam conflaretur animaduertisset, plurimum collaudasse ferunt præstantiam ingenii viri illius ex eo opere; Nam cum ipsi Michaeli Angelo negocium hoc equi conficiendi demandatum esset; ipseque iam senio confectum se videret, nonagenarius enim & vltra tunc degebat, huius operis prouinciam cum regiis agentibus Danieli demandandam curauit: fore enim vti ipsa conflatio egregia prodiret: Sed eo fere tẽpore quo simulacrũ id est conflatum, ipse Michael Angelus vita functus est, ac paulo post ipse etiã Daniel eum est sequutus. neuter enim eorum conflatũ vidit opus. Interea mortuo Henrico Galliarum rege, ac bellis intestinis & tumultibus vexata Gallia, mansit idem equus eo quo conflatus fuerat loco, annos ferme duos & viginti: Lutetias enim Parisiorum asportandus erat, ac in principali illius ciuitatis foro locandus, ob ipsius Henrici regis monumentum, vna cum eius itidem æneo simulacro assidente, vti videmus in equestri statua ænea M. Aurelii Antonini in area Capitolina locata, ad cuius fere imitationem exemplar effictum est, præter id quod Antoninus pedem dextrum, hic vero sinistrum attollit, ne vnum & idem opus artificem confeciſſe videretur: sub cuius solea sublati pedis, auctoris nomen insculptum cernere licet. Verum cum ob diutina bella (vt diximus) quæ in Galliis diu consequuta sunt, regij simulacri opus destitutum esset: cumque Horatius Oricellarius negociator primarius Florentinus, quo Henricus III. Galliarum rex, eiusdem Henrici cuius supra meminimus, filius, in publicis aliquot regni negociis vtebatur, bene de ipso rege commeruisset: ob ingenii præstantiam fideiq; integritatem, ab

eodem

eodem,(vt ferunt) equi ipsius quem diximus simulacro liberaliter donatus est, quod anno 1586. è Quirinali ad suas ædes deuehendum curauit, vbi ad præsens sub vna ex porticibus domus paraſtatæ impositum extat. Ferunt in hoc simulacro ad sex millium & quingentorum numorum aureorum summam impensum: ac quinque & viginti millium pondo constare, quod à Michaele Albertio, qui & operi equi illius interfuit, & totius negotii & impensæ notitiam habebat, nobis relatum est.

CAP. CLV.

Fons in Platea Matthæiorum.

POSTEAQVAM aqua quæ Salonia dicitur, Gregorii XIII. Pon. Max. tempore in vrbem ad fontes producendos, alioſque varios vſus cœpta est deriuari; inter alios qui sumptu publico ad eiusdem vrbis ornatum & commodum, fabricati sunt fontes, præstantissimus, ob artificii excellentiam Pop. Rom. iubente, ac Mutio Matthæio viro inter Romanos ciues primario curante, ille videtur, qui in foro Matthæiorum cernitur, vbi olim circum Flaminium fuisse scribitur. In eo namque quatuor sunt vasa ad conchiliorum similitudinem ex Africano marmore insculpta, quibus totidem ænei Delphini superstant, ore in vasis hisce suppositis aquam promentes; superque his quaterna iuuenum ænea simulacra miro artificio conflata, quæ pedes alternos attollentia, delphinorum capita premunt, alternoſque extendunt, sicut itidem manu altera caudam ipsius marinæ belluæ vicissim attrectant, altera ad inuicem quasi labrum, seu concham superiorem fulcientia, eniti videntur. Hic inter cæteros, qui nostra ætate Romæ constructi sunt fontes, præstantioris atque absolutioris operis spectatur. Quæ simulacra ænea, anno 1585. conflata sunt ab egregio artifice Thadæio Landino Florentino. In hoc toto fontis opere ad mille ducentos nummos aureos impensum esse, nobis à fide dignis relatum est.

CAP. CLVI.

Hippodromus.

DYRRHVS Ligorius qui præstans fuit nostra tempestate artifex, & antiquitatum vrbis Romæ peritus, cuius etiã alibi (vt decet) honeste meminimus, ac cius sententiæ plurimum in hoc assentimur, in illius quam protulit antiquæ vrbis chorographia, Hippodromum Caii & Neronis Cæs. in ea Vaticani parte locauit, vbi ingẽs Obeliscus (qui ad præsens media in area principis Apostolorum erectus cernitur) etiam ætate nostra fuerat locatus; qui locus prope sacrarium, ac ingentem ipsius Basilicæ fabricam extat, ac celebre cœmeterium, qui vulgo Campus Sanctus dicitur: ibi namque equorum cursus & exercitatio habebatur, atque ludi, & spectacula quadrigarum nonnunquam exhibebantnr: Hippodromus enim ab ἵππος Græce hoc est equus, & δρόμος, hoc est cursus, dicitur, quasi equorum cursus, seu agitatio, vt nostrates aiunt. Locus hic latus ac patẽs in planum campum fuisse, nulli dubium esse opinor: de quo Martialis libro duodecimo, & Plaut. in Cistellaria meminere. Marlianus autem noster in pratis Quintiis Hippodromum extitisse scriptum reliquit, libro enim quinto, cap. 22. in fine, cum de pratis Quintiis egisset in hæc ait verba: Prata autem Quintia à L. Quintio Cincinnato denominata in Campo Vaticano fuisse, Plin. sic commemorat. Aranti quatuor sua iugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellatur, viator attulit dictaturam. Nunc hic locus, Prata, dicitur, nec longe distat à dicta Hadriani mole. In eodem campo cernuntur adhuc vestigia (vt videtur) cuiusdam Circi siue Hippodromi. Hactenus Marlianus: At idem auctor lib. eodem capit. superiori vbi de campo Vaticano tractat, sic suggerit. Cornelius vero Tacit. ait Neronem clausisse in valle Vaticana spacium, in quo equos regeret, atque permixtum plebi Circense ludicrum

dicrum habitu aurigæ edidisse, obtulisseque hortos suos ad Varia in Christianos tormentorum genera. Et quia Plin. Obeliscum Vaticani in Neronis circo stare scribit, arbitrantur nonnulli non tantum circum ipsum, sed & nauale stagnum eo in loco secus montem, qua ad portam itur nunc Pertusam appellatum, hortosque eius à clausura Circi ad Tyberim fuisse, &c. Meminit & Circi Neronis Blon. Flau. lib. 1. Romæ instauratæ nu. 45. & 46. his verbis: Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat, & circense ludicrum edebat habitu aurigæ, permixtus plebi, vel curriculo insidens. Vnde quanquam aduersus fontes, & nouissima exempla meritos animaduerteretur miseratio oriebatur, tanquam non vtilitate publica, sed in sæuitiam vnius absumerentur. Ostendimus autem supra Cor. Tacitum scripsisse, Neronem clausisse in valle Vaticana spacium in quo equos regeret, haud promiscuo spacio, & hoc in loco dicit hortos illum suos spectaculo supplicii Christianorum obtulisse, & circense ludicrum edidisse, Clausum itaque in valle Vaticana spacium illud non dubitamus esse, cuius nunc multis in partibus demoliti muros, & sedilium dimidiatos fornices per vineas, quæ moli Hadriani subiacent, cernuntur, quanquam Pli. semper, vbi de Obelisco, qui est in Vaticano mentionem facit, illum designat in Caii & Neronis circo positum fuisse. Et cum neque ipsa Had. moles, neque coniunctus pons tunc essent, quæ anno abinde centesimo Hadriani Imperatoris opera fuerunt, non immerito (vt mihi videor) crediderim circum Caii, & Neronis partem suburbii, qui nunc est Vaticani, occupauisse, & hortos à Circi illius clausura, ad Tyberim pertinuisse. Hactenus Flauius: quib. verbis & superius citatis clare videtur Hippodromum in ipso circo Caii, & Neronis penitus extitisse, licet vno tantum nomine Circus appellabatur.

CAPVT CLVII.

Templum Pudicitiæ.

QVOD duo fuerint templa Pudicitiæ, alterum nempe Patriciæ, alterum Plebeiæ, ex variis auctorib. patet, licet satis fuerit ex vno Liuio hoc ostendere, cuius locum totum hic subnectendum duxi, ait enim lib. 10. ab. V. C. anno 456. de templo, seu sacello Pudicitiæ, in hæc verba: Eo anno multa prodigia fuerunt, quorum auerruncandorum causa, supplicationes in biduum Senatus decreuit: publice vinum ac thus sacrificiis præbitum supplicatũ iere frequentes viri fœminæque. Insignem supplicationẽ fecit certamen in sacello pudicitiæ patriciæ, quæ in foro boario est ad ædem rotundã Herc. inter matronas ortũ. Virginiam Auli filiam patriciã plebeio nuptam L. Vol. Cos. matronæ quod è patribus enupsisset, sacris arcuerant. Breuis altercatio inde ex iracundia muliebri in contentionem animorum exarsit, cum se Virginia & patriciam & pudicam in patriciæ Pudicitiæ templum ingressum, & vni nuptam, ad quem virgo deducta sit, nec se viri honorumque eius, ac rerũ gestarum pœnitere, vero gloriaretur. Facto deinde egregio magnifica verba adauxit. In vico longo vbi habitabat ex parte ædium quod satis esset loci modico sacello excluſit, aramque ibi posuit, & conuocatis plebeiis matronis, conquesta iniuriam Patriciarum: Hãc ego aram, inquit, pudicitiæ plebeiæ dedico, vosque hortor, vt quod certamen virtutis viros in hac ciuitate tenet, hoc pudicitæ inter matronas sit, detisque operam, vt hæc ara, quam illa, si quid potest esse sanctius, & à castioribus coli dicatur. Eodem ferme ritu & hæc ara quo illa antiquior culta est, vt nulla nisi spectatæ pudicitiæ matrona, & quæ vni viro nupta fuisset, ius sacrificandi haberet. Vulgata deinde religio à pollutis, nec matronis solum, sed omnis ordinis feminis, postremo in obliuionem venit, &c. Hactenus de Pudicitiæ sacellis habet Liuius, cuius etsi solo testimonio satis superque esset inniti, tamen Marliani etiam in hoc videnda est assertio, qui quidem eius vrbis Topographiæ lib. tertio, cap. 15. cum ædis aræ, ac simulacri Herculis commeminisset, in hæc verba de templis ipsius Pudicitiæ subdit. Non procul ab hac ara fuit Pudicitiæ patriciæ ædes ab Æmilio condita, auctor Liuius: Cuius deæ plures ædes sacras Romæ fuisse innuunt Prop hæc carmina lib. 2. Eleg. 6.

Templa

Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis?
Si cuiuis nuptæ quidlibet eſſe licet?

Et proſequitur idem author: Signum Pudicitiæ, quam quidem (vt refert Sex. Pompeius) fortunam eſſe exiſtimant, fuit in foro boario, vbi familia ſediſſet Herculis, cuius ſacra non obibant plebeiæ: quare in Vico longo Pudicitiæ ſacellum à Virginia plebeia excitatum eſt, vt in eo eius deæ ſacra plebeiæ peragerent. Hactenus Marlianus, quibus colligitur vbi fuerint Pudicitiæ templa, & à quanam alterum eorum, plebeiæ nimirum, excitatum fuerit.

CAP. CLVIII.

Pons Triumphalis.

DE Ponte Triumphali quicquid apud probatos authores ſcriptum inuenimus, & quo nempe loci, & ad quem finem & effectum erectum fuerit, in medium nunc afferamus. Blondus enim Flauius lib. 1. eius Romæ inſtauratæ num. 41. de eo ſic habet: Pons cuius pilarum fundamenta nunc ad Sancti Spiritus hoſpitale in Tyberi cernuntur; & porta in intimã Tyberis ripam cuius fundamentorum moles extat, & via ab eo ponte ad Cæſaris Obeliſcum ad aream Baſilicæ S. Petri ſubiectum: ſecundum radios montis Vaticani protenſa triumphali nomine appellabantur, nec alterius quam ad Beati Petri Baſilicam, ea via (quod coniicere potuerim) protendebatur. Quin mihi conſtat, viam ipſam nullatenus fuiſſe largiorem, quicquid ſoli prædictam Baſilicam, aut Obeliſcum, & Apollinis Templum adiacebat, Triumphale appellabatur. De porta autem quod diximus, clare & copioſe probat Ioſephus in libro ſeptimo de captiuitate Iudaica, vbi Veſpaſiani, & Titi Imperatorum deſcribit Triumphum. Dicit enim ipſos Imperatores, qui non in Palatio maiori, ſed in Iſidis templo nocte quieuerant, ad Octauianas deambulationes tranſiuiſſe, vbi eos Senatus, & honorati equites præſtolabantur. Et cum fauor militaris eoſdem meritis ornaſſet laudibus, votis rite celebratis, ad portam receſſiſſe, quæ ab eo quod per illam ſemper triumphorum pompa duceretur, nomen accepit, finisq; pompæ fuit Capitolini Iouis templum. Territorii etiam triumphalis nõ leue teſtimonium habet vita Beati Petri Apoſtolorum principis à beato Hieronymo presbytero, vt titulus præfert, ſiue, vt aliqui volunt à Damaſo Papa ſcripta, vbi dicitur beatum Petrum fuiſſe ſepultum in Eccleſia ſui nominis, quæ ad templum Apollinis, iuxta territorium Triumphale fuerit ædificata, & conſtantem retinet famam ætas noſtra, pontem de quo diximus, nobilium fuiſſe, nec ille vnquam ruricolas tranſiuiſſe. Habet etiam incidenter monumenta commutationis factæ Calendis menſis Aug. ſiue Sextilis à memoria victoriæ Octauiani Cæſaris Auguſti de Anton. & Cleopatra, ad liberationem Beati Petri à carcere, & catenis Herodis: Vnde feſtũ ipſius D. Petri ad Vincula celebramus. Cineres C. Cæſar. Obeliſco inſigni poſitos, qui cernitur in territorio triũphali. Hactenus Flauius de Ponte, Porta, Via, ac territorio Triumphali, quem diffuſius quam cæteri hanc rem ſequutum, hic ad verbum totumq; eius locum apponendum cenſui. Marlianus autem fere ad verbum locum Flauii deſcribens libro ſecundo, cap. 8. in hæc habet verba: Vrbis portis tandem deſcriptis, portæ etiam Triũphalis licet extra pomerium eſſet, operæpretium fuerit locum oſtendere. Pontem igitur cuius pilarum fundamenta infra pontem Hælium cernuntur, & portam, cuius veſtigia adintimam Tyberis ripam olim extabant, viamque ad Cæſaris Obeliſcum protenſam, Triumphali nomine appellatos eſſe nonnulli opinantur: quoniam Ioſephus Veſpaſiani, & Titi triumphum deſcribens, ait ipſos, non in palatio maiori, ſed in Iſidis templo nocte quieuiſſe, tranſiuiſſeque ad Octauianas ambulationes: votisque rite celebratis receſſiſſe ad portam, quæ ab eo, quod per illam ſemper triumphorum pompa duceretur, nomen acceperit. Quibus verbis conſtat Capenam non eſſe eandem quæ triumphalis: Nam ambulationes Auguſti fuere ad Mauſoleum. Fit igitur veriſimile hinc per portam & pontem Triumphalem eo profectum eſſe, vbi nunc eſt hoſpitale Sancti Spiritus. Suetonius com-

commemorat , quoſdam Senatores cenſuiſſe Auguſti funus porta Triumphali ducendum. Hactenus Marlianus. Sed idem auctor libro quinto cap. 18. cum de pontibus in ſpecie loqueretur, ac præcipue de ipſo Triumphali, ita ſubſcribit: Pontis autem Triumphalis pilæ in Tyberi adhuc cernuntur è regione hoſpitalis Sancti Spiritus. Triumphalis eſt nuncupatus , quod per ipſum triumphantes tranſirent , ſequitur ſupra hunc ad teli iactum pons, nunc Sancti angeli dictus olim vero Hælius ab Hælio Hadriano, qui eum prope ſui ſepulcri molem excitauit: Spartianus: Fecit, inquit, & ſui nominis pontem & ſepulchrum iuxta Tyberim: quem pontem nulla alia de cauſa poſuiſſe arbitramur , quam vt per ipſum tranſeuntes propius dictam Molem ſpectarent , cum Triumphalis publico vſui ſatisfacere videretur. Quibus verbis deprehenditur pontem Triumphalem non ad alium finem excitatum eſſe , quam vt per eam tantum Triumphantes vi bem ingredientes cum pompa, manubiis , & captiuis tranſire ſolitos fuiſſe , non vt triumphantes tantum, & nobiles per ipſum vt Flauius innuere videtur, ſed (mea quidem ſententia) vt Triumphantes, Vrbem, vt diximus , ingreſſuri , cum pompa apparata , & captiuis per pontem illum tantum, & non aliunde tranſire deberent. Hunc autem quando, & à quo excitatum, nihil adhuc certi nobis eſt, niſi coniectari liceat Conſulum tempore, cum primum Romæ triumphari eſt cœptum, vt aliquis eſſet peculiaris triumphantibus in Vrbe locus, tum in ingreſſu ipſius Vrbis , tum etiam in tranſitu , ac demum acceſſu ad ipſum Capitolium , vbi certum eſt triumphantes Ioui Victori conſtitiſſe , ædificari ſit cœptus ad publicum Vrbis decorem & ornatum. Itaque & porta primum, & territorium , & pons, atque via , hac de cauſa Triumphalia vocitata fuiſſe. Pontem hunc vel fluminis impetu deiectum, prout Senatorium ætate noſtra vidimus, ac denuo refectum , ſeu barbarorum ſæuitia & feritate euerſum adhuc nobis exploratum eſt: iamdudum vero pro certo eſt eſſe deſiiſſe.

CAPVT CLIX.

Pons Sublicius.

PONTEM Sublicium ab Anco Martio ligneum primo excitatum fuiſſe Liuius memorat, ab eoque Sublicius dictus , quaſi ſubligatus: poſtea vero ab Æmilio lapideus factus: Æmilius dictus eſt , licet Sublicii nomen nunquam amiſerit. Super hunc pontem narrat idem Liuius Horatium Coclitem Romanum ciuem præſtantiſſima virtute, & robore virum, ſolum Hetruſcorum in vrbem irrumpentium impetum vſq; adeo ſuſtinuiſſe, quoad Romani pontem ipſum poſt illius terga perfregiſſent : atque cum inde ſe vna cum equo in Tyberim præceps deiiceret, incolumis vterque vna cum patria ſeruatus eſt. Vnde pariter ob tanti viri, & facti memoriam egregie veteres ex ponte illo Argeos hoc eſt Scirpeas imagines quotannis per Virgines Veſtal. in Tyb. proiicere ſolitos fuiſſe, quod & teſtantur nonnulla argentea vetuſta, ac parua numiſmata Argeorum hac hiſtoria inſculpta: de quibus etiam Feſtus ſic ait: Argeos vocabant ſcirpeas effigies , quæ per Virgines Veſt. annis ſingulis iaciebantur in Tyberim. Pontis huius in hunc vſque diem pilarum fundamenta cernuntur ad eam pertinentia Tyberis ripam, vbi naualia ſunt ad præſens. De ponte hoc Pli. ita meminit lib. 36. cap. 15. vbi de ædificiis ſine clauo & aliis mirabilibus ædificiorum Rom. agit, in hæc verba: Olympiæ autem arte, mirabili modo, in porticu, quam oppidani heptaphonon appellant, quoniam ſepties eadē redditur. Cyxici & buleutorium vocant ædificiū amplum ſine ferreo clauo , ita diſpoſita contignatione, vt eximantur trabes ſine fulturis, ac reponantur. Quod itē Romæ in Ponte Sublicio religioſum eſt, poſtquam Coclite Hor. defendente ægre reuulſus eſt, &c. Hactenus Plin. Legitur etiam ex Blondi Flauii Rom. inſtauratæ lib. 1. num. 29. Antoninum Pium Imperatorem marmoreum feciſſe, ſeu potius inſtauraſſe, nam ex Liuio Æmilium Lepidum marmoreum conſtruxiſſe conſtat. De eius pontis prima conſtructione ſic habet Liuius primo ab Vrbe condita in Anci Marcii geſtis: Ianiculum quoque adiectum, non inopia loci, ſed nequando ea arua hoſtium

stium esset id non muro solum, sed etiam ob commoditatem itineris, Ponte Sublicio tum primum in Tyberi facto, iungi vrbi placuit, &c. Sed quid de hac tota re Liuius habeat, dum ne lectorem legere pigeat, totam huius rei seriem & historiam ex Liuio hic subtexuimus, quam ex libro 2. Annalium 246. ad V.C. sic refert: Cum hostes adessent pro se quisque in vrbem ex agris emigrant: Vrbem ipsam sepiunt præsidiis, alia muris, alia Tyberi obiecto videbantur tuta. Pons Sublicius iter pene hostibus dedit, ni vnus vir fuisset Hor. Cocles id munimentum illo die Fortuna vrbis R. habuit, qui positus forte in statione pontis cum captum repentino impetu Ianiculum, atque inde citatos decurrere hostes vidisset, trepidamque turbam suorum, arma aditusque relinquere, reprehensans singulos, obsistens obtestansque Deum & hominum fidem, testabatur nequidquam, deserto præsidio eos fugere, si transitum pontem à tergo reliquissent: iam plus hostium in Palatio Capitolioq; quam in Ianiculo fore, itaque monere, præcipere vt pontem ferro igni, & quacunque vi possent interrumpant: se impetum hostium, quantum corpore vno posset obsisti excepturum. Vadit inde in primum aditum pontis, insignisque inter conspecta cedentium pugnæ terga obuersis cominus ad incundum prælium armis ipso miraculo audaciæ obstupefacit hostes, duos tamen cum eo pudor tenuit, Sp. Lartium, ac T. Herminium, ambos claros genere factisque, cum his primam periculi procellam, & quod tumultuosissimum pugnæ erat, parumper sustinuit: deinde eos quoque ipsos exigua parte pontis relicta, reuocantibus, qui rescindebant cedere, in tutum coegit: circumferens inde truces minaciter oculos ad proceres Etruscorum, nunc singulos prouocare, nunc increpare omnes: fæuitia regum superborum suæ libertatis immemores alienam oppugnatum venire. Cunctati aliquandiu sunt, dum alius alium, vt prælium incipiant, circumspectant. Pudor deinde commouit aciem, & clamore sublato, vndique in vnum hostem tela coniiciunt, quæ cum in obiecto cuncta scuto hæsissent, neque ille minus obstinatus, ingenti pontem obtineret gradu, iam impetu detrudere conabantur virum, cum simul fragor rupti pontis, simul clamor Romanorum alacritate perfecti operis sublatus, pauore subito impetum sustinuit. Tum Cocles; Tyberine pater, inquit, te sancte precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias. Inde sic armatus in Tyberim desiluit, multisque super incidentibus telis, incolumis ad suos transnauit, rem ausus plus famæ habituram ad posteros, quam fidei. Grata erga tantam virtutem ciuitas fuit, statua in Comitio posita, agri quantum vno die circumarauit, datum: priuata quoque inter publicos honores studia eminebant: nam in magna inopia pro domesticis copiis vnusquisque ei aliquid fraudans se ipse victu suo contulit. Porsenna primo conatu repulsus, consiliis ab oppugnanda Vrbe ad obsidendam versis, præsidio in Ianiculo locato, ipse in plano ripisque Tyberis castra posuit, nauibus vndique accitis, & ad custodiam positis, ne quid Romam frumenti subuehi sineret, &c. Hactenus Liu. de historia Hor. Cocli. super ipso ponte gestorum. Marlianus vero de ponte hoc variis in locis subscribit, primum namque libro primo capite 4. vbi de vario vrbis ambitu differit, sic habet; Ancus Vrbem ampliauit, nouæque multitudini Auentinum concessit. Multis postea Latinis in ciuitatem acceptis, Ianiculum quoque vrbi coniunxit, ponte Sublic. tunc primum facto, Quiritium fossam in planioribus Vrbis circumduxit, &c. Idem auctor deinde li. quinto capt. 14. vbi ex professo de ponte sacro, & Sublicio edisserit, sic apponit: Auspicemur autem ab eo qui omnium primus positus est. Epicardus enim prodidit, Herculem, occiso Gerione, cum victor per Italiam armenta duxisset, pontem supra Tyberim ad tempus struxisse, quem pontem sacrum appellatum esse ait Dionysius: Fuitque ea parte, qua postea Sublicius ab Anc. rege perpetuo mansurus extructus, licet totus ligneus. Nam sine ferreo clauo, sine fulturis ita dispositus erat contignatione, vt trabes per bella eximerentur, ac reponerentur. Quod quidem sic facere religiosum fuerat, postquam Coclite defendente ægre reuulsus est, auctor Plinius. Hunc pontem Sublicium Lapideum, deinde Æmilium Lepidum Prætorem fecisse memorant, & ab eo Æmilium pontem, Lepidiue denominatum. Vnde Antoninus imperator in Itinerario: Post iterum inquit vnus effectus per pontem Lepidi, qui nunc abusiue Lapideus dicitur.

Hunc Tyberinis fluctibus læsum restituit Tiberius. Cornelius Tacit. refert Othone imperante, subita inundatione fuisse diruptum, quem longo tempore post Antoninũ Pium restituisse scribit Iul. Capitolin. Huius pontis supra naualia extant vestigia ex magnis marmoreisque saxis. Neque enim est cur non credamus hæc fuisse huius pontis vestigia, quanquam de eius loco varia traduntur: constat enim ad Auentini radices stetisse, quod etiam innuit Appian. his verbis: Auentinus ascenderat Gracchus mox inde fugiens per pontem ligneum ad alteram fluminis partem euectus est. Sublicius autem dictus est quia ilex species est quercus ex qua confici solebat, vel vt alii à Sublicibus lignis, lingua enim Volsca magnæ trabes ad perpendiculum directæ Sublices vocantur, quales in pontium substructionibus fere defiguntur, quia pronæ nimio sui pondere minus firmiter iacerent, & ideo Cæsar in pontis supra Rhenum institutione ait se tigna posuisse, non sublice modo directa, sed prona. Hactenus Marlianus de ponte Sublicio, cuius ne longior sim, cætera omittenda duximus.

CAP. CLX.

Senaculum seu Senatulum.

VBI & quid fuerit Senaculum, facile innuitur (si Blondo Flauio credimus) ex eius libro 2. nu. 62. & 65. his verbis: Varr. namque cum dixisset Tullum Hostilium regem curiam Hostiliam ædificasse, sic sequitur: Ante hanc Rostra, sub dextra huius Comitio substructus, vbi nationum subsisterent legati, qui ad Senatum essent missi: hic Græcostasis à parte vt multa, Senaculum supra Græcostasim, vbi Ædes Concordiæ & Basilica Opimia, Senaculum vocatum, vbi Senatus, aut vbi Seniores consisterent. Quatuor hic, Rostra, Comitium, Græcostasim, & Senaculum, quæ in Reipublicæ administratione maximo semper vsui fuerunt indicaturi, ordinem Varronis sequimur: Et sequitur idem auctor infra nu. 65. Senaculi autem locus supra Græcostasim exstructus, vbi fuerit, vltra dicere non expedit, cum vtriusque ædificii ruinas in vinetis coniunctas confusasque cernamus, &c. Sed cum hic de Senaculo mulierum dicere aggressi, nonnihil edisseramus, videndum nobis primum est quid de eo Marlianus scripserit, is enim libro quarto, cap. 23. Senaculum mulierum in colle Quirinali Lampridii testimonio fuisse subscribit, dum ea quæ in eodem colle fuerant recenset his verbis: Senatulum mulierum in Quirinali Heliogabalum fecisse, eo in loco in quo antea fuerat conuentus matronalis solennibus duntaxat diebus refert Lampridius, &c. De Senaculo autem in genere idem auctor alibi insinuat, & vbi ab initio fuerit, libro enim secundo, capite secundo sic ait, cum de nonnullis, quæ in Capitolino Colle fuerunt, sermonem haberet, in hæc Vitruuii verba: Item in Capitolio commonefacere potest & significare mores vetustatis, Romuli casa in arcu sacrorum stramentis tecta. Ad eandem autem, vel vbi illa fuerat, Senaculum stetisse innuit Liuius, cum ait, Censores porticum ab æde Saturni in Capitolium ad Senaculum, ac super id Curiam strauisse, &c. & alibi nempe libro tertio, capite decimo, ostendens Curiam & Senaculum idem prorsus esse, ait his verbis: Non enim omnes ædes sacra erant templa: Curia augurato condita erat templum, ædes sacræ non augurato conditæ, templa non dicebantur, neque in illis poterat haberi Senatus, auctor Varro, qui cum duo Curiarum genera fuisse ostendat, videlicet Curiam vbi curarent Sacerdotes res diuinas: vt Curiæ veteres, & vbi Senatus humanas, vt Curia Hostilia, apparet Curiam & Senaculum idem esse, alterumque à cura, alterum à Senatu, id est senioribus publicas res curantibus denominatum. Et quia in Hostilia res humanæ tantum curabantur, ideo alibi ait eam esse quidem templum & sanctum non esse. Verum quoniam Sex. Pompeius ex Nicostrato memoriæ prodidit, Senacula Romæ tria fuisse: Vnum inquit, vbi nunc ædes Concordiæ inter Capitolium & forum, in quo solebant magistratus cum senioribus deliberare: alterum ad portam Capenam: tertium intra ædem Bellonæ, in quo exterarum nationum legatis, quos in Vrbem admittere nolebant Senatus dabatur, significat suo tempore desiisse S. C. fieri in Concordiæ templo, alioquin solent, non solebant, dixisset, & templum non ædem appellauisset.

pellauisset. Eius enim verba innuunt, Senaculum diuersis temporibus variis in locis institutum. Sed nec te moueat quod cum ipse tria Senacula tantum commemorarit, nos quartum ex verbis Cor. Tac. in Capitolio fuisse ostenderimus: Varroque supra Græcostasim quintum. Nam plerique augent, plerique fundant, & ad eos transeunt nomina; & in tam multis sæculis, in tanta etiam rerum varietate, nomina, locaque & numerus ipsorum sæpe est mutatus, &c. Idem etiam auctor alibi, eodem nempe lib. 2. cap. 16. cum de Græcostasi, & aliis quæ in dorso Palatini mõtis fuere, sermocinaretur, in hæc ait verba: Quod autem ait Plin. in delubro Concordiæ cornu aureo Augustæ dono fuisse gemmam sardonichen inclusam, Marsyamque religatum, & Cassandram à Theodoro pictam, de quo delubro intelligat dubium est. Senaculum autem fuisse supra Græcostasim, vbi ædes Concordiæ, & Basilica Opimii Senaculumque vocatum, vbi Senatus, vel vbi Senatores consisterent; dictumque à γερόυσια auctor est Varro. Hactenus Marlianus de Senaculo; cuius satis abunde sit dictum ne longior sit sermo quam res exposcere videatur. Ego vero quid de Senaculo mulierum existimem, breui subscribam: Duplici namque ratione id mihi institutum fuisse videtur publicum ædificium; primo quod inibi mulieres tantum, & forte pauperculæ tanquam ad proprium tribunal in ius vocarentur, vel alias euocarent, vt quamprimum earum lites & causæ sub certis iudicibus expedirentur, ne ad Curias, aut alia frequentiora Vrbis loca, ac tribunalia trahi cogerentur: vel ad hoc vt matronæ, & quæ moribus & ætate præstantes in Vrbe erant, statis quibusdam diebus, vt Marlianus ipse innuit, ad earum sacra peragenda sisterent, quicquid alii de hoc senserint.

Templum Serapidis.

EX Pub. Victoris, seu Fabii (vt nonnulli malunt) libello, quatuordecim in regiones Vrbem fuisse olim diuisam accepimus; quod & antiquus lapis marmoreus, in area Capitolina adhuc nostra tempestate exstans, id pariter indicat, cuius inscriptio talis est.

IMP. CÆSARI DIVI TRAIANI PARTHICI FIL. DIVI NERVÆ NEPOTI TRAIANO HADRIANO AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XX. IMPER. II. COS. III. P. P. MAGISTRI VICORVM VRBIS REGIONVM XIIII.

Cuius tertia regio, eodem auctore Isidi & Serapidi tribuitur; sic enim in eodem libello habetur; quem etiam & Blondus Flauius, & Raphael Volaterranus, & alii auctores citant, in hæc verba: Regio III. Isis & Serapis continet Monetam, Amphitheatrum, quod capit loca 387. milia, Ludum magnum & Dacium, domum Bruti, Suburam, Lucum pastorum, scholas quæstorum, & capulatorum, Thermas Titi & Traiani, Porticum Liuiæ, Castra Misenatium, &c. ex quo patet, ac pro comperto habetur, Serapidis templum in ipsa regione sui nominis exstitisse; quanquam non desunt qui velint eodem in templo Isidi & Serapidi sacra olim veteres factitasse, Macrob. fulti testim. qui li. 1. Sat. c. 20. Isida & Serapidem vnum & idem cum sole esse ostendit, nec ab eo distingui; illiusque simulacrum tricipitis animantis signo effingi: quod exprimat medio eodemque maximo capite leonis effigiem: à dextera parte caput canis mansueta specie blandientis exoriri: pars vero leua ceruicis, rapacis lupi capite finiri: easq; formas animalium draconem suo volumine connectere, capite redeunte ad Dei dexteram, qua conspicitur monstrum: quodq; leonis capite præsens tempus demonstretur: quia conditio eius inter præteritum futurumque actu præsenti valida feruensque sit. Sed præteritum tempus lupi capite signari, quod memoria rerum transactarum rapiatur & auferatur. Item canis blandientis effigiem futuri temporis designare euentum, de quo nobis spes licet incerta blanditur. Tempora autem rite proprio famulantur auctori, cuius vertex insignitus calatho, & altitudinem sitem Maderis, & potentiam capacitatis ostendit, quia in eum omnia terrena redeunt, Hæc ex Macrob. Sed & vt aliquid etiã liceat de ipso Serapide subnectere, quis nam fuerit, & vbi primum cultus, attendamus. Serapis igitur apud Ægyptios idem sonat quod sacer bos (apis enim bos appellatur eorum lingua) cuius historia fusius tũ apud Herodotum, ac Diodorum

dorum Siculum,tum etiam Ammian. Marcellin. libro 22. innuitur. sic namque se habet. Apis nomen fuit bouis apud Ægyptios, quem pro deo colebant, alio nomine Serapis: corpore erat niger,candida fronte,in tergo alba nota insignis, duplicibus pilis in cauda,& lingua cantharo notatus, quem certos vitæ annos excedere non licebat. Hunc in lacum demersum Ægyptij indicto iustitio, veste scissa, & laceratis crinibus defunctum plangebant:inuento vero alio mirifice lætabantur. Responsa autem dare non vt cætera oracula solitus: sed si manu oblatum pabulum sumpsisset à consulentibus,secundus euentus , atque omnia prospera decernebat:si vero abnuerat, omnia siniſtra protendebat. Ideo cum à Germanico Cæsare pabulum oblatum renuisset, funestum omen & indubiam necem, quæ paulo post secuta est,pronunciauit.

Ipse etiam Serapis Osiris prius dictus est , qui fuit Iouis filius ex Niobe Phoronei filia: qui Phroneo in regnum Argiuorum succesſit , qui postea Ægialem fratrem præfecit regno Achaiæ,& ad Ægyptios transfretauit gloriæ desiderio, quos cum subegisset , Isidem quæ & Io vocabatur, Inachi primi regis Argiuorum filiam duxit vxorem. Vbi cum illa literas, Osiris varias artes Ægyptios docuisset, vterque diuinos honores meruerunt. Tandem à Sityphone Ægyptio,vel(vt Seruius ait) à Typhone fratre clam occisus ab Iside diu quæsitus est. Demum apud Phialam iuxta Syenem laceratus repertus est; curauitque eum Isis sepeliendum in Abato insula eius paludis,quæ Memphi proxima est,quam etiam Stygeni,id est,mœrorem appellauit,nec nisi sacerdotes certis diebus, eosque vittatos eo accedere voluit. Sed cum apparuisset Ægyptiis deinde bos quidam, Osirim putarunt, adoraueruntque vt deum,& vocauerunt Apim, id est bouem, eorum lingua;deinde vero dictus est Serapis,de quo Tibull.lib.1.eleg.7.

Te canit atque suum pubes miratur Osirim
Barbara,Memphitem plangere docta bouem.

De Osiride sic habet Euseb.lib.de Præpar.Euangel.Diodorum Siculum inducens: Ægyptios ferunt primos omnium motum , ordinemq; cœlestium corporum admiratos,Solem & Lunam,deos putasse, ac Solem quidem Osirim , Lunam Isim nuncupasse. Ferunt Osirim apud Ægyptios,insitionem & aratrum,vinique vsum primum reperisse aliaq; nonnulla:quæ late prosequitur Tibull.loco superius citato.

De templo quopiam Serapidis,quod Thebis fuit,meminit Plin.lib.36. cap.7.vbi de generibus marmorum & porphireticis agit in hæc verba : Nunquam hic maior repertus est,quam in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano Augusto dicatus , argumento Nili 16.liberis circa ludentibus, per quos totidem cubiti summi incrementi augentis se amnis eius intelliguntur : Non absimilis illi narratur in Thebis delubro Serapis , vt putant Memnonis statua dicatus,quem quotidiano solis ortu contactum radiis , crepare dicunt, &c. Idem etiam auctor lib.38.cap.5.de colosso quodam Serapis sic habet : Apion cognominatus Pliſtonius paulo ante scriptum reliquit , esse etiam nunc in Labyrintho Ægypti colosseum Serapim à Smaragdo nouem cubitorum, &c. Sed vt de templo Serapidis quæ nobis supersunt complectamur,nonnulli insinuant eo loci in Vrbe stetisse,vbi ad præsens in Cœnobio sanctæ Mariæ Nouæ prope celeberrimum Templum Pacis extat fornix quædam ampla & ingens vtrinque , seu ab vtroque latere concamerata , in ea parte hortorum,quæ Amphithearum spectat;licet alii velint id Iano esse sacrum; quodq; auctore Tito Vespasiani Aug. filio erectum æstimatur , sicut & templū ipsum Pacis ab ipso Vespasiano constructum, & Amphitheatrum ipsum ædificari cœptum,à Titoq; eius filio debellatis Hierosolymis perfectum: licet aliqui in cœnobio S. Crucis in agro Sessoriano, ac nōnulli in Exquiliis extitisse credant. Mihi autem,ex superius deductis verisimilius fit, fuisse in eius regione Vrbis III. vt supra docuimus; cum ab iisdem Iside & Serapide nomen sumpserit. Sed cum neminem adhuc legerimus qui Serapidis templo constanter locum præbuerit , opinamur id fuisse sub monte ad balnea Pauli : nam & in ea regione quam P. Victor describit fuisse compertum est , nempe Isidis & Serapidis , cui opinioni adstipulatur titulus sequens in vetusto marmoreo lapide incisus , etsi ab vtroque latere muti-

mutilus, quique ad præſens hac noſtra ætate legitur palmulariis literis in pauimento Eccleſiæ S. Agathæ, ſub ipſo monte vel balnea Pauli, qui talis eſt.

SERAPIDI DEO
. . M. AVRELIVS ANTONINV . .
. . IFEX MAX. TRIBVNIC. POTE . .
ÆDEM . .

Comitium.

COMITIVM, hoc eſt, ipſe Comitiorum locus, nam noſtrum id primum inſtitutum eſt aggredi; vbi, quid, vnde dictum, & ad quid eſſet, reliquum eſt vt videamus. Ipſa namque quæ ad Comitia & ad varia eorum genera ſpectant, tum Agellius lib. 15. cap. 27. tum etiam ex recentioribus accuratiſſime Nicolaus Gruchius Rotomagenſis, vir noſtra fere tempeſtate eruditiſſimus, ad vnguem perſcripſit. Ideo vt ad rem noſtram veniamus, Comitiũ fuit locus, ſeu ædificium latum & patens in foro, ſeu prope ipſum forum, in ea parte Palatini montis, mea quidem ſententia, quæ prope circũ Titi Imperatoris exſtat, ſeu parum infra ipſum arcum, vbi turris ſatis magnæ ac vetuſtæ fragmentum adhuc cernitur, quæ vulgo Pallaria nuncupatur, & infra ipſum Palladium, qui locus ſuperior fuit Comitio, vt ex ipſo aſpectu patet. Et videtur ab eo Comitii nomen deductum, quaſi à coeundo teſte Feſto, qui ſic ait: Comitiales dies appellabant, cum in Comitio conueniebant, qui locus à coeundo, id eſt, ſimul veniendo dictus eſt. Hactenus Feſtus, vel vt noſtro more loquamur à populi multitudine & frequentia, quæ ſtato quodam tempore & præſcriptis diebus illuc, vel ad magiſtratus eligendos, vel ad alias res quæ ad Rempubl. pertinerent acturi, ſe conferebant. Sed quid de ipſo auctores mei referant, videamus; Blondus namq; Flauius in eius Romæ inſtauratæ libro ſecundo, numero 62. de Roſtris & aliis quæ in foro Romano erant, ſic pergit: Varro namque cum dixiſſet Tullum Hoſtilium regem Curiam Hoſtiliam ædificaſſe, ſic ſequitur: Ante hanc Roſtra, ſub dextra huius Comitio locus ſubſtructus; vbi nationũ ſubſiſterent legati, qui ad Senatum eſſent miſſi, hic Græcoſtaſis aperte vt multa; Senaculum ſupra Græcoſtaſim, vbi ædes Concordiæ, & baſilica Opimia Senaculũ vocatum, vbi Senatus, aut ſeniores conſiſterent. Quatuor hic Roſtra, Comitia, Græcoſtaſim, & Senaculũ, quæ in Reipub. adminiſtratione maximo ſemper vſui fuerunt, indicaturi, ordinem Varronis ſequimur, &c. & ſubdit idem auctor paulo inferius, numero nempe 67. de Comitio vbi fuerit, his verbis: Comitium fuiſſe in foro Romano inter turrim, quæ Pallata appellatur, & lacus Curtii locum, colliſq; Palatini, quem foro imminere videmus, radices & Fauſtinæ monumenta, ſiue ſancti Laurentii in Miranda Eccleſiam, facile intelligi poterit ex ſuperius dictis: de quo quid fuerit, priuſquam dicamus, doloris impetu nos trahente, noſtris & futurorum ſæculorum hominibus notum fore volumus: Porcos nunc ex publico ætatis noſtræ inſtituto, ibi, & nullo alio in loco (quod ſæpe vidimus) venundari, &c. & proſequitur infra numero 68. Comitii vocabulum, ſicut A. Gellius in noctibus Atticis oſtendit, & loco, & actui commune fuit. De loco quidem, quando ſatis dictum eſt, de actu plura dicamus. Duobus in locis, ſupradicto ſcilicet, & Campo Martio omnes deligebantur, ſiue Dictatores, ſiue Conſules & Prætores, ſiue alii Magiſtratus, &c. Hactenus Flauius: ſi quis autem plura de his noſſe cupiat, illum conſulat, & ſuperius citatos auctores. Marlianus vero noſter lib. 3. cap. 1. vult, Comitium in ea parte Palatini montis extitiſſe, quæ vergit ad Arcum Titi, his verbis: Ab eadem autem Palatii parte fere ad arcum Veſpaſiani, Comitii nomen obtinuit; & proſequitur inferius eodem cap. Nam quæ pars fori Comitium appellabatur, nomen fori obtinebat; & inferius ſic ſubdit; quod Plinius etiam ſignificat, qui lib. 14. ait, ficum arborem in foro atque Comitio coliſcum tamen vnica eſſet arbor, eaque in Comitio. Verum tempore quo primum Hannibal in Italiam deſcendit, cum Comitium tectum eſſet, vt Liuius ſeptimo belli Punici prodidit à foro, cæpit diſtingui. Cur autem Suetonius non dixerit templum Pacis poſitum

ſitum eſſe Comitio, ea videtur ratio, quia inter vtrunque media intercurrebat via ſacra, &c. Et ſubdit idem auctor de Comitio lib. eod. c. 6. vbi de his quæ in foro fuere agit in hæc verba: Comitiales dies appellabant, cum in Comitio conueniebant, qui locus à coeundo, id eſt, ſimul veniendo eſt dictus, auth. Sex. Pomp. Plutarch. vero, quod illuc Titus Tatius & Romulus coierit, & inter eos fœderis conditiones ſancitæ firmatæque fuerint, Comitium dictum putat. Aſconius ait eſſe locum, quo coire equitibus Po. Rom. liceret, &c. Hactenus Marlianus de Comitio. Meminit & Comitiorum Sueton. in vita Cæſaris, vbi agit de coniuratis, qui Cæſarem ipſum interfecerunt, quænam eorum conſilia fuerint in conſtituendo ſeu deligendo occiſionis loco, in hæc verba: Conſpiratum eſt in eum à 60. amplius, C. Caſſio, Marcoque & Decio Bruto principibus conſpirationis: qui primum cunctati, vſumne illum in Campo per Comitia tribus ad ſuffragia vocantem, partibus diuiſis è ponte deiicerent, atque exceptum trucidarent: an in ſacra via, vel in aditu theatri adorirentur poſtquam Senatus Idibus Martiis in Pompeii Curiam edictus eſt, facile tempus & locum prætulerunt. Hæc de Comitio ſatis dicta nobis ſufficiant.

FINIS.

Free copy for study purposes only. Getty Research Institute Digital Collections

INDEX

INDEX ANTIQVITATVM ET INSCRIPTIONVM ROMANARVM, HOC I. VOLVMINE ordine propositarum.

Numerus Præpositus seriem pagellarum notat, qui vero suis locis ad monumenta apponitur, is ordinem eorundem numerat.

Pagella

43. *In palatio Cardinalis Cæsii in ea Vaticani parte, quam Burgum vocant.*
I. Siluano & Herculi sanctissimis Diis sacrum, &c. Caius Domitius Marcus donum fecit.

44. *In palatio Cardinalis Cæsii in Burgo.*
II. M. Fabio M. T. Gal. Coloni, &c. Mediolanenses patrono.

45. *In Palatio Cæsiano.*
III. P. Cœlio P. F. Ser. Balbino, &c. Decuriones sua pecunia.

46. *In palatio Cæsiano.*
IV. Monumentum græcum.

47. *In domo Cardinalis Cæsii.*
V. L. Cornelius Scipio Oreitus, V. C. augur, &c. Tusco & Anulino Cos.

48. *In domo Cardinalis Cæsii.*
VI. Epitaphium Mygdonis Carmine.
VII. Q. Cœcilio Feroci epitaphium M. Gauius Charinus statuit.

49. *In domo Cardinalis Cæsii.*
VIII. Monumentum græcum.

50. *In palatio Cæsiano.*
IX. P. Scanius Florus Herculi D.D.

51. *In domo Cæsiana.*
X. Statua cum hac inscriptione κ̣α̣λ̣ῶ̣ς̣ π̣λ̣ω̣ν̣ή̣σ̣α̣ν̣τ̣ι.

52. *In domo Card. Cæsii in Burgo.*
XI. Ex autoritate Imp. Cæsaris Diui Neruæ F. Neruæ &c. Titus Iulius Ferox Curator aluei & riparum Tyberis & cloacarum vrbis terminauit, &c.

53. *In domo Cæsiana.*
XII. Diua Plotina Aug. statua.

54. *In domo Cardinalis Cæsii.*
XIII. Caio Heluio Caii filio Cor. Celeri & Heluio felici patri, &c.

55. *In domo Cæsiana.*
XIV. Imp. Cæsaris Diui F. Augustus pontifex maxim. &c.

56. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XV. Colleg.II. Augurum autore Imp. Cæsari Diui Traiani Parthici F. &c. terminos pomerii restituendos curauit.
57. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XVI. Anubis in forma matronæ Statua cum literis Hieroglyphicis.
58. *In domo Cæsiana.*
XVII. Lemno Aug.I proc.patrimoni & Hered. & Domitiæ Phyllidi, L. Domitius Lemnus.
59. *In palatio Cardinalis Cæsij.*
XIIX. C.Domiti C.F.Pal.Veri vixit annis XXXXI. Mensibus VII. Dieb. XII. Volusia Seuera Coniunx Marito optumo & indulgentissimo.
60. *In palatio Cardinalis Cæsij.*
XIX. Dis Manibus. Cn. Ofillio Cn.F. &c. Cn. Ofillius Successus & Antonia Restituta parentes filiis pientissimis fecerunt, & sibi & suis libertis libertabusque, posterisque eorum.
61. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XX.D.M.Q.Val.Q.F.Postimio Romulo patri dulcissimo equo publico, &c. Postimius Romulus filius & nepotes.
62. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XXI. D.M.Otacilia L.L.primigenia fecit sibi & collibertis, &c.
63. *In palatio Cæsiano.*
XXII. Statuæ matronæ.EAE.Pyrallidi.
64. *In palatio Cardinalis Cæsij.*
XXIII. De M.L.Iauoleno Phœbi marito optimo Licinia Cynegis fecit.
65. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XXIV. D.M.Eugrapho F.Apate matri eius, Eugrapho nepoti eius, Adeptus & sibi & suis.
66.
XXV. D.M.M.Ogulnio ab Ascanto vixit ann. L. &c.
67. *In ædibus Cardinalis Cæsij.*
XXVI.Dis Man.M.Numisio Loto, &c. patri optimo indulgentissimo, &c.
68. *In ædibus Cardinalis Cæsij.*
XXVII. D.M.Clodiæ Auitæ, hæredes ex testamento.
69. *In ædibus Cardinalis Cæsij.*
XXVIII.Diis Manibus. Claudio Hylio, vixit ann.IIII. &c. pater filio Karissimo.
70. *In ædibus Cardinalis Cæsii.*
XXIX. Dis Mani.Sacr.
71. *In palatio Cardinalis Cæsij.*
XXX. Dis Manibus, C. Vmbricius Veteranus, sibi & Vmbriclæ Delphidi coniugi suæ, &c.
72. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XXXI. L.Veturio Aug.L.ab Epistulis latinis, Manto Vxor marito posuit.
73. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XXXII. Flauiæ Aug.L.Doris fecit & suis, &c.
74. *In domo Cardinalis Cæsij.*
XXXIV. Sexto Petronio Probo Anitianæ domus columni, &c. deuotissimi filii dedicarunt.
75. *In ædibus Cæsianis.*
XXXV. Epitaphium M.Ogulinii primi.
XXXVI. Epitaph.Philippidis.
XXXVII. Epitaph.Aniciæ Falconiæ probæ.
76. *Apud Cardinalem Cæsium.*
XXXVIII.D.M.Vllæ Secundinæ filiæ Corneliæ Tyches vxoris, &c.
77. *Apud Cardinalem Cæsium.*

XXXIX. Diis Man. Myſtil Voluſi &c. permiſſu Q.N.

78. *In ædibus Cæſianis.*

XL. P. Scantius Phicetus fecit, ſibi & Scantiæ Nice lib. requietorium. Amicis benefacere ſemper ſtudioſus fui.

XLI. Diis Manibus. Succeſſi Eil Cæſia Gemella mater piiſſimo filio de ſuo. Vixit ann. IX. Menſ. IIII. Dieb. XV.

Fatis peractis mater eodem eſt condita, quæ poſt obitum filii vix. ann. IIII. Menſ. XI. D. VIII.

XLII. Sexto Petronio Probo Prouinciæ Africæ præfecto.

XLIII. DIs Manibus. Libano Aug. L. à cura amicorum. vix. ann. XXXIX.

79. *In hortis Cæſianis.*

XLIV. Cæſoniæ M. F. primæ, &c.

XLV. D. M. M. Cæſio Epaphrodito.

XLVI. T. Cæſius Priſcillæ L. Hermes, &c.

80. *Apud Cardinalem Cæſium.*

XLVII. Dis Manib. L. Munati. Plancinæ L. Polycliti.

81. *Apud Cardinalem Cæſium.*

XLVIII. Ingratæ Veneri ſpondebam munera ſupplex
Erepta Coniux virginitate tibi, &c.

82. *In hortis Cæſianis.*

XLIX. D. M. Cæſiæ Daphe Dianæ & coniugi optimus maritus.

L. I. O. M. D. Aur. Iulianus Eq. R. ſacerdos huius loci DD.

83. *In ædibus Cardinalis Cæſij.*

LI. Atimetus Pamphili Ti. Cæſaris Aug. LL. Anterotianus ſibi & Claudiæ Homonoeæ collibertæ & contubernali, &c.

84. *In domo Cæſiana.*

LII. Dis Manibus Athaniæ Epierlidis, &c.

85. *In domo Cæſiana.*

LIII. D. M. L. Statio L. F. Aſclepiadæ, &c.

86. *In hortis Cæſij Cardinalis.*

LIV. Cn. Cæſio Zoſimo, &c.

LV. Magno & inuicto Imp. Cæſ. C. Val. Aurel. Conſtantino.

LVI. D. M. Cæſellæ Mauræ.

Ibid. In horto ſub Palladis Statua.

LVII. Vipſanam Vipſani Muſæi L. &c.

LVIII. D. M. Fabiæ Theophilæ.

87. *In Burgo in domo Cardinalis Pariſini.*

LIX. D. M. Timbræo Aug. L. Caſtellario & marito optimo.

LX. Imp. Cæſ. Diui Traiani Parthici, &c.

88. *In Burgo.*

LXI. Vrſus Alus Ciuis Satrapes ex Vmbria in armis.

89. *In Burgo.*

LXII. Dis Man. L. Memmio, L. Fil. &c.

90. *In Burgo qua itur ad portam S. Honufrÿ.*

LXIII. Monumentum græcum.

91. *Ante ædes Alexandri Machinari.*

LXIV. Ap... us auct. Memmius &c.

Ibid. Apud Euforium fratellum ad Templum S. Apollinaris.

LXV. M. Liuius Aug. Secondio Accenſus Druſi, &c.

Ibid. In templo S. Benedicti della Trinita ſub Baptiſmatis fonte.

LXVI. D. M. Laberie Irene.

92. *In domo Euforÿ Fratelli.*

LXVII. Inutio Aeliano Euok, &c.

LXVIII. Dis Manibus C.Iulio C.F.&c.ſibi & ſuis,poſterisque aeuourum.
93. *Apud Euforium Fratellum.*
LXIX. Ti.Claudio Ti.F.Camil.&c.
LXX. Iunoni Iuliæ Aufidiæ Capitolinæ ſacrum,&c.
94. *In domo Euforij Fratelli.*
LXXI. M.Aur.Luciano militi coh.&c.
95. *Ad ingreſſum Palatij Capitolini annexa columnis.*
LXXII. Cæſari Auguſti F.Pontifici,&c.
LXXIII. L. Cæſaris Auguſti F.Auguri.&c.
LXXIV. Diis Manibus Iuliæ lib.Helpidis &c.
LXXV. Domino flagitatori factionis ruſſatæ.
96. *Affixa parietibus porticus Palatij Capitolini.*
LXXVI. C.Calpetanus Saſius &c.
LXXVII. M.Calpurnius M.F.Piſo Frugi &c.
LXXVIII. Oſſa Agrippinæ M.Agrippæ &c.
97. *In area Capitolini Palatij.*
LXXIX. Græcum monumentum.
LXXX. Græcum monumentum.
LXXXI. Mun.L.Reſtitutæ N.N.maiorum &c.
LXXXII. M.Sutorius Pamphilus Lictor Cur.&c.
98. *Ante fores Palatii Capitolini inter Columnas porticus.*
LXXXIII. MP.Cæſari Veſpaſiano &c.
LXXXIV. Imp.Cæſari Diui Traian.
LXXXV. Oſſa Neronis Cæſaris Germanici.
99. *In area Palatij Capitolini.*
LXXXVI. D.M.Maniliæ Gn.Fil.
LXXXVII. Fortunæ Auguſt. ſacrum.
LXXXVIII. Deo Herculi inuicto.
LXXXIX. Appio Annio Bradio.
XC. C.Cnoſſonius ſucceſſus &c.
100. *In Palatio Capitolino.*
XCI. Ser.Galba II.Triuinio Coſ.
101. *In Palatio Capitolino.*
XCII. Q.Lucianus Q.F.
XCIII. Diis Manibus Aſelliæ A.L.Horæ &c.
XCIV.Herculi Romano D.D.L.Herodes.
102. *In Palatio Capitolino.*
XCV. Q.Oſtorius.Q.T.Licinianus &c.
XCVI. Nomina Leg.
XCVII. Oſſa Ti.Cæſaris Diui Aug.
103. *In Capitolio.*
XCVIII. P.Lentulus Cn.& Quintius &c.
XCIX. Q.Fabius Honoratus.&c.
Ibid. In Palatio Conſeruatorum ſub ſtatua Herculis.
C. Herculi inuicto C.Iunius Pomponius.
104. *In Capitolio.*
CI. Monumentum græcum.
105. *In Capitolio.*
CII. Monumentum græcum.
106. *Ad principium gradum Aræ Cæli.*
CIII. C.Terentio.C.L.Pamphilo.&c.
Ibid. In ara cæli vbi aqua luſtralis repoſita eſt.

CIV. Lu.Lusio Vrbano Nomenclatori censorio.

107. *In Capitolio.*

CV. Iunoni Reginæ Conseruatrici,&c.

CVI. Antistia L.F.Priscilla Abascanti,&c.

CVII. I.O.M.Numisius Albanius,&c.

108. *Super Cœmeterio aræ cœli.*

CVIII. Eyhodi Diui Aug.I.libertæ.

Ibid. In ara cœli tertia columna ad lœuam.

CIX. A cubiculo Augustorum.

CX. Diis Manibus sacrum L.Sesti Eutropi.

109. *In ara cœli repositorium aquæ lustralis.*

CXI. Locus sacer Batoni Telesphori.

Ibid. Ad arcum Septimianum.

CXII. Victoriæ Imp.Cæs.Vespasiani.

Ibid. Ante arcum Septimij Seueri sub. Capitolio.

CXIII. Restitutori Vrbis Romæ &c.Neratius Cerealis &c.

110. *Sub Capitolio.*

CXIV. P.Atili P.F.Ouf.Septimiani Grammatici.

CXV. Imp.Cæsari Antonio Gordiano Felici.

111. *Ad Templum S.Martinæ prope Marforium.*

CXVI. Saluis D.D.NN.Honorio & Theodosio Victoriosissimis Principibus &c.

Ibid. In frontispicio portæ S.Georgij,qui est arcus Boarius.

CXVII. Imp.Cæs.L.Septimio Seuer.&c.

112. *In frontispicio Templi S.Angeli foro piscatorio.*

CXVIII. Imp.Cæs.L.Septimius Seuerus pius &c.

Ibid. In foro piscatorio.

CXIX. P.Cæsar Diui Fil.Aug.pontifex,&c.

113. *In ponte Senatorio.*

CXX. Numini Deorum Aug.Ioui Opt.Max.ædem voto suscepto,&c.

114. *In exteriori parte pontis Insulæ Tyberinæ,qui Ponte di quatro Capi dicitur.*

CXXI. L.Fabricius C.F.Curat.Viarum &c.

CXXII. Domini nostri Imperatores Valentinianus pius felix maximus,&c.

In inferiori parte pontis S.Bartholomæi vtrinque duæ inscriptiones leguntur eiusmodi.

115. *Ad vtramque partem arcus Septimij Seueri.*

CXXIII. Imp.Cæs.Lucio Septimio M.Fil.&c.

Ibid. Ad pontem Templi Concordiæ sub Capitolio.

CXXIV. Senatus populusque Romanus incendio consumptum restituit.

CXXV. D.N.Constantino pio felici &c.

116. *Ad porticum Fastinæ.*

CXXVI. Diuo Antonio & Diuæ Faustinæ.

Ibid. In arcu Vespasiani prope Templum S.Mariæ nouæ.

CXXVII. Senatus populusque Romanus Diuo Tito Diui Vespasiani F. Vespasiano Augusto.

CXXVIII. S.P.Q.R.Imp.Tito Cæs.Diui Vespasiani &c.

117. *Ad Thermas Constantini.*

CXXIX.Petronius Perpenna magnus perpent.&c.

CXXX. Imppp.Cæss.D.D.D.N.N.N.Gratianus.

118. *In Basi Columnæ Traiani.*

CXXXI. Senatus Populusque Romanus Imp.Cæsari Diui Neruæ &c.

CXXXII. Pr.Tr.Pl.Q.Augur Tr.Mil.ex sorte bellum cum Iugurtha &c.

119. *In foro Traiani.*

CXXXIII. Annio Paulino Iunio procos.&c.

120. *In foro Traiani.*
CXXXIV. Pontificis votis annuant Dij Romani &c.
CXXXV. Imp. Cæſ. L. Aurelio Vero Aug.
121. *In arcu Conſtantini qua itur ad Amphitheatrum.*
CXXXVI. Imp. Cæſ. Flau. Conſtino. &c.
Ibid. In arcu Galieni.
CXXXVII. Galieno Clementiſſimo Principi, &c.
122. *Non procul ab arcu Conſtantini.*
CXXXVIII. T. Sempronii Gracchi Coſ. Imperio auſpicioque Legio: &c.
123. *Ad Thermas Veſpaſiani in vinea.*
CXXXIX. Fortunæ reduci & Ioui Sereno Diis Deabusque ſub quorum tutela Augg. militant.
124. *In via qua conſcenditur ab Amphitheatro ad Veſpaſiani thermas.*
CXL. Lucius Stratonicus Elpidi, &c.
125. *Ad aquarum receptacula thermarum Veſpaſiani, quæ Sotte Camarelle vocantur.*
CXLI. D. M. L. Terentii Aſclepiadis, & L. Terentii Felicis filii.
126. *Ad Thermas Veſpaſiani.*
CXLII. Panes dii cum inſcriptione græca.
127. *Ad arcum Septimianum.*
CXLIII. Paci æternæ domus Veſpaſiani Cæſaris &c.
CXLIV. P. Vedio Diogeni, Fediæ Feliculæ &c.
128. *Ad Amphitheatrum.*
CXLV. I. O. M. & Iunoni Reginæ pro ſalute M. Aurelii Antonini.
129. *Ad Amphitheatrum.*
CXLVI. Iupiter Cuſtos Domus Auguſti &c.
130. *Ante ædes Ruſticorum.*
CXLVII. Autoritate Imp. Cæſaris Diui Traiani.
CXLVIII. Dacic. Germanic. Aug. Pont. Max.
CXLIX. Oſſa L. Cor. Lamiæ & Tyches &c.
131. *In horto Alberinorum.*
CL. Diis Manibus M. Cornelio Euhodo &c.
CLI. D. M. C. Sabino C. F. Solua Angula.
CLII. D. M. D. Vidio Parthaco Patrona.
CLIII. D. M. T. Claudio Felici patri & Claudiæ Priuatæ matri &c.
132. *In domo Alberinorum.*
CLIV. Statua, par coniugum. Titius fecit, Laomedon genuit, rapuit Tiryntinus heros: mi ſoboles Aiax & Telamone ſatus.
133. *Apud Alberinos.*
CLV. Statua trium imaginum. Matri Deum Martia Octacilla Aug. D.
134. *Subiacentia hæc duo videntur in domo Epiſcopi Valſæi.*
CLVI. Nemeſi ſanctæ. Campe Suri &c.
CLVII. D. M. Cn. Antonius Agathopus &c.
Ibid. In domo Albinorum.
CLVIII. D. M. L. Cæcilio Primogenio ſeniori.
CLIX. D. M. Coccetus Felix Cocceiæ Irene.
135. *In domo Epiſcopi Vellæi.*
CLX. Imp. Cæſari Diui Hadriani Aug. filio, Diui Traiani Parthici nep.
136. *Apud Epiſcopum Vellæium.*
CLXI. Fl. Eugenio præfecto prætorio Conſuli ordinario deſignato &c.
CLXII. D. M. P. Ælii Callinici.
137. *In domo Epiſcopi Vellæi.*
CLXIII. L. Anteſtius Cn. F. Hor. Sarculo Salius Albanus.

CLXIV. L. Antiſtius C. F. Horſæculo &c.

138. *In domo Epiſcopi Vellæi.*

CLXV. Imp. Cæſari Diui Neruæ F. Neruæ Traiano Aug. Germanico.

CLXVI. D.M. Ælii Tamyri pueri oſſa.

CLXVII. C. Cærellio Fufidio Anniorauo.

CLXVIII. Stiliconis (nomen abraſum) viro bis Conſuli ordinario magiſtro vtriuſque militiæ &c.

139. *Ante ædes Epiſcopi Vellæi.*

CLXIX. D.M. Venuſto, ſubſcriptio græca ſequitur.

140. *Calendarium in marmore candidiſſimo, & quadrangulari ſcriptum, quod erectum eſt ad parietem minoris areæ domus Epiſcopi Vellæi.*

CLXX. Ianuar. Febr. Mart. Aprilis. pars dextera.

141. *Calendarij pars media.*

CLXXI. Maius, Iunius, Iulius, Auguſt.

142. *Calendarii pars ſiniſtra.*

CLXXII. Sept. Octob. Nouemb. Decemb.

143. *In Palatio Epiſcopi Vellæi.*

CLXXIII. Ab Luco Libitinna Q. Coruncani Stati.

Ibid. Saxum hoc in partes duas eſt diuiſum & vtrumque eandem habet formam & inſcriptionem.

CLXXIIII. Ti. Iulio Aug. L. Mneſteri.

144. *Apud Epiſcopum Vellæum.*

CLXXV. Petronia Nice, & Alcibiades, Alcibiadi Filio dulciſſimo, & deſideratiſſimo cuius mors decepit patrem ſuum, &c.

CLXXVI. Diis Manibus, Amempti Piuæ Auol.

145. *Apud Epiſcopum Vellæum.*

CLXXVII. D.M. Æliæ Diuæ Aug. L. Doridi & Atimeto fecit mœrore.

CLXXVIII. Diis Manibus ſacrum Q. Minuolus Felix.

146.

CLXXIX. Aſpaſiæ Dorkadi Matri ſanctiſs.

Ibid. In domo Epiſcopi Vellæi.

CLXXX. E.IO. Stiliconi illuſtriſſimo viro &c.

CLXXXI. Securitati cognationis ſuæ Fortunatus. Aug. L. Verna paternus &c.

147. *Apud Cardinalem Vellæum.*

CLXXXII. Statua matronæ Sabina Auguſta.

148. *Apud Cardinalem Vellæum.*

CLXXXIII. Anneæ Pyrallidi, L. Trophimus, &c.

CLXXXIV. Publius Decimius P.L. Heros Merula Medicus &c.

149. *In domo Epiſcopi Vellæi.*

CLXXXV. Pontificum monitu, Voto ſuſcepto, Libero patri Hecatæus D.

150. *Apud Cardinalem Vellæum.*

CLXXXVI. Statua matronæ. Lucilla Aug.

FINIS.

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections

Free copy for study purposes only - The Warburg Institute Digital Collections